8
11-d
22

Tomi 3
Y = N.1

7
6 E
41

~~44-5-48-50~~

8 11 d 22

8.-11.d.25.

JOSEPHI
MARIANI PARTHENII
S. J.

ACTIONES.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

V.L

ROMAE
EXCUDEBAT GENEROSUS SALOMONI
AN. cIↄ.Iↄ.CC.LXXII.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

JESU CHRISTO

ÆTERNI PATRIS FILIO HUMANI GENERIS REPARATORI

DIVINÆ EJUS MATRI VIRGINI MARIÆ

SINE MACULA PECCATI ORIGINALIS CONCEPTÆ

SANCTO PETRO APOSTOLORUM PRINCIPI

SANCTO PAULO GENTIUM APOSTOLO

NEC NON RELIQUIS GENERATIM MARTYRIBUS

CATHOLICÆ APOSTOLICÆ ROMANÆ FIDEI

ASSERTORIBUS

AC NOMINATIM IIS

QUI URBEM ET LATIUM

FUSO TRIUMPHALI SANGUINE HONESTARUNT

BIBLIOTECA ROMA EMANUELE

JOSEPHUS MARIANUS PARTHENIUS

SOC. JESU

HOC QUIDQUID EST OPERIS

DAT DONAT DICAT

CONSECRATQUE.

Digitized by Google

NON PLUS SAPERE QUAM OPORTET SAPERE;
SED SAPERE AD SOBRIETATEM. Ad Rom.12.3.

Digitized by Google

PAULUS ANTONIUS RAFFAGNI

SOCIETATIS JESU

In Provincia Romana Præpoſitus Provincialis.

CUM Opus, cui titulus: *Joſephi Mariani Parthenii S. J. Actiones*, ab uno ex noſtræ Societatis Sacerdotibus conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtate nobis a R. P. Laurentio Ricci, Præpoſito Generali, ad id tradita, facultatem concedimus, ut typis mandetur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus

Romæ 21. Novembris 1771.

Paulus Antonius Raffagni.

Digitized by Google

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

D. Jordani Patr. Antioch. Viceſgerens.

QUod videmus quamplurimos conari, paucos vero aſſequi, ut difficilem, maximeque impeditam, quam ſuſceperunt tractare provinciam, eam feliciter abſolvant, id contigiſſe Mariano Parthenio S. J. intellexi, viro bonis artibus ac ſtudiis expolitiſſimo, editiſque operibus claro, cum obſecuturus Revererendiſs. P. S. P. A. Magiſtro, diligentiſſime perlegerem illius librum, cui titulus; *Joſephi Mariani Parthenii S. J. Actiones.* His enim, quas olim habuit Florentiæ, cum ibi eloquentiam doceret, ad formam, & ſimilitudinem illarum, quas ſcripſit Cicero in Verrem, ſummam Artis Criticæ difficultatem exponit, præcipuos illius canones accurate perpendit, & de recto, pravoque ejuſdem uſu fuſe, docte, ſolide, & luculenter diſſerit. Stylum autem, quo hæc omnia perſequitur Auctor, antiquum illud Latium ſapere legentibus palam eſt. Quare cum nihil in Opere occurrat, quod Catholicæ Religioni, boniſque moribus adverſetur, Reipublicæ Chriſtianæ ſplendori, necnon Eloquentiæ cultoribus utilitati futurum arbitror, ſi prælo committatur. Dabam Romæ XIV. Kal. Decem. A. MDCCLXXI.

Joannes Baptiſta Gautier Linguæ, & Humanitatis græcæ in Archigymnaſio Romano Profeſſor Emeritus.

UT Reverendiſſimi Patris Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri juſſa facerem, doctiſſimas, & elegantiæ plenas *Joſephi Mariani Parthenii S. J. Actiones* accurate, diligenterque perlegi: Qua in re nihil reperi, quod vel Chriſtianæ Religionis ſanctitatem, vel bonos mores læderet; verum omnia, ſumma animi mei jucunditate, percepi Romanam majeſtatem redolere. Quare in publicam lucem edita multo uſui ſtudioſis bonarum artium, & eruditis viris voluptati fore cenſeo. Datum Romæ in Monaſterio S. Praxedis IV. Idus Januar. An. MDCCLXXII.

D. Rodeſindus Andoſilla Abbas Congregationis Vallis-Umbroſæ, in Archigymnaſio Romano Rhetor, & Hiſtoriæ Profeſſor.

IMPRIMATUR.

F. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Præd. S. P. A. Mag.

EDI-

EDITOR OPERIS

LECTORI BENEVOLO.

Edito jam a Parthenio noſtro illo ſuo Electricorum opere, tum ego, tum alii ejus amici, illi auctores fuimus, ut orationes ſuas, quas multas & habuit; & conſcripſit, limaret ac perpoliret, eaſque in publicam lucem edi pateretur. Ego quidem illum minus in hoc pugnacem ſenſi, quam tum, cum de edendis Electricorum libris agebatur, fueram expertus. Itaque, ſi non libenter, minus certe repugnanter meæ & amicorum obſecutus eſt voluntati, deditque operam, ut quæ ſcripta a ſe proſa oratione fuerant, multa cura diligentiaque recognoſceret, &, quantum quidem aſſequi potuit, perficere conaretur. Quo in conatu quid tandem præſtiterit, Lectorum judicium erit. Certe unum Ciceronem Latinæ eloquentiæ parentem ſibi ad imitandum propoſuit, in eo uno mentis aciem obtutumque defixit; unum ſic combibere penitus animo ſtuduit, ut eum unum exprimere, & quantum potuit, Lectoribus exhibere adniſus ſit; qua in re ſi non exitus, voluntas certe ejus laudari omnino debet. In magnis *enim* voluiſſe ſat eſt. *Hoc vero quid operis ſit, quod nunc editur, Auctor ipſe ſatis indicat in primo ſuarum Actionum exordio, in quo & operis finem, quem maxime ſpectavit, aperte enunciat, & operis totius diviſionem di-*

diſtincte proponit. Præterea ſtyli ac dictionis genus ab arrogantiæ reprehenſione vindicat; quin & inſcriptionis ipſius, quæ operi præfixa eſt, probabilem ſane rationem reddit. Jam, ſi quod opus unquam adnotationum copia ornari potuit, hoc certe eſt, in quod totius propemodum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ notitiam congerere facile admodum fuit. Sed in hoc ita reluctantem Auctorem habui, ut expugnare me illum poſſe deſperarim. Ajebat enim, opus eſſe hujuſmodi, quod non adnotationibus ornaretur, ſed potius oneraretur; ſe ſtuduiſſe perſpicuitati, quæ lumine adnotationum illuſtrari minime indigeret; non captaſſe ſe in his Actionibus ſive conſcribendis, ſive habendis eruditionis famam; obvia quæque, & nota cuique vel mediocriter erudito, perſecutum eſſe, eaque tantum expolienda curaſſe; ſe nonnullorum, quos coarguit, Auctorum nomina non ideo reticuiſſe, quia ab Editore enuncianda putaverit, ſed quia ſuppreſſa omnino voluerit, ne cuiquam ulla offenſionis occaſio præberetur. Hæc, aliaque hujuſmodi multa addidit, quibus mihi quoque perſuaſit, fuiſſe conſultius ab adnotationibus abſtinere. Acquievi igitur ejus conſilio ac voluntati, & præter pauculas, quas non tam neceſſitati, quam receptæ ætate hac noſtra conſuetudini ſerviens addam, non committam, ut hac in rè Auctori moleſtus ſim. Illud vero Lectorem hoc loco præmonendum omnino duxi, Parthenium noſtrum, quæ ejus modeſtia eſt, & ingenium ab omni contentione ab-

hor-

horrens, neminem ulla in hujus operis parte deſignaſſe, & illud unum habuiſſe toto hoc in opere propoſitum, non ut artem criticam, eoſque, qui illam cum laude exercent, criminaretur, quod pravi & inſipientis hominis eſſet; ſed unum ejus perverſum uſum, quod omni reprehenſione vacat, redargueret. Neque vero Parthenius ipſe, cenſuram omnem, quodam ſuperbientis animi faſtidio, abnuit; immo autem ſe Lectorum ſuorum judicio & cenſuræ libenter ſubjicere non renuit. Opto redargui me *Cicero inquit de Nat. Deor. lib.* III. *cap.* XL. *& idem Tuſculanar. Quæſt. lib.* II. *cap.* II. Tantum abeſt, ut ſcribi contra nos nolimus, ut id etiam maxime optemus. *Jam, cum tantus vir tanta utatur modeſtia, quis tam arrogans erit, qui omnem reprehenſionem detrectet? Quin ea juſtæ reprehenſionis natura eſt, ut ex illa, præter quam quod admiſſæ culpæ merito animadverſio debetur, ex illa, inquam, non parum, qui ſapiat, proficere poſſit; & ita ſe gerere, ut vel omnem in poſterum reprehenſionem effugiat, vel ſaltem non in eam, ad quam ſemel offendit, iterum ignarus incurrat. Eo etiam illud accedit commodi, ut, cum aliqua reprehenduntur, quæ cenſura præterit, ea recte ſcripta eſſe intelligantur. Quapropter, qui e genere quorundam delicatiorum non erit,* qui vulnus in latere, quod acu punctum videatur, pro ictu gladiatoris putant, *is illa Plinii Epiſtolar. lib.* III. *ad Voconium Romanum, cui Panegyri-*

rieum Trajano Auguſto a ſe dictum miſerat, ſcribentis uſurpabit; Cætera tibi placuiſſe magis credam, ſi quædam tibi diſplicuiſſe cognovero. *Parthenius autem noſter ſollicitus quidem eſt, utrum doctis & eruditis viris placeat nec ne, quorum judicium atque ſapientiam veretur quam maxime, ſed multo ſollicitior eſt, ne cuiquam, juſtæ offenſionis oblata cauſa, diſpliceat. Id ei præcipue cordi eſſe nemo dubitabit, qui ejus indolem atque ingenium noverit. Cæterum, ne longius, quam par eſt, noſtra Præfatio excurrat, omnes, quos has Actiones legere contigerit, præmonitos volo, obteſtorque, ut illud pro certo habeant, Auctorem in iis partim habendis, partim conſcribendis id unum habuiſſe propoſitum, ut reipublicæ, cui operam ſuam in erudiendis ad pietatem atque doctrinam adoleſcentibus, tot annis navavit, hoc etiam edendo opere, aliqua ratione prodeſſet, & Catholicæ præſertim Religioni, quam, immoderata opinandi licentia, in magnum certe diſcrimen adduci omnes boni nunc affirmant ac lamentantur, pro ſua parte conſuleret.*

DE

DE SUMMA

ARTIS CRITICÆ

DIFFICULTATE

AD FLORENTINOS

Actionis I. Liber I.

CUM mihi primum, Florentini, meorum Moderatorum auctoritate prorogatam tradendæ apud vos Rhetoricæ provinciam intellexi, vidiſſemque, veteri more inſtitutoque majorum, mihi ſingulis annis ex hoc loco, non tam ad eos, qui mihi in diſciplinam traditi ſunt, quam, & multo verius, ad hunc lectiſſimum ſapientiſſimumque conventum verba eſſe facienda; ſtatim in eam curam animo & cogitatione incubui, ut id potiſſimum argumenti ad tractandum eligerem, quod & inſtitutæ a me vitæ rationibus maxime congrueret, atque huic tantæ frequentiæ & rerum copia, & præſtantia, & utilitate reſpon-

Digitized by Google

ponderet. Animadverteram jam pridem, Artem Criticam, ſi unquam alias, hoc certe tempore, impenſius exultam; hanc vulgo ab omnibus, qui aliquam litteris impendunt operam, ſummo ſtudio celebratam. Gaudebam equidem, & lætabar vehementer, hunc honorem haberi meritiſsimæ arti, quæ reliquis fere artibus dignitate præſtat, neceſsitate vero longe multumque antecellit. Quid enim non ſolum ad totius litterariæ reipublicæ, ſed ad Religionis etiam ipſius commodum atque utilitatem conducibilius eſſe, aut optari poterat, quam doctiſſimos extiſtere viros, qui in facultates omnes acrius inquirerent, qui, quos in iiſdem deprehenderint, errores corrigerent atque emendarent, qui falſas & ſuperſtitioſas perſuaſiones de hominum animis penitus evellerent, qui ſuum cuique jus tribuerent, qui denique veritatis patrocinium ſuſciperent, eamque in veterem poſſeſſionem, unde diuturnitate temporis deturbata exiſtimari potuiſſet, omni ope, induſtria diligentiaque reſtituendam curarent. Verum, cum hanc ipſam artem ad nonnullos homines adductam viderem, qui eadem per ſummam intemperantiam abutentes, omnia labefactarent ac perderent; quantum ex artis ipſius incrementis lætitiæ ceperam ac voluptatis, tantum ex perverſo ejuſdem uſu capiebam doloris atque ægritudinis. Dolorem porro augebat meum illa cogitatio; Non hac intemperantia ſolum innoxiæ per ſe arti ſummam conflari invidiam, quod aliquo modo ferri poterat; ſed, quod nullo

lo modo ferendum erat, id agi & comparari, ut immoderata opinandi licentia, Religionis ſenſim fundamenta ſubruerentur, & Religio ipſa in apertum certiſſimumque diſcrimen adduceretur. Hoc me angebat quam maxime, & hoc tantum malum, inſtans jam atque ingruens, eſſe prohibendum, atque omnino avertendum arbitrabar. Quapropter illud vehementer optabam, ut ea mihi opportunitas daretur, qua & nobiliſſimam artem ab invidia levarem; &, quantum quidem aſſequi dicendo poſſem, tanto, tamque exitiali ac peſtifero imminenti malo occurrerem. Cupiebam poſſe me de tota artis criticæ ratione, quæ vellem, quæque ſentirem, apud æquos Judices ac Diſceptatores, paullo liberius dicere, & intima animi mei ſenſa hac ſuper re cum iiſdem communicare. Hæc ego cogitabam, & animo imminebam in tempus, quo tempore expetita jamdiu opportunitas mihi offerretur. Hanc autem mihi oblatam eſſe nunc arbitror, Florentini. Dicendum enim apud vos, quorum benevolentiam cum anno ſuperiore erga me ſummam expertus ſim, non dubito, quin eandem, quoties in hunc locum verba facturus aſcendam, mihi ſitis exhibituri. Dicendum apud doctiſſimos & æquiſſimos viros, quorum, quantum ſapientia deterreor, tantum æquitate erigor & confirmor. Dicendum ſæpe, ut propterea prolixa oratione uti poſſim, ſententiamque meam de tota arte critica apertius expromere, & enucleatius explicare. Dicendum denique de rebus graviſſimis & maximis

ximis, neque omnino a Religione disjunctis, quæ merito ſuo excitare vos debent, & attentos tenere, & me ad dicendum vehementius concitare. Ego vero, quantum potero, hac mea facultatis mediocritate, enitar, ut & mihi, & argumento, quod cæteris præoptavi, ne deſim. Non enim in eo orationis genere verſari placuit, quod aut ad inanem eloquentiæ oſtentationem, aut ad vanam eruditionis pompam referretur. Algeat Orator neceſſe eſt, qui non a rebus, quæ tractantur, ſubjectis quibuſdam veluti facibus, inflammetur; dormitent vero auditores, quorum animi, nulla objecta utilitate, quaſi aliquo præſentis lucri, & magni cujuſdam quæſtus irritamento pellecti, ad audiendum erigantur. Hoc mihi neceſſario præcavendum exiſtimavi, & omnino providendum, ne materiæ inopia infantia mea premeretur, & exilitate animi veſtri debilitarentur. Verum, ut in ſumma rerum dicendarum copia aliquis & modus & ordo adſit, tripartita erit totius propoſiti argumenti tractatio. Dicam primum de ſumma Artis Criticæ difficultate; deinde de pravo Artis Criticæ uſu; poſtremo denique de recto Artis ipſius uſu; & hæc a me ſeparatim pluribus Actionibus tractabuntur. Si quis autem futurus eſt, qui tractandi rationem forte reprehendendam, aut arrogantiæ tribuendum putet, quod veterem illam Latini fori contentionem, apud Oratores jam deſuetam, longo intervallo revocare conatus ſim; ſciat is, me ad hujuſmodi dicendi genus ab ipſa materia,

quæ

Digitized by Google

quæ tractari ſine contentione atque inflammatione animorum non potuit, fuiſſe compulſum. Itaque oratio rebus ſubjectis accomodari omnino debuit, & neceſſario rerum ipſarum amplitudini, ac gravitati attemperari. Quæ quidem præcipua cauſa fuit, cur has, quas habiturus ſum, Orationes, Actiones inſcriberem, ut eas ſic inſcribi non tam placuerit, quam oportuerit. Quid vero in hoc dictionis genere effecerim, veſtrum judicium erit. Ego certe nihil mihi ſumo, & ne in ea quidem ipſa arte, quam profiteor, quidquam arrogo. Habetis jam argumentum, Florentini, aut omnibus, quæ tractari fere ab Oratoribus ſolent, anteferendum, aut certe cum paucis, ubertate rerum, dignitate, utilitate conferendum. Habetis conſilium meum, quod Religionem potiſsimum ſpectat, quæ me præcipue ad hanc cauſam ſuſcipiendam attraxit; cui pro viribus, ſi quid potero, hac mea ingenii tenuitate, opitulari conabor. Reliquum eſt, ut & vos me attente audiatis, & ego ab eo, quod primum in partitione poſui, exordiar.

II. Suis omnia momentis expendere, falſa a veris ſecernere, certum de graviſſimis ac difficillimis rebus judicium interponere, aliorum ſcripta cognoſcere, & quid quiſque peccarit deprehendere, caſtigare, corrigere, uno verbo, Critici munus exercere, operoſa res eſt, Florentini, ingens provincia, onus denique majus, quam ut vulgo recipi ac ſuſtineri poſſe videatur. Et ſane, ſi quotquot ad hanc artem, omnium lon-

longe difficillimam, accedunt, Horatianum illud nunquam ſatis inculcandum; *Quid ferre recuſent, Quid valeant humeri*, attento animo reputarent; nec prius ullum ſibi onus ſuſcipiendum arbitrarentur, quam ſuas probe vires exploraſſent, mihi credite, Florentini, aut Criticos requireremus omnino, aut, ſi ſecus eveniret, ii profecto tales eſſent, quorum ingenio, labore, conſilio, induſtria, diligentiaque maximopere juvaremur. Atque hi quidem non admodum multi eſſe poſſent; ut enim quæque ars cæteris dignitate præſtat, ita in ea nonniſi perpaucos excellentes evadere compertum eſt.

III. Quæ cum hujuſmodi ſint, quid cauſæ eſſe exiſtimabimus? cur ætate hac noſtra Criticorum natio ſuccreſcat in dies, & magis magiſque propagetur, ut prope neminem invenire ſit, qui non ſibi Critici munus provinciamque depoſcat. Non equidem aberrare me a vero arbitrabor, ſi dicam; Criticorum numerum nunc quaſi in immenſum excreviſſe, propterea quia, uti inconſultis hominibus nulla unquam tempora non abundarunt, ita hæc noſtra, ſupra reliquas ætates, iſtiuſmodi hominum genere frequentiaque maxime redundant. Hæc nempe, hæc una, eaque veriſſima cauſa eſt, Florentini; nolite ſcrutari aliam, atque inani diſquiſitione animos menteſque veſtras defatigare.

IV. Audiunt belli homines, & ad omnem elegantiam, non tam corporis, quam litterarum, ut ſibi viden-

dentur, effiſti, Criticæ artem ab eruditis & ſapientibus viris celebrari, hanc mirifice extolli, hanc unam reliquis artibus anteponi; hanc maxime utilem, hanc omnino neceſſariam prædicari. Non contradico; immo vero libenter aſſentior. Quid ergo? Eamne idcirco ſtatim ac temere arripias? illine tete confeſtim tradas, ac totum addicas? nullumne prius virium periculum faciendum, ingenii, doſtrinæ, memoriæ? Et vero hæc ars ita præſtans, utilis ac neceſſaria eſt, ut acerrimum ingenium poſtulet, exquiſitum judicium flagitet, memoriam requirat firmam in primis atque tenacem, peſtus denique plurimarum maximarumque rerum copia & varietate completum atque oneratum. Verum hæc fruſtra proponas iis, quos *inſanabile* (1) hanc exercendi artem jam *cacoethes* invaſit; fruſtra rationibus aggrediaris, fruſtra perſuadere contendas, ut illam, ſiquidem ſine ea vitam inſuavem putent, ſibi habeant, ſibi ſolis excolant, vel cum amicis, ſi ita libet, communicent, domi ſe teneant; a publico autem caveant omnino, & prorſus abſtineant. Nihil in hoc eſſe periculi, nihil, quod reprehendi poſſit; contra vero prodire foras rem eſſe plenam diſcriminis, & maxime periculoſam. Hæc, quæ cujuſvis animum commovere vehementer deberent, iſtos ne vel leviſſime quidem perſtringunt, quibus cer-

(1) Juvenalis Satyr. 7. v. 50.

. . . . . *laqueo tenet ambitioſi*
Conſuetudo mali; tenet inſanabile multos
Scribendi cacoethes; & ægro in corde ſeneſcit.

tum deliberatumque jam eſt, quodvis potius ſubire diſcrimen, quam temere ſuſceptum munus abjicere.

V. Et vero, nulla interpoſita mora, ore ad ſeveritatem compoſito, cenſoriam virgam diſtringunt, & neſcio qua amentia, ſive potius furore correpti, Andabatarum more, quos clauſis oculis digladiari conſueſſe accepimus, in quoſcumque, nullo diſcrimine, ſive illos fors objecerit, ſive ipſi ſeſe obtulerint, invadunt, impetum faciunt, tundunt, cædunt, nullus pulſandi finis, nullus plagarum modus, donec eos male acceptos mulctatoſque dimittant. Hunccine ſpiritum? hanccine inſolentiam atque intemperantiam? Efficiam profecto, ſi modo iſti pauliſper triſte illud horridumque ſupercilium deponere, & ſe mihi nunc dociles ac morigeros præbere velint, ut ſpiritus illi immoderati, quibus inſolentius efferuntur, ſi non ex toto reſidant, aliqua ſaltem ex parte detumeſcant. Diſcent ex me, quandoquidem hanc diſcendi opportunitatem nacti ſunt, cujuſmodi ars illa ſit, quam profitentur; quam plena negotii, plena laboris, plena moleſtiarum, plena periculorum; quo explicatio, ſatis facile cuique erit conjicere, quibus ingenii, doctrinæ, judicii, moderationis adjumentis inſtructus is eſſe debeat, qui ſibi Critici munus arroget; quorum ſi unum aliquod iſti in ſe deprehenderint, non repugnabo, quo minus iſthuc ipſum, quod tantopere expetunt, ſibi habeant; ſi vero his ipſis adjumentis, omnino ſpoliatos ſe nudatoſque cognorint,

rint, reliquum erit, ut aut, quod ſtulte ſuſceperunt, abjiciant, aut ſi id recuſabunt, aſſueſcant ſaltem & de ſe moderatius ſentire, & alios in poſterum honorificentius appellare.

VI. Quam in omnibus artibus libero homine dignis ſummam ineſſe difficultatem vel experti novimus, vel expertis credamus neceſſe eſt; hanc certe in arte critica longe graviſſimam reperiemus, ſi ad ejus naturam propius inſpiciendam contemplandamque accedamus. Etenim, quid aliud Criticus (1) eſt, niſi Judex? quid aliud ars critica, niſi ars quædam caſte integreque judicandi? ut proinde, quod in bene conſtituta civitate Judex eſt, id in litteraria republica Criticus ſit. Diverſis quidem vocabulis Criticum, & Judicem appellamus; ſed unam eandemque ſignificationem, diverſa vocum uſurpatione, complectimur. Quapropter Judicis, & Critici dignitas omnino par, idem omnino munus, idem officium; maxima in utroque obeundo, & munere, & officio, difficultas. Quæ quidem cum ex pluribus capitibus repeti poteſt, tum ex eo præcipue, quod, ſicuti a Judice legum perfectam abſolutamque notitiam quærimus; ita a Critico rerum, quæ ſciri poſſunt, plenam cumulatamque cognitionem poſtulamus, quam de-

(1) Greca vox κριτικὸς, deducta eſt a voce κριτὴς, quæ nihil aliud quam judicem ſignificat. Et κριτικοὶ, poematum judices ac cenſores aliorum operum olim dicti ſunt, quales Ariſtarchus, & Ariſtophanes Grammatici fuerunt; dicti ἀπὸ τῶν κριτῶν, id eſt judicibus, qui muſicis agonibus, id eſt, ſcenicis præerant.

nique, labore plurimo maximiſque contentionibus, cum uterque fuerit aſſecutus, poterit ille, cognita cauſa, ſententiam ferre, iſte, oblata occaſione, cenſorem agere.

VII. Videtis opinor, Florentini, me, jam inde ab ipſo aditu ac veſtibulo hujus primæ actionis meæ, paucis oppido verbis, immenſum quiddam comprehendiſſe, qui a Critico rerum, quæ ſciri poſſunt, non circumforaneam quandam, atque a triviis arreptam, ſed eximiam, atque a propriis, unde emanat, fontibus hauſtam ſcientiam requiſiverim. Ita plane eſt, nec ſane video unde major, non hujus ſolum, qua de nunc agimus, verum etiam omnium liberalium artium repeti difficultas poſſit. Quid enim laborioſius? quam tot ac tanta, tam longe lateque diſperſa, quæ ſapientiſſimi viri in omni doctrinarum genere ſcriptis prodiderunt ſuis, ingenio perveſtigare, cognitione aſſequi, memoria ſepire. Quid operioſius? quam recondita illa ac retruſa ſive Philoſophorum, ſive Mathematicorum adyta penetrare, ſcrutari arcana, atque inde latentem veritatem eruere, in lucemqne proferre. Quid impeditius? quam totam antiquitatem, multiplicibus annalium monumentis conſignatam, evolvere atque explicare. Quid denique, ne ſingulas artes percurrat oratio, tam arduum tamque difficile, quam vel unam tantum facultatem ita ſcientia tenere, ut de ea non callide ſolum ſciteque diſputare; ſed etiam, cum opus fuerit, in ſapientiſſimo

morum virorum conſeſſu, tanquam arbiter ac judex, ſedere poſſis?

VIII. Et ſane, ſi rem a vero rectoque ſenſu æſtimare velimus, aliud eſt, animi ergo, & ſuaviſſimæ illius voluptatis percipiendæ cauſa, quam ſecum bonarum artium ſtudia afferre ſolent, alicui facultati operam dare; aliud eo conſilio ad eandem incumbere, ut aliorum non magiſter ſolum & doctor, verum etiam cenſor & judex evadas. Alio ſcilicet modo gladium diſtringere, verſare corpus, ictus infligere, petitiones declinare addiſcitis, qui otii ac pacis amans nunquam fortaſſe cum inimico, nedum cum hoſte concertabit; alio, qui umbræ & quietis impatiens in ſolem, in pulverem, in aciem prodire velit. Ille id unum ferme propoſitum habet, ut, ſi quando ſit ei ad pompam educendus e vagina gladius, illum non inconcinne tractare exiſtimetur; hic vero non concinnitatem ſolum in tractando gladio ac venuſtatem quærit; ſed, qui ſibi de vita dimicandum eſſe intelligat, eo artis potiſſimum cognitionem dirigit, illud contendit, ut certum ictum infligat, & ſe provocantem ſternat atque conficiat.

IX. Quamobrem, ſi qui ſunt, qui eo conſilio litteris vacent, ut ex illis aut in vita ornamentum, aut in otio dignitatem, aut in ſenectute perfugium quærant, fruantur ſane, per me licet, liberaliſſima illa occupatione, quam ſibi præ cæteris propriam eſſe voluerunt, ſuis ſeſe litterulis totos abdant, eas impenſius ex-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

excolant, diligant, ament; me nunquam certe interpellatorum habebunt. Sinam eos, remotis arbitris, liquidiſſimo illo dulciſſimæ voluptatis ſenſu perfundi, qui ex vera germanaque ſapientia, tanquam gratiſſimus aliquis ſuccus, exprimitur. Quin potius, videte quæſo, quam minime gravis & moleſtus iis futurus ſim; tantum aberit, ut illis quidquam negotii creem, ſi non omnia, quæ ejus artis ſunt, cui ſe potiſſimum dediderunt, ſibi diſcenda arbitrentur, ut etiam eos illa ipſa in arte non pauca ignorare æquo animo patiar; ſiqua in re offenderint, ignoſcam, ſi quid erraverint, non iraſcar. Iis ſatis erit, in ea facultate, quam cæteris præoptarunt, multa noſſe, quæ ſunt præcipua non neſcire; reliqua vero, ut etiam ulterius progrediar, facile permittam, ſi ita velint, ut negligant, & inertiæ largiantur ſuæ; laudandi propterea, quod multa ſciant, neque tamen idcirco vituperandi, quod aliqua neſciant. His hominibus tantum denuncio, rem hanc ipſam eſſe difficilem; multum iis, ut, quos quærunt, jucundiſſimos illos ſuaviſſimæ voluptatis fructus percipere poſſint, contendendum, ſudandum multum, non laboribus, vigiliiſque parcendum; hac una in re ipſis fortaſſe moleſtus ero, cætera condonabo.

X. At vero cum de cenſore, cum de Critico agitur, alia res eſt, Florentini, alia ratio, & plane diverſa. Cum his acriter, dure ac ſevere plerunque agi ſolet; nihil ex more communi, nihil propemodum ex hu-

humanitatis jure, nihil benigne, nihil liberaliter. Corriguntur, reprehenduntur, graviſſime caſtigantur, ſi quid forte peccant, propterea quia ſibi illud, contra jus faſque omne, arrogarunt, ut alios corrigerent, reprehenderent, caſtigarent. Quid? tute tibi illud ſumas, ut pro tuo libito, atque adeo libidine, hunc falſitatis arguas, illum mendacii inſimules, qui, quid falſitas, quid mendacium ſit, quid differant inter ſe, turpiter ignores, & unum pro altero indiſcriminatim uſurpes? Diſtinguenda ſunt iſta, nec temere, uti facis, confundenda. In falſitate error; in mendacio improbitas deprehenditur. Errare humanæ infirmitatis eſt; quapropter neque mirum, neque inuſitatum videri debet, ſi homines, docti cæteroquin ac graves, aliquid interdum humani patiantur, & vel nolentes aliquando alios in errorem inducant. Contra vero mentiri, improbi veteratoris habetur, pravi ſubdolique ingenii eſt, aliter ac ſentit aliquid enunciantis, & aliorum vel ignoratione, vel credulitate per ſummam impudentiam nequitiamque abutentis. Quin loquaciſſimis hiſce rabulis os obſtruimus? linguam præcidimus? itaque importunam loquacitatem funditus tollimus, ac radicitus extirpamus? Quin eos ſaltem ad Pithagoreum gymnaſium amandamus? ubi cum tacere didicerint, tum demum recte loqui incipiant.

XI. Hic plerunque de his ſermo eſt; hæc hominum querela, iſta expoſtulatio; dura quidem & vehemens;

veruntamen, ut mihi videtur, æquiſſima. Quid enim magis iniquum excogitari poteſt, quam ab altero rationem eorum, quæ forte in aliqua facultate quiſpiam peccarit, repetere illum, qui hanc ipſam facultatem penitus non cognoſcat, in eoque perſæpe erret, in quo alterum corrigere vult? Eum certe accuſatorem, nemo æquo animo ferre poteſt, qui, cum ipſe aut ambitioſus, aut rapax, aut maleficus ſit, alterius ambitum, furta ac maleficia in judicio perſequatur. Quid? nonne vel privato objurgatori iraſci ſolemus, & vehementer ſtomachari, ſi, quibus ipſe implicetur, ea in nobis vitia perſtringat ac notet? Qui ſibi hoc concedi volunt, non a crimine ſolum, ſed vel ab ipſa ſuſpicione criminis quam longiſſime abſint, neceſſe eſt.

XII. Jam vero, quid de Judice dicendum putabimus? qui, quo majori dignitate præſtat, & cæteris antecellit, eo etiam acriora de ſe, ſi quid ab officii religione deflexerit, hominum judicia experitur. Atqui Criticum Judicem eſſe, ut jam inde ab initio conſtituimus, meminiſſe debetis. Conficitur ergo, ſummam in Critico illius facultatis, ut minimum requiramus, in qua ſibimet correctoris munus arrogat, ſcientiam eſſe oportere; ſummam dico, non vulgarem, non uſitatam, non in medio poſitam, non a quoquam facili negotio parabilem; ſed eam, quam homini vigilanti, diligenti, induſtrio, laborioſo, experrecta mens, ingenium acre, memoria tenax, diuturna exercitatio, uſus denique non

non intermiſſus afferre ſolet. At hoc eſt difficile? immo vero difficillimum. Etenim, ſi, ut plurimum alicui facultati operam dederis, vix poſt ſummos labores, & aſſiduam multorum annorum contentionem, id demum fueris aſſecutus, ut in ea tolerabilis inveniare; quantæ illud difficultatis erit? quam magnæ! quam incredibilis! ita præſtare ingenio, excellere ſapientia, eruditione cenſeri, ut in litteraria republica tete immenſo hoc, ac prope infinito dominationis genere jactare poſſis.

XIII. Quid vero, ſi non unius tantum, vel alterius facultatis cognitionem, quod quidem magnum eſt, ſed omnium præterea facultatum ſcientiam in Critico eſſe oporteat? quantum hæc ipſa augebitur difficultas, de qua loquimur, ac prope in immenſum exaggerabitur? Verum, cum id Critici munus atque profeſſio, quæ nullis fere terminis circumſcribitur, requirere videatur; non utique faciam Critico injuriam, ſi tantum illi onus imponam, & tanta facultatum pene omnium, quarum ab eo cognitionem flagito, acceſſione prægravem. Multa enim Criticus, ut dignitatem tueatur ſuam, ſciat, multa teneat, multa cognoſcat neceſſe eſt; nihil pene illi ad perfectam & numeris omnibus abſolutam ſcientiam deeſſe debet; nihil propemodum ab ipſo impune neſciri poteſt; nihil, ſine gravi quodam, ut ita dicam, piaculo, ignorari. Omnino hæc ars, ſi ejus naturam ſpectes, magnum quiddam, extra-

traordinarium, exaggeratum, immenſum profitetur, ut, quod ab eo poſtulatur, non ex ingenio cujuſquam atque arbitrio, ſed ex ipſius artis natura atque indole poſtulari exiſtimandum ſit.

XIV. Jam in hunc litterarium quaſi cenſum tam amplum, tam copioſum tam locupletem venire, quam arduum! quam difficile! quam laborioſum erit! Quotus enim quiſque reperietur, qui, ætate omni in litteris exacta, tantam doctrinæ vim, tantam eruditionis copiam collegerit, & ita in promptu habeat, ut, cum res, & uſus poſcant, eam non ad inanem pompam, ſed ad certum judicium expromere poſſit atque explicare? Ego quidem nunquam adducar, ut talem ac tantum plurimarum ac reconditarum rerum inſtructum atque apparatum, aut in adoleſcente inconſulto, aut in juvene imberbi, aut vulgo in omnibus, qui Critici nomen ſibi & munus vindicant, reperiri putem poſſe. Quare videant iſti quo progrediantur; quid ſuſcipiant etiam atque etiam conſiderent. Doctrinam probe explorent ſuam, proprii quodammodo cenſus a ſe rationem exquirant; & cum ſe tantas, quantas hæc a ſuis cultoribus ars quærit, opes congeſſiſſe deprehenderint, tum demum de hoc munere cogitent, & ad hanc tantam provinciam adminiſtrandam accedant.

XV. Quod ſi hoc, quod poſui, nimium quiddam atque immenſum videtur, ut re ipſa eſt, & ego quoque non diffiteor, facile iſthuc ipſum illis a me remitti poſ-
ſet

ſet & condonari, ſi ipſi minus ſibi ſumerent atque arrogarent. Cum vero quidquam in ulla facultate ignorare turpe ducant, cum nullis non de rebus diſputare, cum de omnibus ferre ſententiam audeant, cum per omnes artes liberius licentiuſque vagentur, & non tam per illas vagari, quam graſſari velint; quis mihi tandem poterit ſuccenſere, ſi plus, quam ratio ferat, & modus patiatur, ab iiſdem ego in præſentia requiram? Ego vero, ſi recte volunt attendere, non aliud ab ipſis poſtulo, quam quod ſuſcipiunt ultro ac profitentur. Diſcant ipſi primum moderationem in ſuis ſtudiis adhibere, tum ego quoque ipſis moderabor, & poſtulata ipſe mea, ſi eis videntur iniqua, contraham, & intra æquitatis terminos cohibebo. Si vero in propoſito perſtare volunt, perſtabo & ego, nec erit cur me condemnent, ſi ego minime iis temperem, qui ſibi temperare non didicerunt. Ferant igitur onus, quod, nullo cogente, humeris ipſi ſuis impoſuerunt, aut ſi ferre non poſſunt, illud abjiciant; vel ſi nolunt, & in hoc exiſtimationem agi putant ſuam, eo, ut meriti ſunt, opprimantur.

XVI. Sed, quo tandem cumque modo, quem ego nunc non definio, circumſcribenda in Critico ſcientia ſit, certum eſt hanc ipſam ſcientiam ſummam eſſe oportere, ſine qua, cum dignitate, tanta ſuſtineri provincia non poteſt. Ex ſumma autem ſcientia ſummam eſſe artis criticæ difficultatem, efficitur neceſſario, & legitima

con-

conſecutione deſcendit. Nec vero, mea quidem ſententia, minus neceſſario illud deberet effici, hanc ipſam difficultatem eſſe ei omnino declinandam, cui pares illi ſuperandæ vires non ſufficiant. Quid? ſumma, quod demonſtravimus, artis criticæ difficultas eſt; hæc vitari omnino non poteſt ab eo, qui hanc artem exerceat; vires infirmæ ſunt atque imbecilles; nemo te adigit, nemo compellit; tu vero non commovebere? ſponte tua progredieris? ultro accedes? & quam ſuperare non vales, difficultatem temere ſubire non dubitabis? Rurſus; onus grave eſt, iniquum, improbum, intolerandum; nonne, ſi forte illud inconſulto ſuſtuleris, & ſuſtineri a te non poſſe expertus ſis, confeſtim humeris, ſanius amplexus conſilium, excutias, cum præſertim id in tua poteſtate ſit, & quandocumque velis, ſublatum ſupra vires pondus abjicere poſſe atque deponere? Ego vero neſcio an quidquam, non dicam inconſideratius, ſed ſtultius non modo fieri, ſed ne excogitari quidem poſſit, quam diverſo, atque indicavi, modo ſe gerere, & ſanioribus conſiliis omnem penitus aditum intercludere. Hæc clara ſunt, atque perſpicua, quæ videre vos arbitror, Florentini; utinam æque, atque vos, iſti videant, quos res iſta maxime ſpectat, & quorum gratia hæc actio eſt a me potiſſimum inſtituta.

XVII. Verum nolite putare mihi adhuc cum his hominibus rem eſſe. Nondum enim conſeruimus manus, nondum animi calent, nondum fervet oratio. Proluſio

quæ-

quædam iſta fuit, atque umbratilis pugna, in qua, ſi iſti prope nulli repeti ſunt, capite quæſo conjecturam, quid de iis in ipſo certamine futurum exiſtimetis. Ea quidem dixi, quæ cujuſvis animum commovere debent; ſed iſtos mihi vehementius excutiendos eſſe video, & rei difficultatem ita exponendam, ut non tam animo percipi poſſit, quam oculis quodammodo cerni; manibuſque contrectari. Quod quidem facilius aſſequar, ſi iſtos eo deducam, quo minime volunt, & memet ita circumſcribam, ut in una tantum, vel altera facultate conſiſtam, & hujus ipſius facultatis ab iſtis ſpecimen aliquod edendum curem. Sic enim certius explorantur ingenia, & intempeſtiva loquacitas aut acribus verbis caſtigatur, aut crebris interrogationibus irretitur. Vos interea, Florentini, quibus arbitris ac diſceptatoribus in hac cauſa uti placet, ad ea, quæ dicturus ſum, uti hactenus feciſtis, diligenter attendite; & cum me, vel paullo familiarius cum uno aliquo ex hiſce Græculis (neque enim graviſſimum Critici nomen merentur) agentem, vel paullo acrius diſputantem audietis, cum tota Græculorum gente loqui putatote.

XVIII. Heus tu, qui tantum tibi ſumis, ut de doctiſſimis ſæpe viris judicium feras, ecquid tandem de arte critica ſentis, quam profiteris? facilemne, an difficilem eſſe putas? Facilem enim vero eam exiſtimes neceſſe eſt, qui ad illam, vix ab adoleſcentiæ finibus egreſſus, tam mature accedere non dubitaveris. Rurſus quæro;

ro; eamne tibi videris comparaſſe ſcientiam, quam, ad tantum munus cum laude obeundum, Critico neceſſariam eſſe demonſtravimus? Hic quoque non eſt, cur mihi percontanti reſpondeas, qui ex nitida cute iſta tua, vibrato capillo, fracto inceſſu, toto corporis habitu molli ac delicato, quæ certiſſima ſunt otii ſigna atque deſidiæ, non laboris indicia & vigiliarum, quantum videlicet in ea tibi comparanda contenderis; ſatis certo mihi collegiſſe videor. Facilem igitur hanc artem putas; ego contra valde difficilem. Age vero, quandoquidem non ſatis convenit inter nos, incipiamus de tanta re, amico ſane animo ac perbenevolo experiri. In Hiſtoria ſi placet, in qua præcipue te jactare ſoles, ac propemodum dominari, hujus ipſius difficultatis, de qua ambigitur, periculum faciamus. Sacrane vis? an profana? an utraque? Exordiamur a ſacra, (1) quandoquidem, quo eruditior ab æqualibus tuis habeare, eam præ cæteris adamaſti, & ubi vix illam nominavi, hanc potiſſimum velle te, annuere mihi ac ſignificare viſus es.

XIX. At vix ſacra Biblia in manus ſumo, quot & quanta occurrunt! quam recondita! quam implexa! quan-

(1) Si cui forte videbitur alienum ab adoleſcentis perſona, quæ, vitandæ offenſionis cauſa, hic inducitur, eruditionis & ingenii ſpecimen in ſacra Scriptura capi, is legat, quæ ad Paulinum S.Hieronymus ſcribit. „ Quod medicorum eſt, promittunt medici, tractant fabrilia fabri; ſola ars Scripturarum eſt, „ quam omnes paſſim ſibi vindicant, „ hanc garrula anus; hanc delirus „ ſenex, hanc ſophiſta verboſus, „ hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent.

quam impedita! (1) Cave primum ex his libris quidquam contemnendum putes. Nihil illis vetuſtius, nihil ſanctius, nihil majori religione conſecratum. Nihil in iis temere ſcriptum, quod emendare cogites, nihil redundans, quod circumcidere, nihil minus utile, quod amputare, nihil, quod addere (2) mediteris. Si doctiſſimos & eruditiſſimos viros audias, litteræ, apices, puncta, omnia divinorum plena ſacramentorum (3). Verba quidem latina ſunt, Hieronymo ſanctiſſimo ac do-

(1) S. Auguſtinus Ep. 3. „ Publice, *inquit*, profiteor tantam eſſe „ Chriſtianarum *profunditatem* litterarum, ut in iis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte „ ætate uſque ad decrepitam ſenectutem, maximo otio, ſummo „ ſtudio, meliore ingenio conarer „ addiſcere. „ Idem lib. 12. Confeſs. c. 14. „ Mira, inquit, eloquiorum „ tuorum *profunditas* eſt .... Horror eſt intendere in eam; horror „ honoris, & tremor amoris. „ S. Gregor. Magnus hom. 5. in Ezech., & in Proem. in lib. Reg. ſacram Scripturam cum mari, & vaſta quadam ſylva comparat.

(2) Si quis locus eſt in novo Teſtamento, qui maxime torſerit omnes Enarratores, is profecto eſt, qui occurrit Mar. cap. 16. ver. 2. *Et valde mane, una ſabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam ſole*. Incredibile dictu eſt, quot & quanta, irrito fortaſſe conatu, Interpretes excogitarint in hunc locum, quem una tantum expuncta vocula, *jam*, & ſubſtituta voce *nondum*, feliciter explicare potuiſſent. Hoc tamen a nemine fieri decuit, ne, hoc ſemel aditu recluſo, via ad ſimilia audenda in ſacris codicibus patefieret. Legatur Maldonatus in cap. 28. Matth. ubi accuratiſſime hunc locum expendit, & inter alia, quæ eruditiſſime perſequitur, hæc habet. „ Sunt, „ qui Marci locum corrigant addita „ negatione. Eſſet quidem aptiſſima „ ſententia, ſi ut iſti Auctores volunt, legeretur; ſed, ut ſæpe admonemus, non eſt tam obſcuris „ indiciis Scriptura, quæ nobis *ſanctiſſima* eſſe debet, corrigenda.

(3) Poſſevinus Bib. ſelect. lib. 2. tot eſſe in hebraica Scriptura ſacramenta, quot ſunt litteræ; tot myſteria, quot puncta; tot arcana, quot apices, affirmat. Idem alii ſentiunt, quorum afferre auctoritatem ſuperſedeo.

doctiſſimo viro, partim interprete, partim recognitore; ſed quorum bene multa, quod neceſſe fuit, idiotiſmis ad hebraicam linguam accedant (1), quam ignoras omnino, multa etiam eadem de cauſa ad græcam, quam vix ac ne vix quidem intelligis. Ad harum autem linguarum originem, & quaſi fontem, ut certum ſententiarum ſenſum aſſequaris, quam ſæpe deveniendum erit? Examinanda vocabulorum proprietas, expendenda vis, poteſtas inveſtiganda, & vera inde rerum ſignificatio ſubtiliter elicienda.

XX. Tu vero noli hæc contemnere, perinde quaſi minima ſint, & quæ tibi nullum faceſſere negotium poſſint. Contemnenda, mihi crede, iſta non ſunt, neque minimi a quoquam facienda, quæ magnas ſæpe, inter doctiſſimos viros, ſuper obſcurioris alicujus ſacræ Scripturæ loci intelligentia, controverſias excitarunt. Hæc certe Heterodoxi facienda plurimi ſemper duxerunt; in his magnum ineſſe momentum ad ſuas opiniones confirmandas exiſtimarunt, qui graviſſimas ſæpe lites de una vocula Catholicis intulerunt. Neque vero erit, cur ad Vulgatam, quam appellant, confugias, in illamque, tanquam in arcem aliquam, te recipere medite-

(1) S. Auguſtinus de Vera Relig. cap. 50. „ Habet, inquit, omnis lingua propria genera locutionum, „ quæ cum in aliam linguam transferuntur, videntur abſurda. S. Hieronymus adverſus Ruffinum. „ Niſi, *inquit*, prolixum eſſet, & re„ doleret gloriolam, jam nunc tibi „ oſtenderem, quid utilitatis habeat „ magiſtrorum limina terere, & ar„ tem ab artificibus diſcere, & vide„ deres quanta ſylva ſit aput He„ bræos ambiguorum nominum at„ que verborum.

diteris. Te illic acerrimi adverſarii adorientur, illincque dejicient, qui receptam ab Eccleſia verſionem repudiare non dubitant, & te ad primigeniam linguarum originem certiſſime provocabunt. Tu vero quid ages? cum te huc iſti vel invitum pertrahent, & certamen recuſare honeſte non poteris. Clamabunt illi, & quantum poterunt, voce contendent, corruptos eſſe ſacros codices, male expreſſas latine ſententias; perverſam, ut ipſis videtur, multorum locorum interpretationem objicient, linguarum ignorantiam exprobrabunt, implorabunt hominum fidem, cælum ipſum, ſuperos omnes obteſtabuntur. Quomodo tot clamores, vociferationes, convicia ferre poteris ac ſuſtinere? quomodo homines, non ineruditos illos quidem & indoctos, convinces? quomodo linguarum peritia inſoleſcentes tacere coges atque obmuteſcere? Nonne tu contra, ignoratione linguarum, os iis tacitum præbere cogeris?

XXI. Auctor ſacrorum codicum omnium Deus eſt; hominum in iis excipiendis librarii (*a*) partes tantummodo. Hoc nos Catholici fatemur & credimus; & idcirco nullum eorum, quos Vulgata nobis exhibet editio, & Tridentini Concilii commendat auctoritas, repudiamus, omnes recipimus, omnes amplectimur, omnes, uti par

(*a*) Melchior Canus de Loc. Theol. lib.2. cap.1. Libros ſacros & canonicos appellamus, quos Spiritu Sancto dictante ſacri auctores exceperunt ... Scripturarum auctor non homo, ſed Deus eſt. *Dominus* enim *narrabit in ſcripturis populorum & principum horum, qui fuerunt in ea.* Dominus itaque hujus loci auctoritatem tuetur, tuentur & principes.

eſt, tanquam *digito Dei vivi* (*a*) conſcriptos debita veneratione proſequimur. At ii, qui diverſam a noſtra religionem ſequuntur, multo aliter opinantur; hoc ipſum pertinaciſſime negant; alii alios admittunt, nemo omnes. Exſpecto, dum horum rationes invicte refellas, argumenta confutes, homines convincas & adigas, nullum ut reſpuant, omnes recipiant.

XXII. Sed propius accedam, & magis ac magis intrabo. Quid ages? cum facta factis adverſantia, ſententiæ ſententiis contrariæ, haud raro occurrent; non re quidem ipſa, cum veritas veritati non contradicat; ſed ita tamen oppoſitæ ſecum in ſpeciem ac pugnantes, ut cuique vel ingenioſiſſimo faceſſere negotium poſſint. Abraham, ut habetur Geneſis cap. 11. a ſeptuagenario patre ſuſceptus eſt, ſic enim fert communis opinio; quî fieri potuit, ut annos ſolum ſeptuaginta quinque natus eſſet, cum patre ducenteſimum quintum annum agente orbatus eſt? Exſolve nodum, valde, uti vides, complicatum, & qui multo adſtrictior eſt, quam tenaciſſimus ille Gordii nodus perhibetur. Ochoſias lib. IV. Regum, cum duos ſupra viginti annos haberet, regnum eſt auſpicatus; Paralipomenon vero lib. II. ejus regni exordium ab anno ipſius quadrageſimo ſecundo ducitur (*b*). Unde tam ſubito duæ iſtæ annorum ſolidæ deca-

(*a*) S. Gregorius Magnus Epiſt. 84. ad Theodorum lib. 4. „ Quid eſt autem Scriptura ſacra, niſi *quædam* „ *epiſtola* omnipotentis Dei ad creaturam ſuam? . . . . Stude ergo, „ quæſo, & quotidie creatoris tui „ *verba* meditare.

(*b*) Multo aliter, ac ſupra Maldo-

cades ejus imperio accreverunt? Tu videris. Interim ego plane illud video, tibi diu multumque deliberandum ante ac concoquendum, quam quidquam rati hac ſuper re conſtituas atque definias. Joramus Ochoſiæ pater duos & triginta natus erat annos, cum regnare cœpit; octo vero annos imperitavit; porro, ut dixi, Ochoſias ejus filius, cum alterum ſupra quadrageſimum annum ageret, regno eſt admotus; biennio igitur, cum nuſquam interregni veſtigium appareat, ſenior erat patre filius. Hæc quoque valde implexa res eſt, & difficiles admodum habet explicatus; ſed quo implexior ac difficilior, eo ſapiente & erudito Critico dignior exiſtimari debet.

XXIII. Pergamus ulterius. Quid dices? cum in libro Eſther leges, cap. III. ver. x. & cap. XVI. ver. x. Amanem Amalecitam, & ſimul gente Macedonem ad Macedones imperium transferre voluiſſe. Hoc loco offenſi Hæretici additamenta libri Eſther audacius rejicere non dubitarunt. Nonnulli vero Catholici Interpretes hiſtoriam Eſter ad ultima Perſici imperii tempora diſtulerunt. Quid? cum occurret Macabæorum lib. I. cap. XII.

 ver.

donatus, in hunc locum nobilis recentior Interpres. „ Inani, *inquit*, „ prorſus labore conantur Interpretes „ loca hæc adeo oppoſita conciliaturi. At brevius expeditiuſque eſſet „ fortaſſe aſſerere, Paralipomenon „ locum a librariis vitiatum eſſe. „ Utrumne magis periculoſum eſt, „ aſſerere Librariorum incuria mendas quaſdam in ſacros libros obrepſiſſe, an perſpicuas fateri eſſe „ in iis contradictiones, atque ad „ eas ſolutiones confugere, quæ ne„ quaquam ſatisfacere poſſint?

ver. xxi. Arii Spartæ Regis ad Oniam epiſtola, qua in epiſtola hæc habentur; *Inventum eſt in ſcriptura de Spartiatis & Judæis, quoniam ſunt fratres, & ſunt de genere Abraham* (*a*). Unde iſta cognatio Spartiates inter & Judæos? Aude aliquid hoc loco dicere, & de tuo penu, quod veram doctrinam ſapiat, expromere. Eſt, eſt inquam Critici, eſt ſapientiæ tuæ & eruditionis, ſacrarum Scripturarum loca, quo obſcuriora ſunt, illuſtrare clarius, quo implicatiora, explicare felicius.

XXIV. Quid illa, quæ diverſo in genere in Scripturis inveniuntur, & quæ implexas gignunt controverſias; quam facilis, quam expeditæ putas ſolutionis? Illa inquam de Aſſur, qui Geneſis cap. x. Niniven condidiſſe dicitur; de ædificatione Babylonis, cujus non unus & idem conditor memoratur; de Juditha, quæ Holoferni caput amputavit; de captivitate Babylonica; de inſtauratione templi; de Chaldæis Regibus, de Sennacheribo, de Salmanaſſare, de Nabuchodonoſore, de reliquis, quorum opes immenſæ prædicantur in ſacris Bibliis. Te rerum multitudine tanta ſatis oppreſſum video; ſed quod tua ſponte ſuſtuliſti onus, honeſte non potes abjicere; aut illud feras, aut eo opprimaris neceſſe eſt. Culpam in ipſum te, non in me confer, qui facile iſto te onere, ſi modo tu non renuiſſes, liberaſſem.

XXV. Aude etiam aliquid de Prophetis attingere. Age,

(*a*) Legendus in hæc duo valde implexa ſacræ Scripturæ loca Turneminius in Appendice II. ad Diſſertationem Poſſini de Aſſuero Eſtheris marito, quæ feliciſſime vir doctiſſimus & eruditiſſimus explicat.

Age, celeberrimum Nabuchdonoſoris de ſtatua ſomnium, & arcana illa Danielis reſponſa interpretare. Dic, amabo te, quanam potiſſimum ratione, quo ordine, qua ſerie Chaldæorum, Perſarum, Græcorum, Romanorumque imperia deſcribes atque partieris? Cuinam potiſſimum aurum, argentum, æs, ferrum, ac teſtam ita tanquam propria adjudicabis, ut, quod uni dederis, alteri ademiſſe non videare. Male metuo, ne dum ſtatuæ hujus quandam quaſi imaginem animo adumbras tuo, *Velut ægri ſomnia, vanæ Fingantur ſpecies, ut nec pes, nec caput uni Reddatur formæ*; itaque Horatiano illi monſtro ſimile quiddam irridendus efficias.

XXVI. Sed digrediamur ab iſta ſtatua, quam non ſatis tibi arridere video, &, ſi libet, ad pervulgatum illud Danielis de Chriſto vaticinium veniamus, mihique aliquid de abditis illis ac retruſis ſeptuaginta hebdomadarum myſteriis ediſſere, & paullo fuſius atque enucleatius expone. Hoc loco, quemadmodum reſponſurus, quid excogitaturus ſis, audire cupio. Quæro primum, hebdomadas haſce anniſne, an diebus? ſi annis, lunaribuſne, an ſolaribus conſtare dices? Annis, inquies, & quidem ſolaribus. Ita ſane. Quæro deinde, undenam horum annorum exordium capies? Eoſne ab regno Cyri, an Artaxerxis numerare incipies? Si a regno Artaxerxis; ſic enim reſpondes; percontor ulterius, exordieriſne ab anno illius ſeptimo an viceſimo? an viceſimo tertio? an ſeptimo & viceſimo? Locus profecto valde diffici-

cilis & maxime vadoſus, quo navigio iſto tuo male contexto atque compacto delatus cum eris, neſcio quomodo enavigare feliciter poteris; & ubi, niſi me conjectura fallit, hærere miſerabiliter cogeris, & progredi ulterius fruſtra conabere.

XXVII. Interea vero, dum multa tu nequidquam moliris, nec habes, quo progrediare; progrediar ego, atque intrabo etiam magis. Quid? commoveri mihi videris; confirma tete, tu te collige, vide qui ſis, quid tibi muneris ſumpſeris; quam provinciam ſuſceperis, quam denique perſonam geras, tibi propone. Non eſt iſtius dignitatis, muneris, officii, ob tantulas res, tam cito animum deſpondere. Pergamus igitur ad reliqua. Quid ages? cum ad infinitam illam, & inde uſque ab ipſius exordio mundi altius repetitam, & prope inextricabilibus maximarum difficultatum ambagibus impeditam temporum ſeriem, & tot annorum ſæculorumque rationem ventum erit? Proh ſuperum atque hominum fidem! quantum vexaberis! quas in anguſtias conjicieris! quantum torquebere! Te indictiones, te cycli illi, quos vocant ſolares, te, quos appellant lunares, te olympiades, te Juliana periodus, te regnorum initia, te plures eodem nomine appellati Reges, te ipſi præſertim ſeptuaginta Interpretes, ſingulis generationibus annos centum aſſignantes, incredibilem in modum impedient, ac miſerrime diſcruciabunt.

XXVIII. Verum te ad Chriſti Reparatoris adventum oppe-

opperior. Habebis hic, ſi quid ingenio vales, memoria polles, eruditione præſtas, ubi exquiſitam illam ac reconditam temporum, ætatum, regionum, imperiorum, linguarum, antiquitatis ſacræ & profanæ, mixtæ ex ſacra & profana, Hiſtoriæ denique totius ſcientiam oſtentes. Sume animos, campus hic eſt, uti vides, longe patentiſſimus, in quo te, quantum libuerit, jactare poteris. Erige igitur tete, & confirma, nemo tibi cancellos circumdat, nemo te coercet; nuſquam gentium, mihi crede, amplior facultas datur & exſultandi liberius, & licentius inſultandi. Scito tamen (hoc autem commonendi tantum cauſa, non deterrendi animo dicam) ſcito inquam nonnihil hoc ſuper negotio inter auctores eſſe diſſidii. Non enim ſatis adhuc inter eos de tanta re convenit, alii aliter ſentiunt; & ſi controverſiam ab ultimo, unde ducitur, capite arceſſere velis, aliquot tantum, nimirum nonaginta & eo amplius, variæ diſcrepanteſque ſententiæ recenſentur. Deus immortalis! quot ſemitæ! quot diverticula! quot anfractus! quæ disjunctiſſimarum divortia viarum! An ullos unquam Mæandros? an Labyrinthos unquam ullos, tot tantiſque, ac tam inextricabilibus errorum ambagibus impeditos aut exſtitiſſe, aut a Poetis excogitatos fuiſſe exiſtimabimus, qui cum tanta ac tam incredibili tot inter ſe diſcrepantium ſententiarum copia ac varietate conferri aliquo modo poſſe videantur?

XXIX. Jam, ex tot viis, tam multiplicibus, lubricis,

dubiis, ancipitibus, incertis, in diverſa, in oppoſita tendentibus, quam eliges? cui inſiſtes? cui te potiſſimum committes? Unam tandem aliquam, quam tutiorem exiſtimaveris, ingreſſo, quam lente! quam caute incedendum erit! quam ſæpe reſiſtendum! quam, & multo ſæpius regrediendum! ſi modo æque obvius ac facilis tibi ſeſe obtulerit egreſſus, ac patuit introitus. Sed illud certe omnino fieri neceſſe video, ut in impeditiſſimo itinere conſtitutus, tot viarum, partim varietate, partim ſimilitudine, partim occurſu, partim incurſu deceptus, omni conſilio deſtituaris; hac illac incertus feraris, ac errabundus vageris; & demum, poſt varios errores, ad caput, unde diſceſſeris, iterum iterumque revolvare. Dicam clarius atque apertius. Qui poteris, ſiquidem in tantam audeas te controverſiam conjicere, ingenio iſto tuo tot tantaſque ſententias, tam varias, tam contrarias inter ſe ac diſcrepantes diſtinguere, recenſere, ſeparare, examinare, cognoſcere; ac poſtremo eas ita invicem contendere, ut cæteris, partim damnatis, partim rejectis, partim conciliatis, tolerabiliorem probabilioremque excipias & ſeligas? Quavis ſponſione cadam, ne quid gravius dicam, ſi tu is eris, qui hujus perplexiſſimæ controverſiæ & principium invenire, & exitum poſſis evolvere.

XXX. En ſacra illa, qua tantopore tibi places, cujus peritiam oſtentas, hiſtoria. En, quot difficultates in ea occurrunt, crebræ, graves, moleſtæ, quæ ſuperari

vix

vix ac ne vix quidem poſſe videantur. Satis mihi videor ad rem, de qua agimus, acceſſiſſe; ſatis, quod demonſtrandum ſuſcepi, expoſuiſſe. Veruntamen, quam hactenus ſum perſecutus, multo minima pars eſt maximarum difficultatum, quas, ſi per tempus licuiſſet, perſequi potuiſſem. Nam quis illas aut numero aſſequi, aut oratione complecti poſſit? quæ ſive ex primigeniarum interpretatione linguarum, ſive ex multiplici vocum ſignificatione, ſive ex vario terrarum ſitu, ſive ex diverſa provinciarum deſcriptione, ſive ex moribus inſtitutiſque nationum, ſive ex ducta ab orbe condito annorum ac ſæculorum ratione, ſive ex contentione hiſtoriæ ſacræ cum profana, ſive ex divinorum Scriptorum conſenſione, ſive ex aliis innumerabilibus capitibus emergunt, quarum ſi præcipuas tantum recenſere vellem, me vox, latera, vires, ipſe certe dies deficeret.

XXXI. Sed video quid mihi hoc loco reſponſurus ſis; & reſponſionem anteverto tuam, quæ tibi ſuffragari nullo modo poteſt. Dices, difficiliora ſacræ Scripturæ loca fuiſſe jam a ſapientiſſimis viris explicata, quorum labore, doctrina, eruditione & notitia linguarum juvari poſſis. Hoc, opinor, mihi reſpondes, hoc dicis; quod quidem ſi alius quiſpiam diceret, aliquid momenti haberet; cum vero a te dicitur, nullam vim habet, niſi forte ad augendam hanc ipſam, qua premeris, exaggerandamque difficultatem. Non enim a te, pro ſuſcepti muneris officio, qualiſcumque divinarum peritia Scriptu-

pturarum quæritur, ſed intima earundem, ſingularis & exquiſita cognitio poſtulatur. Meminiſſe debes, te non exſcriptorem, ſed cognitorem; non ſubſcriptorem, ſed Criticum; non rabulam & cauſidicum neſcio quem, ſed Judicem eſse oportere. Porro Judex non aliorum tantum ſententias exquirit, ſed in eas inquirit acriter, rationes attente perpendit, argumenta ſubtiliter examinat, omnia cognoſcit diligentiſſime, ac tum demum judicium interponens ſuum ſibi rem ita ſe habere videri pronunciat. Hoc ego a Critico poſtulo, atque adeo a te meo jure flagito, qui Critici tibi nomen arrogaris, munuſque ſuſceperis. Non eſt hujus artis tuæ ab aliis diſcere, & quæ didiceris, indicare; ſed docere, & de iis ipſis, quæ alii docuerunt, judicare.

XXXII. Reſtaret modo, quandoquidem ſatis de divina hiſtoria diximus, ejuſque ſpecimen captum eſt, reſtaret inquam, ut te ad eccleſiaſticam & profanam hiſtoriam provocarem, & quid ego interrogando, & quid tu reſpondendo efficere poſſes, experirer. Atque in his etiam difficile mihi, credo, eſſet, te in omnes partes verſare, te præcipitem agere, & novum de te ſpectaculum adſtantibus exhibere? Quanti enim putas laboris futurum, quanti ingenii oſtendere, quam impedita hiſtoria, ſive eccleſiaſtica, ſive profana eſſe neceſſario debeat, cum tantis obſepta difficultatibus divina ſit? Nihil opinor facilius, nihil expeditius. Nam ſi hiſtoria divina, in qua conſcribenda, non invidia, non odium, non iracundia,

dia, non ambitio, non reliquæ animi minus rectæ permotiones, quæ omnes omnium fere gentium annales corruperunt; &, quod præcipuum eſt, non mendacium, ſed una veritas dominata eſt, tantis tamen laborat incommodis; quantam in reliquas reliquarum ſive nationum, ſive regnorum hiſtorias, in ipſam etiam eccleſiaſticam, invectam iſtiuſmodi eſſe vim exiſtimabimus incommodorum? Illud quoque reliquum eſſet, ut te experiundi cauſa, ad ſingulas deinceps facultates pertraherem, & in unaquaque pauliſper conſiſtens, tentarem an, ut tu eſſe te exiſtimas, item re ipſa ſis, Dialecticus, Phyſicus, Mathematicus, Geometra, Aſtronomus, Theologus, Philoſophus, Philologus, cætera. Verum, quoniam nullum exitum habitura eſſet oratio mea, ſi omnia perſequi vellem, totam hanc actionis meæ partem, multo, quemadmodum vides & ad agendum uberrimam, & ad demonſtrandum facillimam, ad alia feſtinans, tibi remitto ac condono.

XXXIII. Itaque his omnibus de mea oratione præciſis, & expoſita jam ſatis, quod ad rerum cognitionem attinet, artis criticæ difficultate, ad illa gradum facio, quæ a me præteriri non poſſunt, & quibus artis ipſius uſus continetur, unde graviſſimæ emergunt difficultates, quæ non modo te, qui quam tibi doctrinam paraveris, ſatis oſtendi, ſed vel ſapientiſſimum quemque ab eadem arte deterrere poſſunt. Critica, ſi bene ejus indolem novi, ars eſt hujuſmodi, quæ domi ſedere obſcu-

ſcura, & privatis latebris contenta eſſe non poteſt; avet, geſtit erumpere in publicum; tenebras odit, lucem amat, hominum conventu frequentiaque delectatur. Præterea otii & quietis impatiens eſt, litigioſa, & natura pugnax, hac ut de cauſa ei ſæpe in medium contentionis atque diſcriminis progrediendum ſit. Quapropter munita omni ex parte eſſe debet, quo hoſtium impetus & excipiat interrita, & repellat invicta. Non eſt cur unquam de pace cogitet, cur ſibi quietis ſpatium concedi velit, cur momento temporis libere reſpirare poſſit; ſemper excubandum, vigilandum ſemper, ſemper ei arma geſtanda ſunt, quibus aut hoſtes laceſſat, aut ſe protegat laceſſita. Hæc, niſi fallor, artis criticæ indoles, hæc natura eſt, hæc conditio. Hoc Criticus profitetur, ad hoc paratus ſemper eſſe debet, ſemper promptus ad hoc, ut aut bellum inferat, aut ſuſtineat illatum. In hoc quoque tibi mecum conveniat neceſſe eſt; neque in eo diſconveniat, magnam hinc oriri difficultatem, quæ ex ipſius artis uſu, quemadmodum dixi, ſe ſe effert atque emergit. Difficultatem porro hanc ego nunc breviter oſtendam, & denunciabo moleſtias, quo tibi conſulere tempeſtive poſſis atque proſpicere.

XXXIV. Et ſane, ſi a me, qui nullius prope ingenii homo ſum, tantum tibi negotium creatum doles, quanto gravius moleſtiuſque vexaberis, cum foras prodeundum erit, & cum acerrimis adverſariis dimicandum. Si in hac privata noſtra contentione nullus inventus

es,

es, quid de te in publica futurum erit, quæſo, conſidera. Neque enim (niſi a me peramanter admonitus conſilium forte mutaveris) Aſpendium illum cithariſtam, quem ſibi intus canere Græci ajebant, imitabere; artem nimirum ut criticam tibi ſoli habeas, & ad uſus tantum privatos tuos conferas; quod quidem ſi de te mihi quiſquam præſtare potuiſſet, aut ab hac contentione noſtra ſuperſediſsem omnino, aut hic certe finem dicendi facerem; ſed levi inanis gloriolæ cupiditate abreptus, voles magnis inimicitiis clareſcere, & potentiorum accuſationibus adoleſcentiam tuam honeſtare. Quin, ſi bene te novi, jam nunc animo typos ac præla meditaris, & neſcio quam nominis perennitatem immortalitatemque mente agitas, & cogitatione præcipis.

XXXV. Sed perge porro, quo te iſta tua rapit amentia, & inconſulta cupiditas præcipitem agit. Fac te publico committas; *fac aſperum tactu leonem provoces; fac remorſurum petas*. Libellus quidem ille tuus ſumma cura, ut tibi videtur, elaboratus in lucem tandem prodibit, venuſtiſſimis formis impreſſus, quam leviſſima membrana circumveſtitus, additis emblematis, pictis umbilicis, comptulus totus atque concinnus, nihil ut auctori ſuo de nitore elegantiaque concedat. Veniet in manus hominum, volabit, circumferetur; vulgo legetur, pervolutabitur; laudabitur etiam, typorumne elegantia? an auctoris ingenium? non facile dixerim. Tu homo videlicet callidus & peracutus, nihil diſtinguere, quid-

quidquid oblatum fuerit, arripere, & præ gaudio ac lætitia propemodum colliqueſcere. Menſis unus, alter, plures abibunt; belle omnia procedent, atque ex ſententia; nemo tibi negotium faceſſet, nemo moleſtiam creabit. Lætor, & quidem ex animo; tibi gaudeo, tibi proſperum gratulor non exſpectatumque ſucceſſum. Non enim putabam tantum quietis atque otii tibi conceſſum iri. Verumtamen, ſi me audis, non eſt cur præpropere, quaſi de certa victoria exſultes, & triumphum tibi propemodum depoſcas. Exſpecta pauliſper, dum, quod latet, in lucem prodeat, & quod adverſarii in te machinantur tui, tandem aliquando ad perniciem tuam atque exitium erumpat.

XXXVI. Veniet, veniet inquam, præter omnem exſpectationem, tempus, quo tempore, te eo vehementius, quo ſerius oppugnatum ſenties; & tum demum intelliges tibi futuram rem eſſe cum hominibus & ad reſpondendum paratiſſimis, & in dicendo exercitatiſſimis. Jam nunc videre mihi videor, quemadmodum iſti miſerum libellum illum tuum, quem bonis avibus in lucem exiſſe arbitrabare, excuſſuri ſint, ſive te potius quam omni ratione in omnem partem exagitaturi. Initium ducent ab ipſa lingua, ſive latino, ſive vernaculo ſermone ſcripſeris. Culpabunt obſoletas abjectaſque voces, notabuut præpoſtera tempora, barbaram ſyntaxim reprehendent, totum denique orationis genus inconditum atque horridum condemnabunt. Digreſſi a lingua propius ad

ad ipſum opus accedent, ſingulas ejus partes diſpicient, omnia ſagaciſſime inveſtigabunt, ſcrutabuntur, ſpeculabuntur. Tum vero erumpent ea, quæ aut errore deceptus, aut improbe mentitus, aut ſupine dormitans, aut furioſe declamitans, ſubito quodam efferveſcentis animi impetu concitatus effuderis. Tum primum agnoſces te longe a ſcopo, quem unice propoſitum habere debebas, aberraſſe; aerem proinde, ut ajunt, verberaſſe, multa, a re, a cauſa, a tempore aliena dixiſſe, hoſtem, quem ferires, finxiſſe; plurima quidem effudiſse verba, ſed nunquam ad rem ipſam, de qua agebatur, genere ſuo diſtinctam, diſtributam in partes, certiſque terminis definitam ac coercitam deveniſse. Efferebare demens inter ſcribendum; multa de vitiis temporum congerebas, multa de corrogatis undique odioſis adminiculis coacervabas, aliaque inepta hujuſmodi, quo majorem in invidiam adverſarios adduceres tuos, perſequebare; ignorans videlicet, hoc quidem modo imperitæ multitudini a te imponi poſse, ſed ſapientibus & egregie cordatis viris, in quorum manus tua ſcripta ventura erant, omnino non poſse.

XXXVII. Audi in hanc rem Oratorum diſertiſſimum, & Philoſophorum Juriſconſultorumque peritiſſimum, atque ad mirandam ſapientiſſimi viri, tibi vero minime familiaris, eloquentiam aures iſtas tuas accomoda, &, dum licet, a tanto magiſtro diſce hærere in cauſa, nec facile extra cauſam licentius petulantiuſque vagari. *Facile*

cile eſt, inquit Oratione pro Cælio, *accuſare luxuriem*; *dies jam me deficiet*, *ſi quæ dici in eam ſententiam poſſunt coner exprimere*; *de corruptelis*, *de adulteriis*, *de protervitate*, *de ſumptibus immenſa oratio eſt*; *ut tibi reum neminem*, *ſed vitia proponas*, *res tamen ipſa*, *&* *copioſe*, *& graviter accuſari poteſt*. *Sed vera ſapientia eſt*, *Judices*, *non abduci a reo*; *nec quos aculeos habeat ſeveritas gravitaſque veſtra*, *cum eos accuſator erexerit in rem*, *in vitia*, *in mores*, *in tempora*, *emittere in hominem*, *in reum*, *cum is non ſuo crimine*, *ſed multorum vitio ſit in quoddam odium injuſtum vocatus*. Hactenus vir eloquentiſſimus & doctiſſimus, cujus verbis præclaraque ſententia ſatis luculenter docetur, quemadmodum ſe gerere debeat is, qui aliquid in aliquem recte ſcribere meditetur; & quid potiſſimum ſpectari oporteat ab eo, qui laudem ex ſuis ſcriptis & commendationem, non infamiam ac vituperationem reportare velit. Sed, unde paullum digreſſi ſumus, redeamus.

XXXVIII. Progredientur ulterius, & ſe etiam magis ac magis inſinuabunt adverſarii tui, qui, quas operis partes ſingillatim expenderint, eas inter ſe contendent; & cum te, quod quidem neque magni laboris, neque longæ diſquiſitionis erit, tibimet ipſi non ſolum minus conſentire, ſed etiam tecum aperte pugnare; & modo aliqua tanquam falſa rejicere, modo illa ipſa, quæ rejeceris, tanquam vera amplecti; rurſus ea concedere,

quæ

quæ negaveris, &, quæ conceſſeris, inficiari, comperient; quid reliquum erit? niſi ut veluti quoddam de te ſpectaculum legentibus, miſerandumne dicam? an ridendum? proponant. Infamem tibi ſcilicet aut inſani gladiatoris, aut ex vetere aliqua fabula, eorum, quos Poetæ in pœnam admiſsorum ſcelerum furiis agitatos prodiderunt, perſonam affingent, & te tecum pugnantem, ac tibimet ipſi violentas manus afferentem, tanquam in ſcena, tui ipſius armis perculſum abjectumque conſtituent.

XXXIX. Quid vero? cum abjecto atque perculſo inſultare acriter incipient ac vehementer; & te modo ad tua inſtituta revocare, modo artis illius, quam profiteris, elementa edocere? Quid? cum in te dicta jacere. Quid? cum falſe & amare jocari. Quid? cum, ſiquidem aliquid in te boni deprehenderint, ementitas tibi plumas evellere, & furtivis coloribus corniculam denudare. Tu vero quomodo tot convicia feres? quomodo tantam poteris infamiam ſuſtinere? Interea, quæ voces erunt de te? qui ſermones hominum? qui riſus? qui cachinni? *Volitabis* enim vero, quod magnopere exoptabas, *vivus per ora virum*; de te in plateis, de te in triviis, de te in circulis nemo non otioſus loquetur; quorum hominum generi hujuſmodi conviciorum occaſionem captantium, ampla ſane dicteriorum cachinnorumque a te materies ſuppeditabitur. Jam in tantis popularium tuorum ſermonibus, & quotidiana tui nominis

uſurpatione, quid viros graves & ſapientes ſenſuros putas? quid dicturos de te? Non aliud ſane & ſentient & dicent, quam quod in tali re quemque ſapientem & ſentire decet & dicere. Parcent ii quidem injuriis, & propriæ gravitatis rationem habebunt; ſed ignorantiam iidem tuam & ſtultitiam non poterunt non condemnare.

XL. Infelix enim vero tot laborum ac vigiliarum exitus; calamitoſa hominis conditio, quæ moderatiorum fortaſse animos & ad commiſerationem poſſet inflectere, & ad defenſionem impellere; ſiquidem graviſſimam Critici provinciam, aut officio adductus, aut precibus exoratus, aut alia quacumque de cauſa, modo probabili atque honeſta, ſuſcepiſſes. Verum, cum tua te eo ſola ambitio, ſola libido impulerit, quid eſt? cur quiſquam tui miſereatur, cur tuas partes ſuſcipiat, tibi adſit, tibi opituletur. Sed fac eſſe, qui miſericordia adductus cauſam tuam, omnium jam opinione damnatam, aliquo modo ſublevare contendat. Quid, amabo te, quid excogitabit? quid dicet? quid poterit defendere? Conſilii inopiam excuſabit? adoleſcentiæ æſtum prætendet? perfugio utetur ætatis? doctrinæ mediocritatem in arte omnium difficillima cauſabitur? quo te ſublevet, & veniam tibi aliquam deprecetur. Facilis eſt atque expedita reſponſio. Erravit, corrigatur; peccavit, peccati pœnam luat; temere fecit, caſtigetur; conſilii eget, ſuo experimento ſapere condiſcat; adoleſcens eſt, rem ſibi fuiſse cum viris intelligat; ignoſcas oro, ſi unquam poſtea

ſtea .... verba perdis ; pietatis quoddam genus eſt, hac in re eſſe crudelem ; conſtituendum exemplum in uno eſt, quo reliqui commonefiant, & minus audere alieno documento condiſcant. Reliqua eſt excuſatio mediocritatis doctrinæ ; ſed mediocritati in arte critica locus eſſe quî poteſt ? Hæc omnino ſuffragari Critico nequit. Mediocres enim Geometras, mediocres Philoſophos, Rhetores, Grammaticos, Hiſtoricos, &, ſi vis, etiam Poetas, aliquo modo patimur ; mediocres Criticos omnino non patimur.

XLI. Tu vero, cum te ex omni parte circumſeſſum oppugnatumque ſenties, quid conſilii tibi capiendum exiſtimabis ? Exſpectant omnes, quemadmodum exiſtimationem tuam a tanta ſis infamia vindicaturus. Exſpecto in primis ego, qui tantum tibi periculum denuncians ſaluti tuæ, ſi quo modo poſſim, conſulere vellem. Excipieſne omnes adverſariorum ictus? an dabis operam, ut eos excutias atque repellas ? Alterutrum neceſſe eſt, ut, aut vim vi repellas, aut jugulari te ſinas. Dicam apertius. Reſpondebiſne ? an tuo te ſilentio convictum fatebere ? Sed non dubito, quin reſponſurus ſis. Ut enim quiſque indoctior, ita plerunque loquacior eſt ; hac ſcilicet ratione, ut ita dicam, ſapientiæ inopiam compenſante natura, ut, quantum alicui conſilii atque ingenii non contulerit, tantum ineptæ garrulitatis & promptioris audaciæ addidiſſe videatur.

XLII. Euge ; exſpectatum jamdiu reſponſum, diutur-

niore cura elaboratum, & acriori, ut tibi falſo perſuades, judicio ſubactum in lucem prodit. Circumfertur, legitur, & ab amicis tuis, qui te atque ulcera tua tanquam canes lambere ſolent, vehementer probatur, & miris laudibus in cælum effertur. Tibi places, te circumſpicis, & quaſi magnum aliquid præſtiteris, adverſariorumque tuorum penitus os obſtruxeris, ſubnixus ambulas, & depugnatum jam debellatumque arbitraris. *O te miſerum*, uſurpabo illud, quod adverſario olim ſuo ab eodem diſertiſſimo Oratore, cujus verba paullo ante a me recitari audiſti, exprobratum, ne tu quidem fortaſſe ignoras; *O te*, inquam, *miſerum, ſi intelligis, miſeriorem, ſi non intelligis*, tua iſta reſponſione id unum egiſse, ut novos tibi necteres laqueos, arctiores ſtrueres pedicas, quibus iterum induereris, & ridiculum plane in modum implicarere. Nova denuo, mihi crede, arma, eaque multo prioribus magis capitalia adverſariis ipſe tuis ſubminiſtrabis, quibus tandem aliquando confoſsus intereas. Huc omnes nimirum recident molitiones tuæ, huc amicorum plauſus, huc perennitas nominis; & hic demum totius fabulæ exitus futurus erit. Nam, amabo te, quid tandem exſpectari poterat & debebat ab eo, qui quanto promptior ad laceſsendum, tanto eſt ad reſiſtendum infirmior.

XLIII. Neque vero hæc a me confingi putato, ut cauſæ ſerviam, ſed hiſtorico pene more, quaſi geſta jam ſint, ita exponi fideliter ac narrari, pro certo habeto. Remove

move igitur parumper illum aſsentatorum ; ſive verius præſtigiatorum gregem , quibuſcum verſaris quotidie , quibus aſſidue ſtipatus incedis , qui tibi plus nimio blandiri , & oculis pene capto illudere conſueverunt ; tunc cæcæ fortaſse menti aliqua lux oborietur , & internoſcere incipies , quibus nimirum, aut apertis inimicis obſiſtas , aut inſidioſis amicis non credas . Aſsueſce bonam in partem ſalutaria monita accipere , ambitionem compeſcere , dare locum rationi ; & tum demum omnis contentio ceſsabit , & prorſus hæc inſtituta inter nos controverſia dirimetur .

XLIV. Hæc de infamia , quæ fere artis criticæ uſum comitatur , ac difficilem reddit moleſtiarumque pleniſſimum . Quid vero illa de invidia ? quæ ejuſdem artis comes eſse ſolet,ab ejuſque uſu ſejungi vix poteſt, quanti facienda exiſtimabis ? Infamia moleſtias creat ; invidia denunciat pericula . Nam , aut nihil de veritate laborabis , aut ſolius veritatis ſtudioſus eris ; utrum elegeris , id ſcito contra te futurum . Si primum ; quo in numero eum Criticum putabimus , qui nihil de veritate ſollicitus , aut manifeſto in mendacio teneatur , aut veritatem diſſimulet, eamque apertius enunciare non audeat ? Si alterum , vide quæſo , & tecum reputa , quanta invidiæ tempeſtas immineat Critico illi , qui unam veritatem in ſcribendo propoſitam habere velit . *Obſequium amicos* , inquit ille , *veritas odium parit* . Quod ſi ita eſt ; quid ages ? & in hoc tam lubrico atque ancipiti diſcrimine conſtitu-

ſtitutus te quemadmodum geres? Tune, ut veritati ſervias, acerbam atque odioſam præteritorum ſæculorum renovare memoriam audebis? tu jamdiu exeſa ſitu ac vetuſtate detrita turpiſſimorum flagitiorum inſtaurare monumenta? tu obductas graviſſimorum vulnerum cicatrices refricando exulcerare? occulta nationum, provinciarum, civitatum, familiarum probra detegere? nudare dedecora non formidabis? Deliteſcebant in tenebris abdita & conſepulta potentiſſimorum hominum furta, rapinæ, libidines, maleficia; obliterata prorſus erat ex hominum mentibus fœdiſſimorum ſcelerum memoria; chartæ ipſæ, quæ tantam turpitudinem continebant, diuturnitate temporis obſoleverant. Tune igitur ea e tenebris vindicare? tu e latibulis expromere? tu in lucem proferre non dubitabis? tu tanquam recentia vulgare? tu populo non tam legenda exhibere, quam exſecranda proponere? Quo tandem id animo tot honeſtiſſimas familias, tot nobiliſſimas civitates, tot exteras nationes, regna, provincias, tot potentiſſimos homines laturos putas? Cupio tibi, quod tamen in me recipere non auſim, incolumem vitam ſalvaſque fortunas; verumtamen, ut res e ſententia cedat, poteriſne immenſam illam invidiæ molem, quæ tantam impudentiam neceſsario conſequetur, vel declinare, vel ſuſtinere?

XLV. Quid? quod & Patriæ ipſi, qua nihil antiquius, nihil carius cuiquam eſse debet, ſi ita veritas po-

poſcet, bellum quodammodo cogeris indicere. Dura ſane neceſſitas, ſed illi omnino ſubeunda, qui unam veritatem inquirat, ab eaque diſcedere nefas putet. Hinc nova inimicitiarum origo, novæ lites, nova jurgia, nova pericula; nova, eaque graviſſima impeditiſſimi muneris difficultas. Cogeris enim, ſi eo te veritas adigat, quæ Patriæ ipſi tuæ, ornamenta tute detraxeris atque abjudicaris, æmulis perſæpe civitatibus tradere atque adjudicare. Conqueretur graviter illa de te; ſe a cive ſuo de veteri poſseſſione, in qua tot annos ſine controverſia manſerat, injuria depulſam; ſuis ornamentis ſe nudatam a te, ac ſpoliatam lamentabitur. Requiret boni civis officium, pietatem efflagitabit, jus denique ſuum, a te violatum atque imminutum, qua voce, qua lacrymis perſequetur. Immerito hæc fortaſse de te expoſtulabit, qui cum de una veritate laborandum putaveris, poſthabita Patriæ caritate, ejus unius rationem habendam duxeris. Ut ita ſit; hæc tamen hujuſmodi eſse vides, quæ poſsunt per ſe tuorum in te civium animos vehementiſſime commovere, & ſummam odii atque invidiæ flammam excitare; qua ex flamma, etiamſi minime conſumptus evadas, nequibis tamen nonniſi male uſtulatus evolare.

XLVI. At inquis; Multos graviſſimos & doctiſſimos Criticos in re tam lubrica, ac tam difficili negotio impune fuiſse feliciterque verſatos. Video. Sed hac ipſa de cauſa, quod graviſſimi doctiſſimique & exiſti-

mabantur & erant, aut tantum in ſcribendo modum adhibuerunt, ut omnem offenſionem vitarent, aut ea, quæ vulgare placuit, tam certis invictiſque rationibus confirmarunt, ut nulla vi concuti, nullo labefactari modo poſſent, aut denique parta ſingularis eximiæque opinione doctrinæ, hac ipſa opinione, oppoſito tanquam aliquo firmiſſimo clypeo, ita ſe contra omnia adverſariorum tela protexerunt, ut illis, quocumque auctore emiſſis, ne leviſſime quidem perſtringerentur. Verum, cum tu a ſumma præſtantique tantorum virorum ſapientia quam longiſſime abſis, qui, ſi quid vales, non ingenio, ſed lingua vales, qui nulla commendatione doctrinæ cenſeris, qui non certa ratione pugnandum, ſed inſigni confidentia audendum arbitraris, levis, improvidus, promptus, acer, quid eſt, quod exſpectes? non aliud profecto, niſi, ut ad veterem infamiam, tanquam cumulus, recens accedat invidia. Hæc ſcilicet erit merces pretiumque impudentiæ; hoc lucrum tot curis laboribuſque quæſitum.

XLVII. Hæc habui, quæ in præſentia de ſumma artis criticæ difficultate dicerem, reliqua conſequentibus actionibus, quas de hac ipſa difficultate, quam hac una totam explicare non potui, habiturus ſum, a me dicentur. Interim, dum noſtræ congreſſionis tempus adveniat, noli in malam partem accipere, quæ dixi; noli mihi iraſci, tanquam inimico, ut ſuſpicaris, tuo, qui, ſi te ſalvum atque incolumem minime cuperem, non te tam ſalutari-

ribus conſiliis oneraſsem. Quod ſi periculoſam hanc aleam ſubire omnino volueris, fac quod lubet; te non impedio; tuæ te permitto cupiditati, quam video plus ad impellendum, quam omnes rationes meas ad deterrendum, apud te momenti habituram. Sed hinc etiam confido fore aliquis fructus ut exiſtat, quem ad tuum commodum utilitatemque referre poſſis, & hic quidem meo judicio uberrimus, neque vero a te contemnendus; nimirum, ut, quam mihi fidem, artis criticæ difficultatem, non vano quodam artificio, quo te perverterem, exaggeranti, ſed quo tibi prodeſsem magis, facili quadam popularique dicendi ratione explicanti non habueris, tandem aliquando inviſus tuis, deſpectus ab omnibus, contemptus, abjectus tibimet ipſi habere condiſcas; & tum demum aliquid ſapere incipias, cum te prorſus deſipuiſse intellexeris.

DE

Digitized by Google

DE SUMMA ARTIS CRITICÆ DIFFICULTATE

Actionis I. Liber II.

SI quotquot ad Artem Criticam accedere meditantur, quid ea ſit, quam difficilis, quam laborioſa, quam plena moleſtiarum, quam referta periculorum, ſerio perpenderent; non dubito, Florentini, quin potius ad eandem eſſent, ſi qui idonei exiſtimarentur, impellendi; quam ab eadem minus idonei, atque adeo inepti repellendi. Sed quis tandem hominum cupiditati modum imponat? quis obviam ire poſſit? quis cæcam illam ac temerariam animorum noſtrorum dominatricem intra juris & moderationis repagula adigere queat & continere? Quid? iſtos ut ulla res terreat? ut ullum periculum moveat? ut

ut ulla difficultas retardet? ut modeſtia quadam atque ingenuo pudore ab impeditioribus muneribus abſtineant atque refugiant? Optandum quidem hoc eſſet; ſed nequaquam ſperandum ab iſtis arbitror, immo vero prorſus deſperandum. Sic enim animati ſunt, ut quo gravior iſtis opponitur difficultas, quo gravius objicitur periculum, eo acrius ac vehementius illa ipſa, quam diximus, cupiditas incitetur; & quo impeditiora ſunt munera, eo promptius illa ſibi ultro adſciſcant atque deposcant. Alacriores difficultatibus evadunt, contemnunt pericula, ſalutaria monita negligunt, de exitu nihil laborant; una, qua unice valent, confidentia omnia ſe nullo expedire negotio poſſe arbitrantur. Atque id recte fortaſſe quidem; ſi quantum in gerendis præliis *audentes fortuna juvat*, in quibus non tam conſilio, quam *vi geritur res*; tantum in exercenda arte critica audacia & confidentia valeret. Sed contra eſt. In hoc noſtro concertationis genere unum conſilium prævalet; una ratio dominatur; omnia ingenio, æquitate, ſapientia ac moderatione adminiſtrantur. Hæ ſunt virtutes, ſine quibus ars critica nulla eſt, nec quidquam valet; & ſi quid valet, ad perniciem unice atque exitium valet. Ego vero, ſi unam aliquam harum virtutum in illis vulgo reſidere deprehendiſſem, dediſſem utique jam inde ab initio manus, nec repugnaſſem, quo minus ad artem, omnium maxime lubricam ac difficillimam, exercendam accederent. Verum cum earum nullam in

iis

iis eſſe compererim, quid eſt, quod ego magnopere facere potuerim? niſi eos ab eadem omni ope avertendos repellendoſque curare. Ubi enim in iſtis ea, quæ ſuperiore actione neceſſaria Critico præſidia atque adjumenta demonſtravimus? ubi acerrimum ingenium? ubi tenax memoria? ubi locuples multiplicis doctrinæ inſtructus? ubi copioſus eximiæ eruditionis apparatus? ubi fama collecta? ubi parta exiſtimatio? ubi labor? ubi contentio? Nihil horum, Florentini. Contra vero mediocre ingenium, vulgaris doctrina, non ſingularis non exquiſita eruditio, non fama, non exiſtimatio, non labor, non contentio; ſegnities autem multa, multa remiſſio, plurimum otii, omnia denique hujuſmodi, ut ad molle potius ac delicatum vitæ genus facti, quam ad laborioſiſſimum hoc ærumnoſiſſimumque aut a natura comparati, aut a diſciplina inſtituti eſſe videantur. Neque vero illud, in tanto tamque implicato negotio, quod ego jam iis inculcavi, ſalutare monitum amplecti voluerunt; nimirum ut, ſi tantopere arte critica delectantur, illam ad ſua tantum privata ſtudia conferrent, domeſticis ſe parietibus ſepirent; conſpectum vero hominum frequentiamque ſibi omnino vitandam putarent; tum enim temere ſuſcepto conſilio honeſtum exitum quæſiſſe exiſtimarentur. Sed quid his hominibus facias? aut quibus tandem rationibus convincendos putes? Prodire omnino volunt, publico carere non poſſunt; quam ob cauſam prorſus ignoro;

niſi

niſi forte ut eorum intemperantia manifeſtior appareat, & confidentia inſignior judicetur. Sic enim fere comparatum eſſe novimus, ut qui minus poſſunt, plus audeant; & plus ſe poſſe, faſtu quodam ſuperbientis animi arrogantiaque arbitrentur. Verum quid tandem erit, quod tantos ſpiritus inſinuet atque alat, quibus incitati a tanta difficultate negotii minime deterreantur? Quid eſt, cur ultro ſe ingerant? cur ſe invitis obtrudant? cur repellere conantibus ſe inferre per vim contendant? quid denique afferunt? quamobrem aliquo modo tolerabiles Critici habeantur. Unam, mihi credite, afferunt, quam ſupra dixi, confidentiam; hac una ſe ex maximis, quas perſecuti ſumus, graviſſimiſque difficultatibus facillime evaſuros eſſe confidunt. At hanc ipſam confidentiam ubinam innixam? ubi tam firme ac ſolide conſtitutam putabimus? ut tot admotis a me quaſi machinis atque arietibus, nulla non ſolum ex parte labet, ſed ne ulla quidem vi concuti ac labefactari poſſe videatur. Id ego, niſi fallor, mihi videor aſſecutus, qui iſtorum ingenium, multo ante, quam in hanc cauſam ingrederer, laboravi, ut probe cognitum haberem atque exploratum. Eſt, eſt inquam, in quo repoſitam habent ſpem, omnem ſuam fiduciam collocant, & quo Critici dignitatem facile tueri ſe putant poſſe. Regulas quaſdam mente agitant, Canones neſcio quos blaterant, quos mihi univerſos in præſentia objicere meditantur, & tanquam catervam ali-

aliquam maxime bellicoſam & invictam ad omnes meos impetus opponere. His confiſi nihil reformidant, reſiſtunt intrepidi, & omnia conſilia mea aſpernantur, quibus eos a tanta ſuſcipienda provincia dehortari ac deterrere conatus ſum. Quare videtis, Florentini, mihi has Regulas, hos ipſos mihi Canones neceſſario nunc exponendos eſſe, & paullo diligentius inſpiciendos. Examinandum, quid opis in iis collocari poſſit; quærendum, quid ab iis ſperandum præſidii ſit; videndum denique, utrum artis criticæ difficultatem imminuant, an potius adaugeant. Itaque faciam; atque ut ab inſtituto dicendi genere minime recedam, Adverſarium illum meum rurſus adibo, quem tanquam in ſcenam inducere placuit, quo liberius his de rebus, ſine cujuſquam offenſione, loqui poſſem; illi preſſius hærebo, eundemque acriter non minus ac vehementer, quam priore actione præſtiterim, excutiendum exagitandumque ſuſcipiam. Vos attendite diligenter; enitar ipſe, quantum potero, ut me non attente ſolum, ſed aliqua etiam cum voluptate audiatis.

II. Age vero, huc ades Græcule noſter. Demonſtrata jam ſatis a me artis criticæ difficultate, quid eſt, quod hanc ipſam difficultatem aliquo modo levare poſſit atque imminuere? Præcepta, inquis, ſunt certique canones, quibus Criticus juvetur plurimum, & quorum præſidio, tanquam Ariadnæo illo filo regatur ſic, ut, ſine ullo erroris periculo, ex ancipitibus illis a te

te ſuperiori actione commemoratis ſemitarum flexibus ac mæandris haud ita difficili negotio poſsit evadere. Audio; & nihil hæſitans do eſſe præcepta, do eſſe canones, quot quantoſque velis; tantumque abeſt, ut hunc locum, quem tu tanquam munitiſsimam arcem aliquam inſediſti, & ubi te defenſum ſatis ac protectum putas, reformidem; ut etiam tibi maximam habeam gratiam, quod me huc non modo non repugnantem, ſed etiam volentem adduxeris. Tete igitur confirma; eſto vir, animumque tuum ad priſtinos illos ſpiritus revoca, quibus in prima congreſſione noſtra paullo exſultantius inſolentiuſque ferebare. Novi te, novi ingenium tuum, novi ictus, novi petitiones; non is hoſtis es, cujus aſpectu terrear, cujus arma perhorreſcam. Congrediamur.

III. Primum, vide quæſo, ne erres, qui in ea opinione videris eſſe, ut ſtatim atque alicujus artis regulas cognoris, ac præcepta didiceris, rem eſſe in vado arbitreris. Ego aliam ab hac tua ſententiam ſequor, qui neſcio quo fato evenire dicam, ut in hac contentione noſtra in omnibus abs te diſſentire cogar. Noli tamen me tibi ſubiratum exiſtimare; ſed ad rationum, quas afferam, momenta attende. Etenim ecqua ars reperiri poteſt, quæ ſuis præceptis colligata, regulis apta ac coagmentata non ſit? Suas habet regulas Muſica, ſuas Pictura, Architectura, Sculptura ſuas; tamenne omnes, qui haſce regulas perceptas habent,

& his

& his artibus dant operam, arguti Muſici, ſummi Pictores, periti Architecti, Sculptores eximii evadunt? Et Sculpturæ quidem non regulas tantum abſolutiſſimas edidit Policletus, ſed ſtatuam ita affabre ex artis ſuæ præceptis elaboravit, tanta venuſtate membrorum, tam mira deſcriptione ſingularum partium, tanto artificio, ut eam merito *Canonem* appellarit; tamenne multos excellentes Sculptores, & cum Phidia aut Praxitele aliquo comparandos Græcia ſuſpexit?

IV. Atque ut aliquid de mea hac arte dicam, credi vix poteſt quot regulis affluat, quot præceptis abundet. Pleni ſunt horum præceptorum libri, plena ſapientum volumina. De his Gorgias ille Platonicus, de his Ariſtoteles, de his Dionyſius Halicarnaſæus, de his Demetrius Phaleræus, de his Hermogenes, de his Longinus, de his Lucianus, de his Auphtonius, & hi quidem Græci omnes; ex Latinis porro, de his M. Tullius Cicero, de his Cajus Cornificius, de his Fabius Quintilianus, de his Fabius Marius Victorinus, de his Rutilius Lupus, de his Julius Rufinianus, de his Sulpicius Victor, de his Julius Severianus, de his Aurelius Auguſtinus, aut alius quiſpiam vetus auctor, de his recentiores prope innumerabiles; qui viri! quibus ſtudiis atque artibus exculti! quo ingenio! qua eruditione præditi! quam eximia reconditaque doctrina præſtantes! ſubtiliter copioſeque diſputarunt. Ex his ego multa per otium vidi, legi, pervolutavi; multa audiendo accepi; quæ-

quærendoque cognovi; &, ſi hoc de me citra oſtentationem affirmare licet, didici etiam; &, niſi mihi nimis fortaſſe blandior, artis meæ præcepta, ſi non commode, certe non incommode teneo. Tamen, ita mihi Deum propitium velim, ut, cum aliquid ex Rhetoricæ artis præſcripto elaborandum eſt, quod præſertim e privatis latebris in publicam lucem conſpectumque hominum prodire debeat, non ſolum rei difficultate commoveor, ſed graviter etiam vehementerque perturbor. Fatebor de me id, quod eſt, & dicam ingenue, nihil tum propius fieri, quam ut animum pariter artemque deſpondeam.

V. Jam tum mente & cogitatione proſpicio, quanta hominum futura exſpectatio ſit, qui conventus doctiſſimorum eruditiſſimorumque virorum, quid a publico doctore, quid a Rhetore, qui aliis eloquentiæ artem tradendam ſuſceperit, requiratur; quæ me, vel in prima rerum dicendarum molitione, anxium maxime faciunt atque ſollicitum. Illa deinde ingrata & acerba ſuccedit cogitatio, quam multa ſagaciter inveſtiganda ſint; quæ inveſtigaveris, quam ſolerter expendenda; quæ expenderis, quam acri judicio eligenda; ac demum quæ elegeris, quam prope religioſe, non ordine ſolum, qui rebus venuſtatem afflet, perſpicuitatemque conciliet, ſed etiam momento quodam diſponenda ac diſpenſanda ſint, ut ſuum unaquæque res *locum ſortita decenter* teneat. Hæc ubi ſummo ſtudio diligentiaque

perfeceris, nihil propemodum egeris. Ille tibi ſummus atque omnium multo moleſtiſſimus ſupereſt labor, ſubjectam materiam illùſtrare ſententiis, figuris, tanquam luminibus, diſtinguere, exquiſito verborum delectu ornate eleganterque efferre, ut jucunda, teres, polita, admirabilis, plena, & rerum omnium pulcherrimarum copia affluens oratio audientium auribus & animis influat; tu vero non tam loqui, quod hominis eſt, modo non elinguis, ſed, quod eſt diſerti Oratoris, eloqui videare. Stylus propterea, pro varietate rerum, ſæpe variandus; nunc ſublimior ac magnificentior aſſurgat, nunc depreſſior atque humilior ſubſidat neceſſe eſt; nunc eo utendum, qui ſit ex utroque & elatioris & depreſſioris genere temperatus, & ſubtili quadam mediocritate commendetur. Pandenda ſunt modo vela eloquentiæ, modo eadem contrahenda; nunc lenior, nunc incitatior feratur oportet oratio.

VI. Verum, Superi boni! quam multi occurrunt in hoc ipſo ſcopuli, quam multæ ſyrtes occultæque inſidiæ objiciuntur, quas omnes evitare, & ita orationis curſum dirigere ac moderari, ut portum ulla ſine offenſione teneat, omnem propemodum vel dexterrimi gubernatoris artem fugit ac ſuperat. Si enim ſtylum ſine modo varies, incertus eris & fluctuans; ſi verborum floſculos ſtudioſius conſecteris, ineptus & putidus; ſi negligas, incomptus & horridus; ſi nullo calore inter ſcribendum efferveſcas, remiſſus & frigidus; ſi immodico ar-

ardore efferaris, furioſus ac prope catenis conſtringendus. Hinc illa, quæ diu multumque meditatus ſcripto mandaveris, nunquam non ad examen revocanda, nunquam non acriter diſcutienda, retractanda ſæpius atque iteranda ſunt; fingenda multa, limanda pleraque, non pauca circumcidenda; quæ vero ſubito impetu effuderis, abjicienda prorſus, & non raro illa ipſa; quæ labore improbo, & intentiore ſtudio vix demum extuderis, impacto tranſverſim calamo, inducenda. Hinc tot curæ fruſtra ſuſceptæ, tot vigiliæ deperditæ, tot ſudores incaſſum effuſi. Hinc illæ triſtitiæ & querelarum pleniſsimæ voces, quibus cogeris *obductum verbis vulgare dolorem*, & duriſſimam multorum dierum pertinaciſſimamque contentionem in nihilum redactam conqueri, atque acerbius lamentari.

VII. Teſtor conclave illud meum, ſtudiorum ac commentationum mearum conſcium, quoties me rebus meis deſperantem diffidentemque vidit. Quoties vivos ungues arrodere, ſcabere caput, pluteum cædere, lacrymas prope non tenere, & meam vicem ægre & dolenter deplorare. Quoties importuna illa ac præceps animum ſubiit cogitatio, arma abjicere, Rhetoricæ valedicere, & Græcorum imitari conſilium, quorum ſi qui citharœdi evadere non poterant, deſperata ejus artis excellentia, eo delabebantur, ubi in aulœdis aliqua ſaltem cum dignitate conſiſterent. *Aulœdus ſit*, inquit Auctor idoneus, ad cujus ſimilitudinem me co-

nor fingere, & hæc ipſa ſcribo *Aulœdus* inquam *ſit*, *qui citharœdus eſſe non poſſit*. Verumtamen non mentiar, ſi dicam; Me non illud tot laboribus ac conatibus quærere, ut eo enitar, quo pauci admodum pervenerunt; multo vero minus, in hac mea infantia, & in hac infirmitate ingenii, illud me habere propoſitum, ut tanquam ſummus Orator digito monſtrer prætereuntium; ſatis enim me beatum putabo, & non contemnendum laborum ac vigiliarum mearum fructum conſecutum arbitrabor, ſi aliquam in hac, quam profiteor, arte mediocritatem fuerim aſſecutus. Atque id ipſum, ut hoc addam & vere dicam, non mea, ſed diſcipulorum ac moderatorum meorum cauſa. Diſcipulorum, ne inepti doctoris diſciplinæ commiſsos dici poſſit; moderatorum autem, ne hæc qualiſcumque docendi Rhetoricam provincia alicui, quod neceſse fuit, demandata; ſed, quod oportuit, aliquo modo, quoad per me effici poteſt, recte collocata eſse videatur.

VIII. Quorſum iſta, fortaſſe dices, tam alte repetita, & exquiſitius ornata? Primum, ignoſcas oro, ſi ſubitus animi impetus me de recta fortaſſe via deduxit. *Tractant* libenter *fabrilia fabri*; neque vero ego aliena de arte loquens, ſi quando dexter occurrit locus, oblivіſci poſſum meæ. Deinde non exquiſitius iſta quidem a me ornata ſunt, ſed narrata fideliter, ut in me met, quotieſcumque memorata periclitandi ingenii incidit occaſio, experiri ſoleo, & nunc in his ipſis actionibus con-

conſcribendis experior quotidie. Si vero hæc quem ad finem prolata a me ſint, quæris, reſpondeo; Non alia de cauſa, niſi ut illud intelligas, aliud eſſe alicujus artis præcepta tenere, aliud ex artis cujuſque præceptis aliquid elaborare. Primum, ſi ita vis, facile; alterum longe difficillimum, quod ex incredidili excellentium in unaquaque arte virorum paucitate perdocemur. Præclare enim vero, & nimis liberaliter cum artium cultoribus actum foret, ſi regularum perceptione ſcientia rerum contineretur. Non tantis profecto laboribus nos frangi neceſſe eſſet, non tantis contentionibus ad artium ipſarum eſſet excellentiam enitendum. Sed multo ſecus, ac tu opinaris, ſe res habet; expertis crede, & tantæ rei difficultatem, de qua nondum cogitare potuiſti, incipe nunc ſaltem, me ſuſpicionem commovente, tandem aliquando ſuſpicari.

IX. Verum, quo planius evidentiuſque perſpicias, quam minimum opis atque præſidii in artium regulis ac præceptis conſtituendum ſit, paullo diligentius præceptorum ipſorum indolem ac naturam inveſtigemus. Age ſis, & mihi percontanti reſponde. Putaſne, ſi forte cuiquam, ſummo ſtudio ac labore plurimo, contingat aliquid extundere, quod ad alicujus artis regulas exactum prorſus elaboratumque ſit, id perfectum in ſuo genere atque abſolutum futurum? Tu quidem ſtatim annues, aſſeveranter & ulla ſine hæſitatione affirmabis. Nec vero aliter exiſtimare potes, qui nihil unquam ulla in

arte effeceris, quod ſapientum judicio aliqua ſaltem mediocritate commendaretur. Ego vero contra æque aſſeveranter negare non dubito; non quod aliquid hujuſmodi unquam effecerim, quod ſapientum judicio probatum fuerit; conatus ſum certe, ſed utrum conatus meos fortuna juverit, neſcio; ſed quia in una arte conſiſtens, nec per multas, uti tu hactenus, quo doctior & eruditior haberere, liberius licentiuſque vagatus, eo vires omnes meas contulerim, ut ejus unius, quam profiteor, artis vim penitus naturamque cognoſcerem.

X. Ac ne ab arte Rhetorica, diſcedamus, cui te aliquam operam, qualis demum cumque ea fuerit, leviter & oſcitanter, ut plerique faciunt, quod, non ſine ſtomacho, & animadvertere & pati quotidie cogor, ſed aliquam tamen dediſſe operam arbitror; da mihi, quæſo, orationem, quæ ex Quintiliani, atque adeo ex Ciceronis ipſius præceptis, tota ſcripta ſit, iiſque inhæreat ſic, ut non alium, niſi unum aliquem ex iis, qui indicantur, ingreſſum habeat, ut illis ipſis, quæ oſtenduntur, tranſitionibus progrediatur, ut nullis eorum ornamentorum, quorum, de figuris cum agitur, ingens vis a Rhetoricæ magiſtris & copia ſuppeditatur, non ſolum non careat, ſed expleta affatim ſit atque abundans. Jam, quid tibi hac de oratione videbitur? Numeris tu quidem certe omnibus abſolutam pronunciabis. Ego vero nihil inconcinnius ajo, nihil ſtrigoſius, ineptius, pu-

putidius nihil hac oratione futurum. At tota ex præceptis elaborata eſt. Audio. Nihil, quod ad eam ornandam illuſtrandamque pertineat, omiſſum. Video. Ut ita ſit, quemadmodum dicis; nihilo tamen minus iterum ajo nihil hac oratione invenuſtius, nihil ineptius eſſe, nec vero eſſe poſſe. Quid ita? Longum eſſet hic rationem ſubjicere atque exponere; mihi quidem difficile admodum, tibi vero prorſus inutile. Res enim hæc eſt hujuſmodi, quæ facilius intelligentia percipi, quam verbis poſſit explicari. Miraris tu quidem; & ſane eſt cur mireris, qui vix primo a limine Rhetoricam ſalutaveris, ejus penetralia non ſubieris, & quæ præcipua hujus & intimiora ſunt artis, nunquam didiceris.

XI. Sed ne fucum tibi facere videatur oratio mea, hoc, quod dico, facile perſpicuum fit, & luculentiſſimo declaratur exemplo. Etenim licet idem animadvertere in Jure, in quo ſimile quiddam & uſuvenire ſolet, & affirmari poteſt. Quid? Quanto magis ad jus quis accederet, nonne tanto magis, ſi tua ratio valeret, & ab injuria recedere, & ad æquitatem accedere exiſtimandus eſſet? Ita, opinor; ſed re ipſa contra eſt; & tanto magis ab æquitate quis recedit, quo propius ad ſummam æquitatem videtur accedere. Hoc adeo verum eſt, ut in ſummo jure ſumma conſtituatur injuria. Notum eſt illud omnium Juriſconſultorum auctoritate probatum, & imperitorum etiam contritum ſermone effatum, *Summum jus, ſumma injuria*. Uſque adeo non om-

omnia ſemper ad ſeveriorem quandam rationem ac normam exigenda omnino ſunt; parcendum interdum regulis, & præceptis aliquando non obtemperandum.

XII. Progrediar ulterius, & dicam rem admirabiliorem; quo tu magis ac magis mirere; mirifice enim iſta tua admiratione capior atque delector. Dico igitur non ſolum parcendum regulis, ſed interdum contra regulas aliquid etiam audendum. Hic vero tu multo magis miraberis. Quid ni mireris? Admiratio enim diverſis orta principiis non ſola cognitione rerum, ſed etiam ignoratione gignitur; & non tam ſapientiæ comes eſſe ſolet, quam ignorantiæ. Sed quo inſtructior me evadas magiſtro, non eximio illo quidem atque præſtanti, ſed ad te docendum ſatis idoneo, & mirari tandem aliquando deſinas, ſcito, hoc ipſum, quod dico, multis in artibus contingere, & in Architectura præſertim, cujus jam inde ab initio mentionem fecimus. Mirantur omnes quotquot Romam adeunt, molem æneam Vaticano Apoſtolorum Principis ſepulcro imminentem, & in tantæ, tamque eximiæ molis contemplatione defixi obſtupeſcunt; nec vero ſatiari poſſunt intuentes molis ipſius pulchritudinem, deſcriptionem, magnitudinem vero in primis ampliſſimo ac latiſſimo convenientem loco, ac plane accomodatam ſic, ut ſi minor eſset, non congrueret, ſi vero major, exuberaret. Hoc, præter ſingulare artificium, quo perfecta moles eſt, præter auri copiam, quo tota collucet, præcipue mirantur omnes; & merito quidem.

Re-

Rogatum, qui molem excitarat, Laurentium Berninum, excellentem in paucis Architectum, quî tam miram, quam vocant, ***proportionem*** fuiſſet aſsecutus, reſpondiſſe ferunt; Se artis ſuæ præceptis minime paruiſſe; ſi ſecus feciſſet, illam minime aſſecuturum fuiſſe. Non alia affirmavit ad tantum opus ſe uſum eſse dimenſione; niſi quam ingenium ei ſuum, ſua naturalis habitudo; & diuturna obſervatio ſuppeditarit. Sed iſta omittamus, quæ tibi acuta nimis, & captu difficilia videri poſſunt.

XIII. Quid tum ages? quo te vertes? cum ſubito te præcepta iſta tua, quibus tantopere fidis, deſtituent, cum te regulæ omnes omnino deficient, & fruſtra ab iis opem exſpectabis, fruſtra earum implorabis auxilium. Tunc enim vero te dubium, ancipitem, incertum videre mihi videor, ſine duce, ſine conſilio, non habentem, unde aliquod tibi ſubſidium in ſubito diſcrimine conſtitutus nanciſcaris, qui in regulis atque præceptis omnem ſpem tuam collocandam putaras. Atqui, uti dico, ita non raro continget. Multa enim omnibus in artibus ſe ſe offerunt, & ea quidem fere præcipua, quæ neque præceptis traduntur, neque vero ullo modo tradi poſſunt. De his magiſtri ſilent, codices tacent, & in tot voluminibus præceptorum copia refertis atque ſtipatis ne verbum quidem unum occurrit. Multa docet uſus, multa commentandi ſcribendique diuturna aſſiduitate percipiuntur, multa ſolertia mentis ac ſagacitate comparantur.

Di-

XIV. Dixi paullo ante, ut ab eadem, qua cœpimus, arte exempla ſumamus, ſtylum ſubtili quadam eſſe ratione temperandum; hujus autem ſubtiliſſimæ temperationis, quære, vide, circumſpice, verſa te in omnes partes, libros omnes de arte rhetorica conſule, volve, evolve, voluta, pervoluta, & vel unum, ſi potes, mihi præceptum oſtende. Nullum invenies, nullum proferre poteris; ut hæc temperatio multo difficilior ſit, quam illa æris corinthii, quod omnium probatiſſimum perhibetur; & hac ipſa de cauſa difficilior, quod arte caret. Quid hic dicam ego? quid tu? Quid tu dicturus hoc loco ſis, non laboro; quid ego dicam, attende. Infelix ſane ejus hominis conditio, cui de quaque re præcipiendum ſit, qui nihil ſine præceptis, nihil proprio, ut ajunt, marte poſſit extundere. Nonne ſummis eum circumſideri ac premi anguſtiis neceſſe eſt, cum ſe iis repente nudatum præſidiis videat, quæ ſibi adjumento ſperabat futura, & ſine quibus nihil audere, nihil aſsuevit efficere?

XV. Verum eſto; nihil occurrat in quaque arte, cui ſuum ac peculiare præceptum adjunctum non ſit. Quid? ſatiſne ejus artis cultoribus hoc modo proviſum eſſe exiſtimabis? Exſpecto quid dicas; ſatis, opinor, repones. Ita eſt, inquis, ſatis. Ego contra valde parum, & vix ac ne vix quidem conſultum ajo. Omnia enim illa ipſa, quæ expreſſe traduntur præcepta ad judicium referantur oportet, in eoque omnino, unde initium duxerunt, con-

quie-

quieſcant. Quod quidem judicium, ſi vis eſſe præceptum, non repugnabo; immo vero tibi concedam, dummodo tu mihi, quod negare non potes, te nondum hoc percepiſſe præceptum viciſſim concedas. Eo igitur te omnes omnium artium magiſtri, quos tandem cumque adire atque audire malis, vel invitum pertrahent, eo elapſum revocabunt; tuo te demum regendum judicio deducendumque permittent. De judicio vero non eſt cur præcepta exſpectes, cur regulas flagites, quod nullis adſtringi regulis poteſt; de quo ſi quis vellet præcipere, judicio ipſe carere convinceretur. Huc autem cum ventum erit, quo neceſſario, non dico interdum, non dico ſæpe, ſed dico ſemper deveniendum eſse, vide, quæſo, quid de te, qui hoc ipſo judicio deſtitutus es, quid de tuis regulis, quid de præceptis, quid de canonibus, quid de tua denique tota arte critica futurum ſit.

XVI. Nova hæc tibi ſunt, & videntur incredibilia. Credo equidem. Neque enim homini inexperto & imperito aliter videri poteſt; nihilo tamen minus, quidquid tibi de his videatur, vera ſunt, & omnium ſapientum conſenſu ſententiaque probata. Quod ſi adhuc in opinione tua perſtas, & mea tibi ſuſpecta oratio eſt, experire. Aude aliquid ex alicujus artis præceptis efficere, quod quidem aliqua laude dignandum, non vituperatione explodendum ſit; tum fortaſſe incipies aliquid de tantis rebus ſuſpicari, & experimento ipſe tuo edoctus intelliges, regulas prope nihil prodeſſe, & nego-

tium

tium hoc totum multo eſſe impeditius implicatiuſque, quam tu antea, falſa perſuaſione deceptus, arbitrabare. Hæc de præceptorum natura generatim, ex quibus efficitur, quam parum præceptis fidendum ſit, quam minimum opis atque præſidii in iis collocandum.

XVII. Jam ut ad artem criticam veniamus, de qua potiſſimum inter nos inſtituta controverſia eſt, nulla fortaſſe ars tot præceptis abundat, nulla regulis locupletior. De hac viri doctiſſimi & eruditiſsimi luculentiſsime copioſiſsimeque ſcripſerunt, nihil ut pene eorum in præcipiendo curam diligentiamque ſubterfugerit. Multa de criticæ artis vi, indole, natura, neceſsitate; multa de ſingulis artibus ac facultatibus ediſcendis & tradendis; multa de communibus omnium diſciplinarum principiis, multa de ſubſidiis, multa de impedimentis ad earum cognitionem ſpectantibus perſecuti ſunt. Quid illa, quæ de ſcriptoribus univerſe, & de ſingulis nominatim? Quid, quæ de eorum operibus dijudicandis, de genuinis dignoſcendis, de ſuppoſitis internoſcendis tradiderunt? Nam quid dicam? quanta quamque accurata diligentia in veterum cujuſque generis monumentorum indagatione verſati ſint, quanto ea ſtudio cognorint, expenderint, examinarint. In hiſtoria vero præcipua Criticorum fuiſſe conſumpta dici poteſt induſtria, nihil ut ſibi reliqui fecerint eorum, quæ ad eam ſuas in partes ſive deſcribendam, ſive certa annorum & ſæculorum non interciſa ſerie ordinandam, ſive emen-

dan-

dandam ab erroribus perpurgandamque pertinerent. Exorſi a divina ſunt, ab hac progreſsi ad eccleſiaſticam, ab iſta ad profanam gradum fecerunt, & omnem totius hiſtoriæ vim complexi, totam, quam longe lateque pertinet, incredibili labore, exquiſita ac recondita eruditione a ſe peragratam, non tam perluſtrarunt, quam illuſtrarunt. Neque vero linguarum notitiam a ſe deſiderari paſsi ſunt, quam magno uſui Critico futuram jure meritoque cenſuerunt.

XVIII. Jam, quæ vis! quæ copia regularum! quæ redundantia præceptorum! Quid eſt, quod præterea non dicam requiri, verum etiam optari poſsit? Habes hic, uti vides, regulas, quot quantaſque velis, habes præcepta, habes canones, ſi ita præceptiones appellare velis, quo majorem dignitatem iis auctoritatemque concilies. Habes etiam hic, cur tibi plaudas, cur gratuleris, cur exſultes; ſed exſultantiam iſtam tuam, ſi ſubſiſtes parumper, ac diligenter voles attendere, videbis quam facile ego ſim compreſſurus, qui crebrius, quam vellem, ignorantiam cogor, ſive potius ſtultitiam ridere ne dicam, an condemnare tuam. Contendo enim & confirmo, te in tanta præceptorum copia inopem futurum; nec quidquam conſilii in tanta magiſtrorum tibi certatim conſulentium, & doctrinæ ſuæ atque eruditionis lumen offerentium turba, qua circumſiſteris ac prope obſideris, habiturum. Turba confuſionem parit; nimium lumen non allevat oculos, ſed perſtringit aciem-

aciemque debilitat. Etenim, ut nulla fortaſſe ars, quam critica, præceptis abundat magis, ita nulla incertior eſt, nulla impeditior; nullius minus tuta præcepta ſunt, quibus fidere poſsis, & te, ullo ſine fraudis periculo, committere.

XIX. Ac primo quidem, quod neceſſe fuit, in tanta præcipientium multitudine, magiſtri iſti tui inter ſe convenire minime potuerunt. Ut enim non eadem omnibus ratio, non eadem mens; ita varium etiam ac diverſum debuit eſſe conſilium. Et ſane, non modo ii non ſecum conſentiunt, ſed etiam inter ſe valde diſſentiunt. Alii eadem de re alias regulas tradunt, alii aliter omnino præcipiunt. Hi anguſtiores in definiendo, illi laxiores ſunt. Quas circumſcriptiones aliqui apponunt, alii penitus tollunt. Quæ conſtituta ab uno ſunt, labefactantur ab alio ac ſubvertuntur. Neminem fortaſſe unum invenies, cui plures non contradicant; non plures, quibus non a multo pluribus contradicatur. Non hæc eo dico, quo eorum auctoritatem elevem, regulas infringam, præcepta condemnem; ſed tantum dico id, quod eſt, quod fieri neceſſe fuit, quod nemo negabit, quod tu ipſe inficiari non potes; ut tritum illud *Quot capita, tot ſententiæ*, ſi uſquam alibi, certe in arte critica locum habeat, de eaque jure debeat uſurpari.

XX. In tanto autem præcipientium magiſtrorum diſſidio, exſpecto, quam potiſsimum rationem ſis initurus. Interponeſne te? interpellabis? Quid? quos tan-

quam

quam magiſtros audire ac venerari debes, his te audebis interponere? hos interpellare? tu importunum os iſtud tuum præcipuis artis doctoribus objicere? tu te pacis ſequeſtrem offerre? Quæ tanta auctoritas in te reſidet? quæ commendatio ingenii, doctrinæ, eruditionis, conſilii, nominis unquam fuit, ut inter doctiſſimos eruditiſsimoſque viros pacis arbiter ac ſequeſter cum dignitate ſedere poſſis? Ten credam ingenio. iſto tuo, iſta vi, iſto mentis acumine, iſto conſilio; hoc eſt, nullius prope ingenii, ſolertiæ, conſilii, doctrinæ, eruditionis, exiſtimationis hominem tantas poſſe lites componere, tantas controverſias dirimere, tam varias conciliare ſententias? Vides, opinor, ut initia ſe dant, quanta in proceſſu difficultas futura ſit, cum tanta ſe in ipſo oſtendat exordio.

XXI. Sed, ut a præcipientium magiſtrorum litibus & controverſiis ad præcepta ipſa tranſeamus, quantam ab eorum indole ac natura difficultatem emerſuram putabis? Jam ex his, quæ generatim diximus de præceptis, quid nominatim de illis, quibus ars critica continetur, ſentiendum ſit, conjectura te arbitror aſſecutum. Sed tamen de his ipſis, contra atque de aliis aliarum artium præceptis affirmatur, illud univerſe ac vere dici poteſt, eſſe multiplicia, eſſe varia, eſſe diverſa, eſſe oppoſita inter ſe, eſſe referta exceptionibus, & pluribus præceptorum ſe mutuo complicantium ambagibus involuta atqne implicata, quæ quidem neſcio quem-

quemadmodum evolves atque explicabis. Nam quid inextricabilius eſſe poteſt, quam addere præcepta præceptis, regulas regulis cumulare, ut regulis ipſis, non niſi aliarum regularum ope atque præſidio uti poſſis? Illud certe fieri neceſſe video, ut præcepta præceptis implicentur, regulæ regulis impediantur; tu vero magis ac magis impeditus & implicatus ex iſtis ipſis regulis ac præceptis, tanquam e laqueis ac pedicis expedire te atque explicare non valeas.

XXII. Quid vero, ſi præceptis obſcuritas? quid, ſi acumen accedat? nimirum ut minus clara, & nimis acuta ſint; nonne tum multo magis ad implicandam, quam ad explicandam difficultatem valebunt? Atqui ita eſt. Ars enim critica natura ſua ſubtilis eſt, acris eſt, acuta eſt, ſpinoſa eſt, quæ ſuis ipſa ſe acuminibus compungit ac ferit, ut propterea ingenium ſolers in primis atque acutum flagitet. Neque vero hæc perinde accipias, quaſi de induſtria criticæ artis præcepta nimis acuta faciam atque ſubtilia; quo te novis ſubjiciendis, inanibuſque excogitandis difficultatibus curem ſubvertere. Etenim ſi ſemel dederis, quod negare non potes, artem criticam acutam eſſe ac ſubtilem, illud neceſſario conſequens eſt, non alias habere poſſe regulas, niſi naturæ atque indoli ſuæ accomodatas; acutas nimirum atque ſubtiles. Multa Criticus videat neceſſe eſt, multa introſpiciat acriter, multa ſolertiſsime diſtinguat, in res ipſas, de quibus agitur, penitius intimiuſque

uſque invadat oportet. Si ſecus ſe gerat, neque muneri ſuo ſatisfaciet, neque certi quidquam conſtituet.

XXIII. Jam in tanta magiſtrorum inter ſe diſſidentium copia, in tanta præceptorum ſubtilitate via neceſſario aliqua ineunda cum ſit, quam potiſſimum tu poſſis eligere; ego plane non video. Etenim magiſtrorum ipſorum conciliare diſſidia, controverſiaſque dirimere, non eſt, uti diximus, iſtius ingenii tui. Unum aliquem optare ac reliquis anteponere ſummam habet difficultatem. Optio enim contentionem requirit; ſingulorum oportet dignitatem expendere, ne cuiquam facere injuriam exiſtimeris, & alium alii ſine cauſa anteponere videaris. Excerpere autem, quæ in unoquoque ſunt optima, id ſane multo difficilius eſt, multi laboris, perfecti ſubactique judicii. Eædem porro difficultates inſtaurantur in præceptis, quæ varia cum ſint, contentionem ipſa etiam requirunt, optionem flagitant; ad eorum autem acumen ac ſubtilitatem hebes profecto ingenium afferri atque opponi non oportere, ne tu quidem, opinor, negabis. Quid ergo? quid relinquetur? non aliud certe, niſi cura, labor, angor, moleſtiæ, anguſtiæ, & illa ad extremum, ærumnoſorum ſcopulus, niſi tua, qua unice vales, in tempore confidentia ſuccurrat, deſperatio.

XXIV. Sed bonitas cauſæ quam defendo, & indulgentia mea te iſta eligendi magiſtri, diſcutiendorumque præceptorum cura moleſtiaque facile liberant. Sit vir idoneus, qui, quem ſequaris, doctorem probatiſſimum,

& artis criticæ experientiſſimum ſuppeditet; ex eo autem, præcepta, ſi quæ habet obſcura, implexa, difficilia, prætereantur; clara, facilia, aperta, ac prope expoſita eligantur. Quid tum? quid cenſes futurum? abſolutumne tranſactumque negotium? Nihil minus. Dico enim illa ipſa præcepta, quæ maxime certa & minus impedita videri poſſunt, ea etiam eſſe incerta, & ex quibus non niſi ægre admodum elici veritas poſſit.

XXV. Age porro, ut quo loco res ſit, quam in vado eſſe arbitraris, cognoſcas, unum aliquem ex iis, qui canones appellantur, & quidem ex eorum numero excerptum, qui certiores exploratioreſque habentur, ſpeciminis cauſa, examinemus. Canon ſit. Si veteres scriptores minime inter se consentiant, qua quis ætate, quove loco vixit, ejus ætatis locique hiſtoriam scribenti fidem habeto, tum qui proxime vixit, consulito, ab aliis caveto. Quid eſt, quod firmius ad conſtituendam veritatem ſtabiliri? quid, quod ad refellendam falſitatem accommodatius præcipi poſſit? Edicitur fidem habendam illi eſſe ſcriptori, qui ea ipſa ætate vixit, qua hoc vel illud factum contigiſſe narratur, qui minime neceſſe habuit rem ab aliis diſcere, cujus ipſe teſtis fuerit, quam ſuis prope oculis uſurparit. Equidem neſcio an exploratior certiorque afferri a me canon potuerit, neque vero a te deſiderari. Nam quid magnopere conſequentium ætatum teſtimonia requiramus, quandoquidem ejus ipſius ſcriptoris aucto-

auctoritate nitimur, qui ea prope ipſe vidit, quæ ſcripto mandavit, ut ſi aliquam rem enunciarit, credere; ſi vero reticuerit, eam jure negare poſſimus, atque adeo debeamus. Hoc tibi certum videtur. Sic opinaris, ſic exiſtimas.

XXVI. Vide nunc, quid inter tuam, & doctiſſimi ac nobiliſſimi Hiſtorici opinionem interſit. Tacitum dico, gravem in primis & acutum ſcriptorem, de quo clariſsimi viri illud teſtimonium reliquerunt; *Non fuiſſe quidem eloquentia, aut aliis virtutibus Livio ſuperiorem, ſed prudentia & judicii notis illuſtriorem*. Jam tu putas teſtatiorem futuram hiſtoriam, quæ ab eo ſcripta ſit, qui ea, qua vixit is, de quo ſcribit, ætate vixerit; ille vero contra multo aliter exiſtimavit, & majorem illi habendam eſſe fidem, ea ipſa de cauſa contendit, quod ea, qua ii, de quibus ſcribit, ætate non vixerit. Quid ita? Audi ipſum; *Veritas*, inquit Hiſtoriarum ſuarum lib. 1. cap. 1. *pluribus modis infracta ...... Mihi Galba, Otho, Vitellius nec beneficio, nec injuria cogniti*. Paucis oppido verbis multa complectitur, & ea quidem, quæ cuique maxime probari debent. At, inquis, hoc eſſe non poteſt. Sed hoc ita eſſe & multæ & graviſsimæ rationes perſuadent. Rem enim altius introſpicienti, non pauca oſtenduntur, quæ Hiſtorici de iis ipſis rebus, quæ ſua ætate contigerunt, ſcribentis fidem elevent atque auctoritatem infringant.

XXVII. Et ſane, putaſne cum illi ipſi Galbæ, Otho-

 nes,

Digitized by Google

nes, Vitellii, cum veteres primi Imperatores viverent, putaſne, quenquam fuiſſe ſcriptorem tantis cervicibus, qui, quæ turpiter, ſcelcſte, nefarie, crudeliter patrarant, ſcripto mandare auderet, eorumque indignationem ſuſtinere ſe poſſe confideret? Nonne multa aut premenda ſilentio, aut extenuanda verbis erant, ne odioſa turpiſsimorum flagitiorum memoria ad poſteros permanaret? Contra, ſiqua forte aliqua cum laude geſſerant, nonne miris, atque adeo minime veris ſupra modum laudibus erant efferenda ſic, ut maximam ſibi partem adulatio vindicaret, minima veritati relinqueretur? Invidia vero, qua plerique eorum flagrabant gravisſima & maxima, cum ſcriptorum animos occupaſſet, nonne in ipſa irrepere ſcripta debuit, ut ſiquas ab iis graves accepiſſent injurias, eas ſive diſsimulando, quæ præclare geſta, ſive exaggerando, quæ nefarie, ſiquidem id impune facere ſe poſſe exiſtimarent, ulciſcerentur. Vides hic ſcriptorem ſummas in anguſtias conjectum; hinc timore, illinc odio oppugnatur, adulatione circumſiſtitur, tenetur undique, nullum certum ac tutum effugium habet. Jam vero, quam veritatem exſpectes ab eo, qui tot anguſtiis prematur, tot ſit obſeſſus periculis, cui, ſi vera enunciet, pœna gravis proponitur, capitis ipſius diſcrimen aditur. De potentiſsimis, ſi neſcis, hominibus agitur, qui, quæ flagitioſe ac turpiter agunt, vulgari nolunt, ſilentio premi, adulatione extenuari volunt; qui, ſiquid forte in ſcripto diſpliceat, nequaquam, ut

Ari-

Ariſtarchus Homero, notam adſcribunt; ſed interdicta, exilia, carceres, cruciatus, crucem apponunt, necem intentant. Hinc illa ejuſdem Taciti Annalium lib.I. cap.I. veriſsime ſcripta; *Tyberii Caiique, & Claudii ac Neronis res, florentibus ipſis, ob metum falſæ; poſtquam occiderant, recentibus odiis compoſitæ ſunt.*

XXVIII. At non ſemper in lubricis hujuſmodi argumentis ſcriptorum verſatur labor. Arbitror, Verum non injuriarum ſolum, ſed beneficiorum etiam meminit Tacitus, & in utriſque ad infringendam veritatem ſummum momentum collocat; *Mihi*, inquit, *nec injuria, nec beneficio cogniti.* Seponamus, ſi vis, injurias; faceſsant interdicta, minæ, exilia, carceres, ſecures, cruciatus, cruces; & ſiqua alia ſunt hujuſmodi ad incutiendum timorem, conſtantiamque ſcriptoris labefactandam excogitata procul abigantur. Quid? Beneficia exiguam ne vim habitura exiſtimas ad Hiſtorici tentandam fidem, de rectoque veritatis tramite deducendam? Beneficia, non magis ſcriptoris adſtringunt animum, quam linguam colligant, & manum devinciunt, eorumque vim, quo liberalius nacti ingenium ſumus, & honeſtius educati, eo acriorem vehementioremque experimur. Quid? quod remunerationem beneficia exigunt; quapropter cum grati ac memores in referenda gratia & videri & eſſe cupimus, nihil facilius, quam ut beneficis hominibus nimis faveamus, diſsimulemus eorum vitia, virtutes, quæ in illis re vera non ſunt, aut vi-

dere nobis videamur, aut ſiquæ ſunt, eas ſcribendo majores amplificandoque faciamus. Hic quoque, uti vides, anguſtiæ; non graviores illæ quidem ſuperioribus, ſed quæ tamen ſcriptoris fidem corrumpere, animumque labefactare poſsint atque pervertere.

XXIX. Sed reliqua expendamus. quo quis loco vixit ei fidem habeto. His verbis ſive patriam, ſive nationem indicari puto. Si patria ſignificatur, in qua quis natus, altus, inſtitutus, ecce tibi acrius quoddam & vehementius ſtudium, quo corripiatur Hiſtoricus, & labefactetur hiſtoria. Favemus enim omnes naturâ patriæ noſtræ, & ejus caritate ducimur, & facile ab æquitate deducimur. Si vero nomine loci natio intelligatur, ecce iterum tibi novum aliud ſtudium, non minus quam ſuperius, acre & vehemens. Fiet enim, ut ſcriptor, niſi caveat, externarum gentium abjiciat laudes, ut ſuæ gentis decora atque ornamenta extollat. Qua lue omnes fere cujuſque nationis Hiſtorici inficiuntur, & omnes omnium prope gentium fœdantur annales. Dixi ni caveat; cavere autem, et pravas omnes animi permotiones, quibus humana tentatur infirmitas, habere edomitas ſic, ut nemo lædatur, nemini invideatur, uni ſtudeatur veritati, nonniſi paucorum eſt, ac plane ſapientum.

XXX. Si vero excluſus ab iis, qui ea ætate, qua res geſta dicitur, vixerunt, ſcriptoribus, ad proxime conſequentis ætatis auctores, explicandæ veritatis gra-

tia,

tia, delaberis, quod a canone his verbis præcipitur; tum qui proxime vixit consulito, non vitabis difficultatem, ſed in multo graviorem incurres. Nam, quæro, ſi *Purius ex ipſo fonte petuntur aquæ*, quæ, quo magis a ſcaturigine digrediuntur, lutulentiores evadunt; quæ ſpes erit puræ, ut ita dicam, hauriendæ veritatis a conſequentibus ſcriptoribus, qui tanto remotiores a fonte ſunt, quanto poſt tempore ab ipſa re geſta exſtiterunt. Si ratio ſubeſt de eorum fide dubitandi, quia ea ipſa ætate vixerunt, qua res geſta dicitur, propter ea, quæ commemoravimus, incommoda, quanto potior ratio erit, cur de conſequentium ſcriptorum fide dubitemus? Nam, amabo te, unde quæ ſcriberent, petere poterant? quibus certis auctoribus diſcere, quæ poſteritati mandarent? Si priores ſcriptores tanquam duces ſecuti eſsent, quos indicavimus ſcopulos, effugere non potuiſsent; fingere autem ex ingenio, & comminiſci conceſsum non erat. Quid facerent? Famam, opinor, rumores vulgi, qui ſuis temporibus nondum plane conquieſſent, conſectari debebant? Sed quid his auctoribus incertius? quid levius? quid dubium ac ſuſpicioſum magis? Homo ſcilicet gravis, & Hiſtoricus, qui in hiſtoria ſua conficienda ſibi uni veritati eſſe ſerviendum putet, captandam famam, vulgi rumores, temere plerunque diſſeminatos, tanquam certos auctores, aucupandos exiſtimabit? Jam extrema illa ab aliis caveto non eſt cur exponam, quæ clara

ra ſunt, & per ſe neceſſaria conſecutione deſcendunt.

XXXI. Non igitur in conſtituenda veritate fidendum *coævis*, quos vocant, ſcriptoribus, cavendum a conſequentibus. At ſi hoc eſt, cui fidem habebimus? cui credemus? Tibi nimirum novo Critico fidendum erit? tibi habenda fides? & quidquid nobis obtuleris, paſſis ſtatim ulnis amplexandum, & clauſis, ut ajunt, oculis excipiendum? Gravis enim vero auctor, ſummo litterariæ reipublicæ bono, ætate hac noſtra exortus, & ad hæc poſtrema tempora reſervatus, quo nos de incertiſſimis rebus, non modo certos & certiores, ſed etiam certiſsimos faceres. Dicis; quid igitur fiet? quomodo veritas elicietur? quomodo explicabitur? Hoc a me quæris? tu videris; quære potius a te; tu tibi ipſe reſponde. Munus nunc meum eſt difficultatem oſtendere, non te rationem, qua ex difficultate evadere poſsis, edocere. Quod ſi reſpondere cogor, hoc unum dicam, nec alius quiſpiam poterit aliter dicere, niſi totum hoc negotium difficilem habere ingreſſum, propter ſummam doctrinam atque eruditionem, quam in Critico requiri ſuperiore actione docui; multo vero difficiliorem, propter ſummas, quas nunc oſtendo, & in quas Criticus neceſsario conjicitur anguſtias, habere egreſsum.

XXXII. At enim; quid tu tandem impeditiſsimo docendi munere implicatus, & in ſcholam illam tuam, tanquam in piſtrinum aliquod, compulſus .... Non eſt, cur plura addas; intelligo quid illud ſit, quod te co-

coquit, quod pectore clauſum habes, quod jamdiu geſtit erumpere, & quod egomet, ne tibi cruditatem gignat, nunc educendum curabo. Planius. Video, quid mihi opponere hoc loco mediteris, & jam inde uſque ab initio hujus contentionis noſtræ objicere in animo habueris. Dicam igitur de me, dicam aperte, dicam ingenue; Si in hujuſmodi loca adeo ſaltuoſa, & tot tantiſque ſentibus obſita aut neceſsitate adactum, aut forte fortuna delatum me viderem, conarer quidem, ſed neſcio quomodo expedire me poſſem. Sed illud hoc loco attende, quod jam per te animadvertere pridem debueras; Alias hac in contentione noſtra tuas, alias meas, & multo diverſas eſse partes. Mihi pars facilior obtigit, tibi difficilior incumbit. Aliud eſt oſtendere, aliud profligare difficultatem; primum nullius prope ingenii, alterum ſummæ eximiæque doctrinæ. Facile eſt apta diſſolvere, difficile admodum diſsipata colligare; facile eſt in littore maris conſtituto ſcopulorum tempeſtatumque pericula denunciare; in ipſo vero mari turbulenta tempeſtate deprehenſo naufragia vitare, & portum feliciter ſubire multo difficillimum. Neque vero eſt, quamobrem piſtrinum illud, quo nomine recte quidem ſcholam deſignaſti, mihi exprobres. Etenim, uti vides, ex eo pedem non effero. Non in exquiſita, non in recondita eruditione verſor; ea affero, quæ cuique obvia, in medio poſita, ac prope vel cæco expoſita ſunt. Sed, qui uni ſerio ſtuduit arti, facile de aliarum artium difficul-

cultate, ſi minus recte, quod mihi non ſumo, judicare, aliqua ſaltem certe poteſt ratione ſuſpicari. Quare non eſt, cur de communicanda mecum difficultate cogites, quam vitabo ſapiens; neque vero unquam tam impedito de unaquaque re judicandi munere implicabor. Ratione & judicio utens, & pedetentim incedens eatenus procedam, quatenus ratio & judicium ſinet, nec committam ſanus, ut ulterius progrediar.

XXXIII. Sed ut, unde digreſsi ſumus, revertamur, ſi in propoſito canone prope certo atque explorato tantum ineſt difficultatis, quantum oſtendimus, quid cenſes futurum in iis, qui neque tam certi ſunt, neque tam explorati? Itaque, non eſt cur reliquos ejuſdem generis & æque certos examinandos ſuſcipiam, in quibus, ſi per tempus liceret, mihi prope ludus eſset, idem, quod in allato exemplo præſtiti, demonſtrare. Sed quid tandem facias? Velis, nolis, hoc habent a ſe omnes artes, ut fere præcepta facilia ſint, uſus difficilis; hoc autem amplius ars critica, ut & præceptis ſit & uſu difficillima. Porro hoc ipſum ſive vitium, ſive morbum, ſive aliud quidpiam appellare malis, pro certo habeto, eſse hujuſmodi, cui nulla præcipientium conſilia ſubvenire, nulla medentum ars, ne vel adhibito quidem panchreſto medicamento, mederi poſſit.

XXXIV. Verum, omiſsis præceptis & canonibus, de quibus ſatis diximus, pauca de ipſis artis criticæ principiis dicamus, quo difficultas magis, quam oſtendendam

ſu-

ſuſcepi, ac magis declaretur. Principia cujuſque facultatis & artis ea vocantur; quæ communi atque unanimi ſententia probata ac recepta ſunt, atque in ipſo communi ſenſu propemodum infixa. Nunc ſi artis criticæ principia paullo diligentius expendere velimus, eodem, quo præcepta, morbo laborare deprehendemus. Et ſane, quid exploratius, quam ſtandum eſſe auctoritati, obtemperandum rationi, utriuſque & auctoritatis & rationis conſenſionem maximi eſſe faciendam, multum veteribus, multum antiquitati deferendum. In his omnes conſentiunt, nemo diſcrepat; hæc tanquam baſes ac fundamenta a Criticis omnibus jaciuntur, ſuper quæ veritatis ædificium firmum extruatur atque inconcuſſum. Ex his tamen veris certiſſimiſque principiis dici non poteſt, quantæ quamque non diverſæ ſolum, ſed oppoſitæ etiam conſecutiones deducantur.

XXXV. Unde enim cenſes tot diſſidia inter doctiſſimos & nobiliſſimos Criticos eadem de re & exorta olim fuiſſe, & excitari quotidie, quæ nullum unquam finem habitura eſſe videantur; ſi ut certa ſunt, quæ communi ſententia conſtituuntur, principia; ita etiam certus & conſtans uſus eſſet principiorum. Sed ea neſcio quomodo cum ad uſum traducuntur, lites gignunt, quæſtiones pariunt, & tot, pro diverſa ingeniorum ratiocinantium habitudine, ex iis variæ erumpunt diſcrepanteſque ſententiæ, ut earum incredibilis numerus ſit, & deſperanda conciliatio. Utraque ex parte auctoritas oppo-

ponitur, utrique parti rationem favere contenditur; utrinque antiquitatis teſtimonium profertur, utrinque pugnatur, & repugnatur acerrime; nullus diſceptationum finis, nullus controverſiarum modus. Quæ quidem ſatis declarant, quacumque de cauſa id evenire dicatur, quam incerta res iſta ſit ac plena negotii.

XXXVI. Atque ut id a te infirmari non poſſit; a me vero non tam affirmetur, quam confirmetur, allato exemplo demonſtrabitur. Celeberrimam Abgari epiſtolam tibi non ignotam eſſe exiſtimo. Atqui hæc per eadem omnino principia a doctiſſimis & præſtantiſſimis Criticis & oppugantur & propugnatur. Ipſa Gelaſii ſummi Pontificis auctoritas, qui eam apocrypham cenſura ſua declaraverat, omnem ſuſtuliſſe controverſiam exiſtimari poterat; ſed tamen hæc ipſa auctoritas non obſtat, quo minus irrogata cenſura non in diverſam modo, ſed in oppoſitam etiam partem pro cujuſque ſtudio detorqueatur. Uſque adeo eadem de re, iiſdemque deducta ratiocinatione principiis, oppoſita concluduntur. Atque hoc ipſum quidem, ſi actionis hujus noſtræ jam ad exitum properantis modus pateretur, bene multis exemplis doceri poſset. Id autem generatim licet animadvertere fere in omnibus, de quibus inter ſe Critici litigant, & quæ magnis utrinque contentionibus, allata utrinque & auctoritate & ratione, & veterum & antiquitatis teſtificatione agitantur. Quibus exemplis conficitur, ita rem plerunque ſe habere, ut tametſi ſubſtrata, tanquam

quam firmiſſima baſi, principiorum certitudine aliquid conſtituatur, ſuperexſtructum tamen ædificium labet. Quapropter, opinor, intelligis omnia propemodum incerta eſſe, obſcura, omnia fere dubia, omnia ſuſpicioſa. Sic eſt; quo te cumque convertas, quocumque cogites, uſque novi occurrent, qui iter impediant, Labyrinti, novi Mæandri, novæ ambages, nova novarum diverticula ſemitarum objicientur; & illa ipſa difficultas, quam ab initio ſummam propoſui, novis ſemper difficultatum acceſſionibus cumulata, & incredibilem in modum exaggerata reperietur. Jam vero tibi quid regulæ prodeſſe poterunt? quid præcepta? quid canones? quid vel ipſa principia magnopere poterunt prodeſſe? Ubi nunc Ariadnæum illud filum, quod incertos greſſus tuos regat, a te jam inde ab hujus actionis exordio expromptum, in quo tantam fiduciam collocaras, quod tibi nunquam defuturum, & tanto uſui futurum ſperabas, ut ejus unius præſidio ex iis, quas priore actione oſtendimus, plurimarum maximarumque difficultatum ambagibus evadere te nullo prope negotio poſſe confideres.

XXXVII. At ſi hoc eſt, actum omnino erit de veritate, & de veridica prorſus hiſtoria deſperandum. Quid hic dicam? quid reponam? Non imperite tu quidem, nec vero non opportune hoc mihi nunc objicis atque opponis. Sed, quam facile me expediam, attende. Age, dic quid a me tibi reſponderi vis? Mihi æque facile eſt, & concedere & negare; concedam ſi vis; infi-
cia-

ciabor, ſi voles. Si utrumque; etiam. Itaque, quod Oratoribus fiducia cauſæ uſitatum eſt & familiare, concedam ſimul & negabo. Primum concedam deſperandum de veritate; ſed tibi, homini inexperto, imperito, inexercitato, & vix leviter primis litteris tincto; quæ cauſæ fuerunt, & quidem graviſſimæ, quibus adductus te ab hoc impeditiſſimo munere avocandum removendumque ſuſceperim. Quid tibi hac de reſponſione videtur? Certe præter expectationem hominem occupavit; ſed tamen nihil verius a me proferri potuit, & magis ad uſum præſentem accomodatum. Hoc primum. Deinde nego de veritate eſſe deſperandum hominibus ſapientibus, ingenioſis, longo uſu edoctis, & qui neceſſaria ad artem criticam præſidia afferant. Invenient illi, ne dubita, rationem, qua veritatem ex illis difficultatibus, quas hactenus perſecuti ſumus, evolutam explicent, quam tu rationem nondum invenire potuiſti, nec vero fore credo, ut invenias in poſterum.

XXXVIII. Cæterum noli putare, orationem hanc meam eo ſpectaſſe, omnia ut dubia redderem, ut incerta facerem, ut omnem humanam fidem de medio tollerem. Non huc ſpectavit, non huc pertinuit oratio. Nihil enim ſtultius a me inſinuari potuiſſet, quam veritatem explicari nullo modo poſſe. Si ita me geſſiſſem, more Gigantum pugnaſſem cum ſuperis, hoc eſt repugnaſſem naturæ, ejuſque vinculum, quo humana adſtringitur ſocietas, diſſolviſſe merito coarguerer. *Auctor*

Hor quippe Naturæ Deus, egregie ſcriptum reliquit vir doctiſſimus in præclariſſimo illo ſuo de locis Theologicis opere lib.XI. cap.IV. *in hominum mentibus inclinationem ad credendum naturalem impreſſit. Siquidem non minus fides neceſſaria eſt hominis & vitæ & diſciplinæ, quam aut igni locus ſupremus, aut terræ imus, ut bene habeant, neceſſarius eſt.* Non ego igitur humanam fidem de medio tollendam, non de veritate deſperandum eſſe contendi. Hiſtoricis enim gravibus, quales ſine dubio non pauci inter ſacros & profanos numerantur, ajo fidem eſse habendam, ex eorumque auctoritate, ſi præſertim aliqua de re conſentiant, dico poſse elici veritatem. Quare, ſi recte attendiſti, unam expediendæ certo veritatis, eamque ſummam difficultatem ſum perſecutus; hoc allatæ rationes oſtendunt, hoc docent. Si vero reliquis actionibus intereſſe volueris, ſenſus omnes hac de re mei, tibi notiores fient; & intelliges planeque perſpicies, nihil mihi magis eſſe cordi, quam veritatem. Interim maneat in cauſa, quod demonſtrandum ſuſcepi; Artem criticam eſſe difficilem, artis præcepta difficiliora, ex præceptis aliquid certi conſtituere multo difficillimum.

XXXIX. Quod ſi nunc a me doceri cupis rationem, quam ſapientes atque eruditi viri, ut ſe ex oſtenſis difficultatibus expediant, inituri ſint; tametſi, quemadmodum dixi, hæ partes non ſunt meæ, morem tamen geram, ac tibi juſta petenti, & præclara cupienti ſatiſ-

fa-

faciam. Verum, quandoquidem in exitu eſt oratio; non id ego te docebo; ſed paucis, atque adeo uno tantum verbo tibi indicabo. Dic, amabo te, dic ſodes, an oblitus es, quod, cum paullo ante de præceptis artium generatim, & ſingulatim de artis criticæ regulis agebamus, diximus, & te meminiſſe ſuper omnia oportebat, artem nimirum criticam, uti reliquas artes, ſed artem præcipue criticam uno ferme judicio contineri? Quo ſummam artium jam revocavi, eodem nunc te revoco, ut ab arte omnium difficillima avocem, ad judicium inquam; dicam iterum ad judicium. En tibi ratio explicandarum difficultatum; en modus expediendæ veritatis; en via eo, quo tendis, tuto perveniendi, en regula, en præceptum, en canon firmus ille quidem atque inconcuſſus, en denique Ariadnæum filum, quo Criticus regitur, cujus ope expeditur, cujus præſidio, quantum & rerum natura patitur, & humana ſinit infirmitas, tutus incedit, & feliciter ex ambagibus, quæ in arte omnium impeditiſſima vitari omnino non poſſunt, evadit. Judicium fere omnia in arte critica adminiſtrat, omnia judicium expedit, omnia tranſigit judicium. Judicio diſſolvuntur ambages, judicio implicata explicantur, judicio involuta evolvuntur. Hoc eſt, quod pervia facit, quæ videntur impervia, hoc obſtantia removet, hoc offendicula tollit, hoc affuſas veritati tenebras diſcutit, hoc facem præfert, hoc præſto eſt, ubi neceſſitas poſtulat, adeſt, ſubvenit, opitulatur; hoc callem oſten-

oſtendit, hoc greſſus moderatur, hoc difficultates omnes, quantumvis arduas & incredibiles, ſuperat, edomat atque profligat, ubique ſerpit, in omnem partem ſe dat ac verſat, uno verbo nihil non agit, & hoc denique eſt, quod ego jamdiu a te requiro ac flagito, & quo tu prorſus deſtitueris.

XL. Quid? Tune, ſi vel minima hujus, de quo dico, judicii, in te particula reſideret, tete huic pelago tam incerto, tam vaſto, tam immenſo, tam infeſto, tam ſcopuloſo, procelloſo, æſtuoſo, tot tantiſque naufragiis famoſo, ſine velis, ſine remigibus, ſine gubernaculo, ſine mente, ſine conſilio commiſiſſes, aut te unquam committere cogitaſſes? Næ tu, ſi quidquam ſapuiſſes, nec deſipuiſſes omnino, aut te portu continuiſſes, aut ſi ſolvere placuiſſet, extremas tantum littoris oras tutioreſque legiſſes, atque iſta tibi ratione ac ſaluti tuæ cautus & ſapiens proſpexiſſes. Quid attinuit ſponte tua in ſummum te periculorum omnium conjicere diſcrimen, atque in medium turbulentiſſimarum procellarum ac tempeſtatum certamen iſtud tuum male compactum, atque omni ex parte fatiſcens urgere navigium, niſi ut cupiditate excæcatus, & amentia præceps ad certum rueres naufragium, interitumque voluntarium properares?

XLI. I modo, jacta illa tua præcepta, ingere regulas, obtrude canones, in quibus quantam poſſis collocare fiduciam, jam ſatis a me opinor eſſe demonſtra-

tum . Tu quidem antea magnum te quid dam præſtitiſſe arbitrabaris , ſi regulas neſcio quas memoria comprehendiſſes , & ad eruditionis pompam in tuorum æqualium corona recitaſſes ; nunc autem te nihil egiſſe , quod ad ſummam artis criticæ difficultatem levandam pertineat , fortaſſe intelligis . Quod ad me attinet, nihil omiſi eorum, quæ in præſentia aliquid ad te perſuadendum momenti habere poſse exiſtimavi . Quod ſi ego nihil dicendo profeci , vide , quæſo , ne tu agendo plus fortaſse , quam velis proficias; & eo cupiditate tua abripi te ſinas , ubi æquales tuos exemplo ipſe tuo minus audere edoceas . Quare , aut tibi illa doctrinæ adjunge præſidia , quæ Critico omnino dixi eſse neceſsaria , aut de arte critica noli amplius cogitare ; illudque pro certo habeas , ne eximiam quidem doctrinam , cui ſummum judicium adjunctum non ſit , quidquam Critico profuturam , immo potius obfuturam ; præcepta vero , ſine utriuſque & doctrinæ & judicii adjumento , nihil prorſus valitura .

DE

DE SUMMA

ARTIS CRITICÆ

DIFFICULTATE

Actionis I. Liber III.

EA ratio eſt ac natura omnium diſciplinarum & artium, ut nunquam non magnam difficultatem adjunctam habeant, eoque majorem, quo ſe magis ab humili infimarum atque mediocrium conditione attollunt, & ad altiorem dignitatis atque excellentiæ gradum eriguntur. Quod ſi ita eſt, quid de arte critica ſentiemus, & quem tandem difficultatis modum ei conſtituendum putabimus? Nam, cum facultates una omnes præſtantia longe multumque antecellat, una omnium perfectam abſolutamque cognitionem requirat, una excellentiam contineat, una etiam neceſsario debet omnium complecti difficultatem. Illa ipſa de rebus omni-

nibus cognoſcendi judicandique ſumma poteſtas, quæ ei jure conceditur, uti artem hanc in editiſſimo dignitatis faſtigio collocat, ita tot graviſſimarum difficultatum, quaſi quodam ſatellitio ſtipatam vallat, ut non aditu perdifficilem modo reddat, ſed etiam prope imperviam faciat atque inacceſsam. Huc accedit, quod, quemadmodum ſuperiore actione demonſtratum a nobis fuit, regulis ac præceptis allevari vix, ac ne vix quidem poteſt; ut in quibus aliqua ſubſidii ſpes ac quietis collocari videbatur poſse, in iis novæ novarum moleſtiarum turbulentiſſimæ moles excitentur, ejuſque cultoribus prope deſperatio quædam objiciatur. Quare eo res videtur adducta, ut hujus artis ſive naturam, ſive vim, ſive excellentiam, ſive regulas ipſas ac præcepta, quibus continetur, ſpectare velimus, ſummis undequaque anguſtiis atque moleſtiis incredibilem in modum obſepta reperiatur. Conſtituta hoc modo artis criticæ difficultate, & deſperato omni regularum ſubſidio, illud reliquum eſset, ut ad id, quod ſecundo loco propoſui, gradum facerem, & ſuſceptum a me penſum exſolvere feſtinans, de pravo artis criticæ uſu dicerem. Sed tamen ad præcepta revertar, non quod ex iis aliquid opis ſperandum ſit; ſed ne, cum multa de præcipuis artis hujuſce canonibus diſputarim, illum, qui caput artis prædicatur, omiſiſse jure meritoque coarguar. Canon eſt ex veterum ſilentio depromptus, in quo iſti ſe potiſſimum jactare ſolent, & permagni exi-

exiſtimatur momenti ad ferendum de rebus a noſtra memoria disjunctis, in quibus Criticorum aſſidua ac prope quotidiana diſquiſitio verſatur, certum rectumque judicium. Porro ex hoc canone illud emergit argumentum, quod, recepto apud Criticos vocabulo, *negativum* appellatur. Hujus autem argumenti maximus eſt uſus in arte critica, atque ea in eodem adhibendo frequentia, nihil ut in Criticorum ſcriptis occurrat ſæpius, nihil, quod inculcatum ſit magis, perinde quaſi tota in eo uno artis criticæ vis ac ratio contineretur. Atque hujus quidem argumenti, ſi quo crebrior eſt uſus, eo etiam præſentius eſset auxilium, aliquo modo arti criticæ conſultum exiſtimari poſset, & ea, qua laborat ac maxime premitur, difficultas aliqua ex parte imminuta. Sed hic quoque novis urgemur anguſtiis, novis circumſidemur moleſtiis, novis conflictamur difficultatibus. Nihil enim hoc argumento incertum fortaſse magis, nihil, cui minus fidi poſſit. Quare operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi illud ex regulis omnibus excerptum, ſeparatim examinandum ſuſciperem, eique ſoli, quo copioſius pro ejus dignitate atque præſtantia, addo etiam, pro ſumma, quam iſti in eo collocant, fiducia (quid enim expeditius? quid prima ſpecie probabilius? quam aliquid, de quo veteres ſileant, aut infirmare, aut inficiari) tractaretur, actionem integram reſervarem. Etenim, ut videtis, accurata hujus argumenti inveſtigatio a me præteriri omnino non debuit; ne-

que committi, ut in quo illi uſurpando nimiæ aſſiduitatis arguuntur, ego contra in eodem omittendo aut ſummæ negligentiæ, aut turpis ignorantiæ condemnarer. Dixi nihil hoc argumento prima ſpecie probabilius, nihil uſu expeditius videri; ſed, ſi me iſti, nunc attentius audire volent, multo aliter intelligent ſe rem habere, atque ipſi falſa perſuaſione decepti arbitrantur. Docebo quam hoc infirmum argumentum ſit, quam omni ex parte labans, quam minime, ut ipſi prædicant, inconcuſsum. Quo demonſtrato illud reliquum erit, ut de ſumma artis criticæ difficultate dubitare deſinant; illudque ſibi perſuaderi tandem aliquando ſinant, hanc ipſam difficultatem nullo modo poſſe, niſi acerrimo ingenio vinci, non alia via, niſi eximia doctrina ſuperari, non alia demum ratione, niſi excellenti quodam, quod in arte critica maxime pollet, judicio edomari.

II. Atque ut ad Græculum illum meum poſtremo revertar, quo cum jam tertio congredi placet; age nunc ſis, & profer canonem illum tuum, in quo explorando hodierna omnis noſtra ſive contentio, ſive diſputatio verſabitur; illudque inflatis & percrepantibus buccis, & uſitata illa tua capitis elatione ac jactatione pronuncia. Si quid in Veterum scriptis non inveneris, pernegato. Audio. Veruntamen ne tantiſper quidem commoveor, & ſimul confido fore, ut telum iſtud immane tuum, quo hodie contra me uſurus es, ut ad rationum momenta, tanquam ad objectum firmum

mum aliquem clypeum, ventum erit, *glacies ceu futilis iĉta diſſiliat*; tu vero prorſus inermis reperiare. Ea igitur, quæ in veterum ſcriptis non invenero, auĉtore canone iſto tuo inficiabor. Quid? Omniane, de quibus veteres ſiluerunt, ſtatim tanquam falſa rejicientur ac repudiabuntur? Primum velim mihi dicas, qui ſcis? unde habes? quo magiſtro didiceris? quod nihil veteres fugerit, nihil latuerit, nihil non litteris poſteritatique demandarint. Cui enim probabis? tanta eos fuiſſe diligentia, tanta aſſiduitate, cognitione tanta, ut prope infinitam rerum memorabilium multitudinem non modo non ignorarint, ſed accuratius etiam, undequaque per ipſos potuit, collegerint, eamque ſcriptis complexi ſuis nihil reliquum ſibi fecerint, quod non litterarum monumentis cuſtodiendum aſſervandumque commiſerint. Quid? ſi multa illis objeĉta fuerint impedimenta, quibus ab enunciandis ſine diſcrimine rebus omnibus memoria dignis vel diſsuaderentur, vel deterrerentur, ut vel noluerint, ſi potuerunt, vel, ſi voluerunt, id ipſum efficere non potuerint; tamenne in ea opinione perſtabis, ut putes nihil eos omiſiſſe, nihil, quod a ſe poſteritas requireret, prætermittendum exiſtimaſſe?

III. Sed collegerint ſane omnia, quippe qui navi induſtriique homines & perhibebantur & erant; nihil iis obſtiterit, quominus omnia & poſterorum memoriæ, & litterarum monumentis commendare prohiberentur. Inſto nihilo acrius & urgeo. Quid? omniane, quæ ve-

teres ſcriptis ſuis prodidere, ad noſtras manus tam longo intervallo pervenerunt ? Nulline codices amiſſi ? nullane voluminum facta jactura ? Nonne pene innumerabilia hujuſcemodi monumenta partim incuria deperdita, partim invidia de medio ſublata, partim odio concerpta, partim vaneſcentibus litteris deleta, partim tineis blattiſque pereſa, partim incendiis conſumpta, partim aquarum alluvionibus abſorpta penitus atque hauſta interierunt ? ut prope miraculo habendum ſit, ſiqua ætatem pertulerint, & ad noſtra uſque tempora perdurarint.

IV. Quam multa putas, quamque excellentia excellentium olim exſtitiſſe Oratorum opera, Poetarum, Hiſtoricorum, Grammaticorum ? quam multa ſapientiſſimorum virorum, in omni genere doctrinarum & artium, & græcorum & latinorum ? quorum operum ne minimum quidem veſtigium nunc remanet. Ex tot latinis Oratoribus, qui a Tullio commemorantur, ne unius quidem unam nunc orationem invenies. Orator longe diſertiſſimus fuit Hortenſius; eloquentiſſimas habuit & ſcripſit orationes; profer, ſi potes, de tanto viro periodum unam, verbum unum ? Tullii ipſius Oratorum omnium facile principis eloquentiſſimæ orationes quam multæ interierunt ? Ejuſdem de Republica libri illi admirabiles, florente Auguſtino, & legebantur, & ſuſpiciebantur; nunc, ſi fragmentum de Somnio Scipionis, & paucula quædam, quæ aliis in aliorum auctorum operibus indicata reperiuntur, excipias, nulli ſunt.

Quid ?

Quid? copioſum indicem vel de ſolis Grammaticis contexuit, & volumen integrum confecit Svetonius. Horum Grammaticorum præceptiones, quis noſtrum vidit umquam? quis legit? niſi tu forte eas & vidiſſe, & legiſſe affirmare poſsis, qui tantopere regulis ac præceptionibus delectaris. Annales illi maximi, qui a Romanis ſumma cura ac diligentia conficiebantur, & omnium veraciſſimi habebantur, quorum ante cognoſcendorum populo poteſtas fiebat, quam ederentur, nunc quidem nuſquam apparent. De multis vero ſummorum Poetarum operibus ſive græcis, ſive latinis, quid commemorem? quorum inventio deſperanda eſt, jactura vero reparari nullo modo poteſt.

V. Sed levioris fortaſſe momenti tot Oratorum, Poetarum, Hiſtoricorum, Grammaticorum opera periiſſe videri poteſt. Quid? illa præclariſſima SS. Patrum volumina, tanto ſtudio elaborata, tanta tamque exquiſita doctrina & eruditione referta, quæ ſummo ad Catholicam Religionem confirmandam, ſi ſupereſſent, uſui forent, intercidiſſe, leviterne ac diſſolute ferendum erit? Ubi nunc exſtant priorum Eccleſiæ ſæculorum tot egregia hoc in genere monumenta? quo tandem loco tam abdito ac recondito, ut eo nullius adhuc diligentia in rimando ac ſagacitas aſpirare potuerit, illa cuſtodiri atque aſſervari exiſtimabimus? Ubi Quadrati Apoſtolorum diſcipuli pro Chriſtianis *Apologia*, quam Hieronymus & Euſebius citant? ubi alia item pro Chriſtia-

ſtianis *Apologia* ab Ariſtide Athenienſi Philoſopho ſcripta, cujus item Hieronymus & Euſebius mentionem faciunt? Ubi S. Juſtini Philoſophi liber contra Hæreticos? Ubi Melithonis Sardium Epiſcopi opera decem & octo? Ubi plures a Dionyſio Corinthiorum Pontifice Epiſcopis & Sotero Papæ epiſtolæ miſſæ? Ubi S. Irenæi Lugdunenſis Epiſcopi litteræ? Ubi ejuſdem liber contra Marcionem, & variis de rebus tractatus luculentiſſimi? Ubi Apollonii Senatoris Romani & nobiliſſimi Martyris Catholicæ Religionis inviсtiſſima propugnatio, qui juſſus a Commodo Imperatore rationem Fidei ſuæ reddere, eam diſertiſſime a ſe exaratam Senatui exhibuit? De Sanctis vero Patribus qui poſterioribus ſæculis floruerunt, quid dicam? Nullum fere ex illis invenire poteris, cujus opera bene multa non deſiderentur. Multa deſunt de Hieronymo, multa de Ambroſio, multa de Hilariis & Pictavienſi & Arelatenſi, multa de Gregorio Turonenſi, multa de Cypriano clariſſimo Oratore; multa de Paulino Oratore & Poeta celeberrimo; multa de Fulgentio, multa de Lactantio, de Caſſiodorio, de aliis latinis Patribus multa. Quid de græcis? de Athanaſio, de Baſilio Magno, de Gregorio Nyſſeno, de Amphilochio, de Cyrillo Alexandrino, Theodoreto, Dionyſio Epiſcopo Alexandrino, Methodio Epiſcopo Tyri in Palæſtina nonne multa? de Ephrem vero Patriarcha Antiocheno omnia. Namquid plura colligendo enumerandoque perſequar? Illorum

iſdo-

ipſorum Patrum, quorum nulla non ad nos opera perveniſse videri potuerunt, cujuſmodi ſunt Tertulliani, Origenis, Clementis Alexandri, Auguſtini ipſius aliorumque; non pauca tamen inſignia volumina prorſus interierunt. Jam paucane periiſſe tibi videntur? cum tanta, quanta enumeravimus, hujuſmodi monumenta perierint, quæ tranſmittere ad nos majorum cura non potuit, & vetuſtas abſumpſit.

VI. Illa vero tandem quam luctuoſa! quam exitialis! quam deploranda divinorum voluminum jactura fuit! Hanc tamen, ſi non omnium, quod providentiſſima ſupremi numinis cura antevertit, nonnullorum tamen ſubire temporis injuria coacti fuimus. Novimus ex lib. III. Regum cap. IV. Salomonem illum, mortalium omnium divino oraculo ſapientiſſimum, tria millia parabolarum locutum eſſe, & carmina ejus fuiſſe quinque millia. Hæc autem tot & parabolarum & carminum millia nunc ubi ſunt? ubi latent? ubi aſſervantur? Nuſquam ſunt, perierunt, interciderunt. Idem ille ipſe Salomon, ut ex eodem libro Regum diſcimus, quam multa de plantarum ſtirpiumque proprietatibus libris complexus eſt ſuis? qui *diſputavit ſuper lignis a cedro, quæ eſt in Libano, uſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete*. Quid vero illa alia, quæ idem eſt alio in genere multa perſecutus? *de jumentis, de volucribus, de reptilibus, de piſcibus*. Jam Parabolarum libros quantum utilitatis ad doctrinam & morum inſtitutionem habituros; reliquos au-

autem quantum ad humanum uſum & vitæ neceſſitatem commodi, ſi ſupereſsent allaturos exiſtimabimus? Sed hos ipſos libros idem, qui alios omnium omnis ætatis ſcriptorum innumerabiles, violentus turbo corripuit atque diſperſit.

VII. Quod ſi divinorum voluminum, quæ tanto religioſius ac diligentius, quanto reliquis omnibus voluminibus præſtabiliora erant, cuſtodiri debuerunt, evitari jactura non potuit; quid ſentiendum de cæteris hujuſmodi monumentis putabimus? quorum tanto facilior amiſſio eſse debuit, quanto minus ex eorum amiſſione detrimentum conſequebatur; ut mirari deſinamus, ſi tot SS. Patrum opera, quot ſupra enumeravimus (tametſi non omnia collegimus, ſed aliqua tantum ex incredibili deperditorum operum numero excerpſimus) interciderunt, quandoquidem divinorum ipſorum codicum amiſſionem effugere non potuimus. Omnino ſic ſe res habet, non ſingula volumina ſolum diuturnitate temporis, ſed integræ etiam bibliothecæ conſumptæ ſunt. Scimus aſservandorum codicum gratia nobiliſſimas a potentiſſimis Regibus conſtructas fuiſse bibliothecas; Alexandrinam a Ptolemæo Philadelpho, Palatinam Apollini conſecratam ab Auguſto, alias ab aliis alibi. Hæ porro incredibilem voluminum copiam toto orbe, immenſis ſumptibus, ſumma cura diligentiaque conquiſitorum capiebant. Sed quæ tot volumina capere potuerunt, eædem quo minus ea, una cum regiis ipſis ædificiis, in-

cen-

cendia, caſus, ruinæ, direptiones perderent penitus atque abſumerent, prohibere non potuerunt.

VIII. Neque vero aliter eſse debuiſse exiſtimandum eſt, ſi ad caſus prope infinitos, quibus humanæ res obnoxiæ ſunt animum cogitationemque convertamus. Atque ut omiſſis prioribus illis ſæculis, quibus, vigente Romanorum Imperio, non adeo barbaries dominata eſt, ad tempora noſtris propiora veniamus; an mihi tu hoſpes adeo in hiſtoria es ac peregrinus, ut Vandalorum, Gothorum, Hunnorum, Longobardorum, cæterarumque barbararum nationum fatales longe lateque excurſiones, earumque teterrimas in Italiam præſertim noſtram irruptiones ignores? Has autem parum his, de quibus loquimur, monumentis exitiales fuiſſe credis & calamitoſas? Quocumque incitata barbarie ſua & furore iniquiſsima gens, & humanitati ipſi inimica rapiebatur, ruinæ, ſtrages, excidia, interitus, direptiones, vaſtationes conſequebantur. Neque vero minor calamitas egregiis ſapientiſsimorum virorum monumentis, depopulatis provinciis, direptis urbibus, everſis bibliothecis, incenſis tabulariis importabatur. Mitto hic inclinationem temporum, mitto hominum incuriam, mitto ignorantiam, mitto regnorum, mitto imperiorum viciſsitudines, omnia denique bella cujuſque generis ſive a domeſticis, ſive ab externis illata prætermitto, quibus noſtra hæc pulcherrima mundi plaga, præcipua bonarum artium altrix, certa ſedes, vetuſtiſsimum-

mumque domicilium infeſta fuit, ut propterea artes ipſæ nuſquam tuto conſiſtere potuerint ac conquieſcere. Extorres miſeræ hac illac vagari cogebantur, ac fuga ſibi conſulere, qua quidem in fuga, trepida præſertim ac repentina, multum litterariæ hujus, ut ita dicam, ſupellectilis interire & amitti neceſſario debuit.

IX. Nam, quid poſtremo dicam de edaciſsima illa rerum confectrice omnium vetuſtate, cujus tanta ſemper vis fuit, nihil ut opere, aut manu factum exſtiterit, quod ipſa tandem aliquando non conſumpſerit? Pepercit ſcilicet chartis, doctis quantumlibet & laborioſis, quæ ſe ab immanibus illis atque inſanis Ægyptiorum Romanorumque molibus temperare minime potuit? Jacent moles illæ, quæ ad æternitatem extructæ videbantur, & re ipſa æternum tempus laturæ merito exiſtimari poterant; tanta erat magnificentiſsimorum firmitas ſtabilitaſque ædificiorum; jacent, inquam, everſæ nunc funditus ac perculſæ, vix ut ex illarum reliquiis incredibilem earundem pulchritudinem amplitudinemque æſtimare poſsimus. Neque vero voraciſsima hæc ipſa vetuſtas iſtis ipſis reliquiis parcet; eas perſequitur quotidie, & perſequetur in poſterum, nec plane ſatiabitur, donec, quod reliquum eſt, exedat prorſus atque conficiat. Uſque adeo nihil eſt durabile, omnia fluxa & caduca; nihil, quod tempus ferat, nihil æternum, nihil immortale.

X. Jam vero in tanta clade, excidio tanto omnis ge-

generis monumentorum, tu mihi veterum ſilentium objicies atque oppones? Miror equidem, nec ſatis rationem aſsequi poſsum, quare hujuſmodi ſilentio tantum auctoritatis ineſſe exiſtimandum ſit, ac perinde ratiocinandum ex eo, quaſi ſilentium hoc ipſum non tacita eſset aliqua de re, ſed plane diſerta teſtificatio. Locuti quidem, per me licet, illi veteres ſint, nihil prætermiſerint, de omni re, quæ eſset memoria digna, nos docere voluerint, ut hac de cauſa magnam illis habere debeamus gratiam. Sed, quæ rerum humanarum incerta conditio eſt, præclarum illud eorum nos erudiendi juvandique deſiderium ſucceſsu caruit. Eorum opera amplius non exſtant; diuturnitate temporis conſumpta ſunt, de tot voluminibus ne pagina quidem una reliqua facta eſt. Quid facias? quemadmodum tantam jacturam reparabis? quomodo tanto malo occurres? An quæ interciderunt, ne interciderint, efficere quiſquam poteſt? Reliquum igitur illud eſt, ut quæ reparari non poſsunt, iis neceſsario careamus, eorum jacturam æquo feramus animo, & nos in tantis malis, qua poſsumus, ratione conſolemur.

XI. Tu vero multo aliter mecum agis. Requiris a me eorum opera, quæ nulla ſunt; me adigis exprome re, quod non poſſim. Inſtas, urges, opprimis, non remittis. Nam, quid aliud eſt veterum ſcriptorum ſilentium objicere? quam eorum opera flagitare, quæ ſi exſtiterunt, ipſa vetuſtate perierunt. Quid ego faciam?

ciam ? quomodo tibi poſsim ſatisfacere ? An eorum auctores ab inferis excitandi erunt , ut adſint , ut præſto ſint , ut teſtificationem interponant ſuam ? Hoc fieri nullo modo poteſt . Quid ergo eſt ? quod tantum momenti in eorum taciturnitate collocandum putes . Quid , quod eorum ſilentium mihi ingeras atque obtrudas ? ex eoque aliquid contra me coneris efficere ? Ii quidem loquerentur , ſi exſiſterent , taceant autem neceſſe eſt , quia nulli ſunt . Nonne qui ita ſe gerat , perinde facere exiſtimandus eſt , ac ſi poſt ingentem magni cujuſdam exercitus cladem , eos , quos Martis vis perculit , & campo exſtincti jacent , teſtes adhibere velit , ex eorumque ſilentio aliquid confirmare . At tacent . Credo equidem . Quid ni taceant ? exſtincti ſunt , ſenſu & lingua carent . Exſpectandum ſcilicet , dum mortui loquantur , & vocem emittant . Non eſt igitur , cur ex eorum taciturnitate quidquam coneris evincere, ut in eadem contra me uſurpanda tam creber , tam moleſtus ac moroſus ſis .

XII. At non omnia vetera monumenta eandem fortunam ſubierunt ; multa iniquiſsimas temporum injurias, multa furaciſsimas barbarorum manus evaſeruut , multa ad noſtra uſque tempora perdurarunt . Video . Nunc dicis aliquid , quod ad rem pertineat ; ſed ne hoc quidem tibi magnopere ſuffragari poteſt . Sic enim loqueris , veteres ut codices , aut legiſſe nunquam , aut ſi legeris , non intellexiſſe videare . Si enim legiſſes & intellexiſſes , vidiſſes profecto multa in iis deſiderari , quæ fru-

fruſtra ſapientiſsimorum hominum diligentia, fruſtra ſagacitas exquirat. Multa imperitorum ſæculorum inſcitia, aut ad alienum ſenſum traducta, aut per vim nullo more, nullo exemplo intruſa, multa librariorum vitio, ignorantia, oſcitantia fœdiſsimum in modum depravata, multa corrupta ac turpiſsimis mendorum ſordibus atque illuvie inquinata, quæ omnia quantum fidem elevent, teſtimonium infirment, argumentorum vim proterant atque infringant, quis non intelligit? Plurimam quidem operam & diligentem & diuturnam ad eos ab errorum colluvione perpurgandos contulerunt viri doctiſsimi, ut, ſi fieri poſſet, illos priſtinæ fidei integritatique reſtituerent. Utrum vero, quod optimo conſilio efficiendum ſuſceperunt, re etiam ipſa perfecerint, malo ſapientum opinioni relinquere, quam in oratione mea ponere.

XIII. Hoc primum; deinde nihilo minus, quam antea, acriter ac vehementer argumentationem inſtauro. Nam, tametſi multa veterum ſcripta ad nos pervenerint, cum tamen ad noſtras manus non omnia perveniſſe certum ſit, quid eſt? quod tu in me oppugnando diutius perſeveres. Opus flagitas auctoris, cujus mihi ſilentium opponis. Dico, periiſſe, quod credibile eſt & veriſimile in tanta, quantam ſupra demonſtravimus, veterum ſcriptorum clade atque interitu. At hujus ipſius auctoris multa ſuperſunt opera. Eſto; ſed non omnia. Quomodo oſtendes ſupereſſe omnia? quomodo me convinces? qui

ſatis planum jam fecerim multa eorum ipſorum ſcriptorum, quorum opera ad nos pervenerunt, multa, inquam, deſiderari. Jam, ſi non exſtant omnia, nihil profecto eſt, quod contra me argumentando ratiocinandoque poſſis efficere? Illud ipſum opus, quod a me flagitas, potuit intercidere; ſi intercidit, argumentum nullum eſt; ſi potuit, dubium valde ac ſuſpicioſum. Unum de duobus neceſſe eſt; aut plane conſtare debet, nihil ejus auctoris, cujus mihi ſilentium objicis, deſiderari; aut, ſi hoc non conſtat, nec demonſtrari ullo modo poteſt, conſequens illud eſt, ut prope nihil inde, quod quidem ratum ac firmum ſit, efficiatur.

XIV. Verum eſto, hujus ipſius, cujus mihi ſilentium opponis, auctoris opera exſtent omnia, nullum perierit. Quid? ſi male corrupta, ſi fœde circumciſa, ſi interpolata, ſi interlita, ſi peſſimum in modum depravata ad nos pervenerint? Quid tu? quid Critici omnes argumentabuntur? Poteruntne mihi eripere facultatem reclamandi, omnibus conſilio utentibus rationem auferre ſuſpicandi, lacunam exſtare aliquam in his operibus ipſis, quam recognitorum diligentia atque ſagacitas nequaquam explere potuerit? Quid præterea? ſi idem iſte auctor quanquam multa ſcripſerit, & nihil eorum, quæ ſcripſit, interciderit, omnia tamen aut litteris conſignare noluit, aut, ſi voluit, ei fuit interdictum; tamenne ejus auctoritas tanti erit, ut, ſi aliquo de facto reticeat, ejus mihi ſilentium jure poſſit opponi?

At

XV. At credibile non videtur, ab accurato ſcriptore rem ullam, quæ ad illud ipſum, quo ſcribebat, tempus aliquo modo pertineret, fuiſſe prætermiſſam; præſertim vero ſi res illuſtris admodum fuerit, ſi dexter ſe locus ſcriptori, ſi idonea de ea mentionem faciendi obtulerit opportunitas. Verum, ut iſtud ipſum, quod dicis aliquid ad perſuadendum momenti habeat, quod tamen ratione magis, quam uſu probatur; quis in ſe recipere poterit, & fidem interponere ſuam, nihil hujuſmodi vel ab accuratis unquam omiſſum fuiſſe ſcriptoribus? Multa enim re ipſa omiſſa ſunt. Si quam ob cauſam quæris? neſcio. Non enim poſsum divinare. Etenim & multæ, & graves, & etiam neceſsariæ cauſæ eſse potuerunt, quare hanc vel illam rem omiſerint; hoc unum ſcio, & certo ſcio, omiſiſse. Quid? nonne nobis vel non cogitantibus, vel aliud cogitantibus multa in ſcribendo elabuntur atque prætervolant? At res erat illuſtris & hujuſmodi, quæ omnino ut de ſe mentio fieret & poſtulabat, & flagitabat. Audio. At locus ſcriptorem admonebat. Video. Compellebat etiam. Non contradico; ſed nihilo tamen minus ajo, & re poſtulante ac flagitante, & loco admonente & compellente, nullum ejus illuſtris, quam dicis, rei apud ſcriptorem exſtare verbum. Tu quidem clamas ac vociferaris, hoc eſſe incredibile. Sit incredibile, ut vis; ſed iſtud ipſum incredibile tuum & factis refutatur, & exemplis credibile redditur.

XVI. Euſebius certe accuratus fuit ſcriptor & diligens, vir apprime doctus & eloquens. Multa, quæ ſuo tempore contigerunt, copioſe & luculenter ſcriptis perſequitur ſuis; nonnulla tamen, quæ commemorari ab eo debuerunt, omnino prætermiſſa ſilentio ſunt. Certe patrata in ſalutiferæ Crucis inventione prodigia & inſignia fuerunt, & illuſtria, & ad confirmandam Chriſtianam Religionem maxime accommodata. Locus præterea commodus, opportunitas ſumma Euſebio offerebatur, ut nonniſi a negligenti & oſcitante ſcriptore præteriri poſſe viderentur. Omiſſa tamen ab Euſebio ſunt, viro, uti diximus, docto & accurato, & eximio in paucis Hiſtorico; cujus hiſtoria illuſtris adeo habetur, ut ſine ejus luce in ſumma rerum eccleſiaſticarum ignoratione verſaremur. Quod Euſebio uſuvenit, quæ potior ratio, cur aliis quoque ſcriptoribus ſive uſu, ſive caſu venire non debuerit & potuerit, etiamſi conſimili & accuratioris diligentiæ, & doctrinæ exquiſitioris laude commendentur.

XVII. Quid vero? ſi ob eam ipſam cauſam, quod res aliqua maxime inſignis & admodum illuſtris fuerit, ac propterea omnibus nota, omnium paſſim uſurpata linguis, jactata ſermonibus, ſupervacaneum judicari potuit eam ſcripto tradere, & poſterorum memoriæ commendare. Scriptores fere in rebus minus notis ac reconditis diligentiam probari volunt ſuam; a vulgatis & a nemine ignoratis dedita opera abſtinent, quas nullo negotio pu-

putant a quocumque ſcriptore poſſe litteris demandari. Idcirco diligentiſſimi quique ſcrutantur tabularia, abdita quæque inveſtigant, rerum memoriam eruere conantur ultimam; & tum demum, cum aliquid vulgo ignotum, & a nemine enunciatum e tenebris in lucem protulerunt, ſe magnum aliquid præſtitiſſe arbitrantur; tum ſibi placent, tum ſe diligentis omnes impleſſe partes ſcriptoris putant. Fac nobiliores ejuſdem ætatis ſcriptores in hanc conveniſſe ſententiam, jam hoc pacto præteriri multa potuerunt, quorum memoria digna plane erat, quæ litterarum monumentis conſignata non intercideret.

XVIII. Neque vero eſt, cur hoc loco ſcriptores omnes, atque Hiſtoricos ad boni Hiſtorici officium revoces. Hoc etiam advocato in cauſæ tuæ ſubſidium adminiculo, nihilo certe meliorem cauſam efficies. Opinor boni Hiſtorici officium hoc eſſe. *Primum nequid falſi dicere audeat, tum ne quid veri non audeat, demum nequa ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, nequa ſimultatis*. Hæc a doctiſſimis viris hiſtoricæ veritatis jaciuntur fundamenta. Sed quotus quiſque Hiſtoricus reperietur, qui fundamentis his ſuum ſuperexſtruxerit ædificium. Si Hiſtoricos ethnicos ſpectes, eorum fides multis de cauſis ſuſpecta eſt. Funebres laudationes in morem apud Romanos inductæ omnem fere latinam corruperunt hiſtoriam; quæ affirmante Tullio *laudationibus eſt facta mendoſior*. Nam quid hic ea colligam, quæ vulgo ethnicis ſcripto-

ribus objiciuntur ? Herodotum & Xenophontem, quos hiſtoriæ parentes Græci habent, confictis abuſos eſſe narrationibus. Porro in Livio, in Salluſtio, in Cornelio Tacito, in Trogo non deeſſe, quorum fides manifeſtis labefactari poſſit teſtimoniis, in vita Aureliani Flavius Vopiſcus ſcriptum reliquit. Hæc autem, aliaque hujuſmodi ethnicis objecta ſcriptoribus, tametſi aliqua ratione diluantur, non uſque tamen quaque eos ab omni aut ementitæ, aut ſuppreſſæ, aut ſuperlatæ, aut quocumque tandem modo corruptæ veritatis ſuſpicione purgant.

XIX. Sed miſſos faciamus ethnicos ſcriptores, & ad eccleſiaſticos veniamus. Adito igitur, ſi lubet, præcipuos, Euſebium, Rufinum, Socratem, Sozomenum, Theodoretum, Evagrium, Nicephorum, alioſque hujus notæ ac dignitatis annalium ſcriptores; tum de ſingulis Criticorum ſententiam exquirito; neminem fortaſſe unum invenies, qui aliquid contra memoratum officium peccaſſe non arguatur. Acuerunt oculorum aciem in eos artis criticæ nobiliores magiſtri, eorum opera ſagaciſſime ac penitiſſime inveſtigarunt, & non pauca reprehenſione digna a ſe in iis fuiſſe reperta gloriantur. Sed glorientur licet; hanc ego ipſis gloriam non invideo, hanc laudem non conor eripere. Sed illud meo quidem judicio acutiſſimi viri neque viderunt, neque providerunt id ſe egiſſe, ut, quo plura acri cenſura digna in eccleſiaſticis ſcriptoribus invenerunt, eo etiam eo-

eorum auctoritatem magis ac magis infirmarint, argumentumque ab eorum ſilentio deſumptum levius imbecilliuſque reddiderint. Ita factum fuit, ut inveſtigatione ipſa negotium per ſe implicatum non expediretur, ſed implicaretur magis, & argumentum per ſe infirmum ac debile, prorſus enervaretur. Quæ cum ita ſe habeant, facile eſt illud efficere, quam parum argumento iſti tuo fidendum, quamque etiam multis ei graviſſimiſque de cauſis omnino diffidendum ſit.

XX. Ego vero quoties hujus ipſius argumenti vim perpendo, toties ejus imbecillitas mihi proponitur, & quanto magis aciem in illud ingenii intendo, tanto imbecillius infirmiuſque reperio. Non eſt cur tu repugnes, non eſt cur contradicas. Viderunt hoc artis criticæ magiſtri, & propterea multa addiderunt, quo illud omni ex parte male firmum ac labans, ſi quo modo poſsent, fulcirent ac ſuſtentarent. Verum neſcio an quidquam profecerint, & argumento huic, quod voluerunt, robur ac firmitatem adjunxerint. Male quidem ædificio, quod fundamento caret, appoſitis ſuſtentaculis providetur; ruina non prohibetur, ſed producitur; citius ſerius corruet, & ſubito caſu Architecti ignorantiam prodet, temeritatemque condemnabit. Verum qua potiſſimum ratione illi ſubvenerint, & quibus adminiculis confirmandum fulciendumque ſuſceperint, videamus.

XXI. Quid igitur, ut fidem argumento neganti conciliem, quid potiſſimum faciam? Quo teſtatius, inquis,

ſcriptorum ejus temporis, quo res geſta affirmatur, ſilentium ſit, ad conſequentium temporum ſcriptores deſcende. Quid ita? Quia, ſi conſequentes etiam ea de re ſcriptores reticeant; tum vero certius argumentaberis, rem eſse ſcriptoris neſcio cujus, qui ſequioribus ſæculis vixerit, purum merumque commentum. Deſcendendum igitur ad conſequens tempus? Ita ſane. Deſcendam, quandoquidem ſic jubes. Sed hoc ipſum tempus, quibus tandem terminis definietur? Varii, inquis, varia; alii aliter illud circumſcribunt atque definiunt. Mallem equidem artis magiſtri convenirent in re ſummi momenti conſtituenda; ipſa ſententiarum varietas me conturbat, & valde dubium facit ac ſuſpicioſum. Etenim, ſi de tempore definiendo magiſtri non conveniunt, ſi litigant inter ſe, quid, iis litigantibus, quid de diſcipulo fiet? cui accedet? quem potiſsimum audiet? Viæ ducibus aliis alio abeuntibus, quam ipſe inibit viam? cui ſe credet? aut quo tandem deveniet? ſi ſe magiſtris in diverſa, atque adeo in oppoſita tendentibus regendum deducendumque permiſerit.

XXII. Sed varias hac ſuper re ſententias audiamus, ut ſcire poſsimus quibus cancellis veritas tacito ſilentum ſcriptorum confirmanda teſtimonio concludatur. Sunt, qui preſſe admodum & anguſte tempus hoc ipſum definiunt, atque illud in exiguos paucorum tantum annorum terminos coarctant atque compingunt. Sunt, qui aliquanto latius hoc ipſum tempus patere volunt, & prioribus ſuccen-

cenſent, quod anguſti nimis puſillique animi ſint. Sunt denique, qui illud, laxatis ſpatiis, ultra ducentos, & eo amplius annos latiſsime proferunt. Valde quidem benigne ac liberaliter; ſed vereor, ut hac tanta liberalitate tuto uti poſsim. Nam, ſive laxentur ſpatia temporis, ſive coarctentur, difficultas non effugitur. Nam, ſi laxantur, amabo te, in tanta temporis diuturnitate, nonne uni alicui e multis, quos ſupra enumeravimus, caſibus infortuniiſque ſcriptorum opera obnoxia eſse & potuerunt, & debuerunt? ut etiamſi diſerta ſcriptoris auctoritas deſit, rem tamen aliquam eſse geſtam negari non poſsit. Si vero, ut memoratos caſus evadas ad anguſtiora tempora te recipias, & quæ rei, de cujus veritate ambigitur, propiora ſint, nova iterum emerget ex ipſa temporis circumſcriptione difficultas. Nam, præterquam quod res ipſa, de qua controverſia eſt, potuit nihilo ſecius a ſcriptoribus aut ignorantia omitti, aut alia de cauſa nobis ignota prætermitti, quo tempus anguſtius eſt, eo pauciores certe ſcriptores comprehendit; quanto autem iſtorum magis exiguus eſt numerus, tanto facilius eorum deleri opera potuerunt atque obliterati.

XXIII. At enim vero durum nimis videtur, rem admittere tanquam veram, de qua veteres ſileant, & quæ ſclum ab auctore neſcio quo poſteriorum ſæculorum memoretur, qui eam fortaſse ſomniavit. Durum quidem; ſed, quod durum eſt, ferendo fit mollius. Hoc de-

demum ſive durum, ſive molle aliquo certe modo concoquendum neceſsario eſt. Verum, ne ludere videar in re gravi magnique momenti, reſpondeo. Potuit auctor iſte neſcio quis rem hanc ipſam, quam memorat, ab alio prioris ſæculi auctore, cujus opera non exſtent, didiciſse; ille vero ab alio, & ſic deinceps ſurſum incedi poſset, donec ad primum rei auctorem perveniretur. Poſset hoc quidem, ſi priorum opera auctorum non intercidiſsent; ſed quando interciderunt, non eſt ullus malo reparando locus, cui una mederi patientia poteſt. At locum auctor ille demonſtrare debuit, & unde, quæ narrat, acceperit, indicare. Tu vero hic nimium diligens es, atque adeo moroſus mihi videris. Rem narrare ſatis habuit; auctorem, a quo rem didicit, prætermiſit. Quid vis? Quid facias? Diligentia paucorum virtus eſt, negligentia commune vitium.

XXIV. Quare, uti vides, in hujuſmodi controverſiis eo fere res adducitur, ut nihilo melioris conditionis ſit, qui affirmat, quam qui negat. Tu negas; ego affirmo; neque tu certam rationem afferre potes, quare neges; neque ego, quare affirmem. Fingere ego poſſum caſus innumerabiles, quibus confirmem, quod tu inficiaris; tu multa comminiſci, quibus, quod poſuiſti, coneris evincere. In tenebris & caligine antiquitatis verſamur ambo, nec certa oſtenditur via, qua tuti ſine periculo incedamus. Reliquum eſt, ut illud mihi tecum con-

conveniat, aut hoc tuum argumentum nullum eſſe; aut ſaltem valde dubium ac ſuſpicioſum.

XXV. Quanquam in hoc incerto incertarum rerum articulo conſtituti ambo cum ſimus, ſi recte attendis, multo melior eſt conditio mea, quam tua. Ego ſaltem aliquod affero teſtimonium, quod clare & diſerte rem affirmat; tu nullum, niſi mutum & elingue ſilentium. Eſt quidem meum teſtimonium ſequioris ſæculi; ſed aliquod tamen teſtimonium eſt; tuum vero nullum omnino. Cui igitur potius habenda fides? elinguine ac muto? an diſerto & eloquenti? Tacet auctor ille tuus; non enim alium habes auctorem, quare hoc vel illud neges, niſi ſilentium. Loquitur meus. Tu te interponis; & quam fidem adjudicas muto, abjudicas loquenti. Quid hoc eſt? cui poterit perſuaderi? pluris eſſe muti teſtificationem ſilentii, quam claram atque apertam loquentis enunciationem. Silentium quondam, ut eſt apud Poetam, eximium illum quidem ſed nimis acrem, ſylvas habitaſſe fertur, & eremi incolarum fuiſſe ſocium; tum vero exoſum ſolitarium illud auſterioris vitæ genus mutaſſe conſilium, &, relictis ſylvis deſertaque eremo, ſe furibus comitem ac ſicariis adjunxiſſe. Mihi ſane ſilentium quondam prædicanti male quidem res ceſſit, contigitque, ut cujus ſilentium laudaveram, ejus manifeſtum ſtatim furtum teneretur. Quod ſi ita eſt, vides, opinor, non eſſe cur tu quoque magnopere ſilentium prædices, & illi tantopere fidendum contendas.

Sed

XXVI. Sed tandem video quid dicturus ſis ; video quid excogitarint magiſtri tui , quo pondus aliquod levi argumento adderent , & per ſe debile admodum atque infirmum, ſi qua ratione poſſent, confirmarent. Dices argumento neganti aliquid eſſe adjungendum *poſitivi*, quo addito & firmius ſit , & certius aliquid ex eo evincatur. Quid hoc eſt ? Quod mihi nunc *poſitivum* narras ? quod *poſitivum* obtrudis ? *Poſitivum* iſtud tibi habeto , quod neceſſe non habeo a te mutuari , & affatim mihi atque abunde undequaque ſuppeditatur. De argumento negante nunc ſermo eſt , de hoc inter nos inſtituta quæſtio. Hoc ego dico infirmum eſſe , debile , incertum enerve , & labans ſic , ut ſuſtentari per ſe vix ac ne vix quidem poſſe videatur. Tu neſcio quæ *poſitiva* adminicula in medium proferes , quibus me ab inſtituta quæſtione abducas , & ad *poſitiva* argumenta deducas ? itaque difficultatem , qua premeris, declines ac ſubterfugias ? Præcidam ; aut hoc tuum argumentum negans eſſe vis , aut *poſitivum*. Unum de duobus neceſſe eſt. Si negans , ſecludito *poſitiva* , quæ ſi adjungas , jam id , quod eſt , eſſe deſinit. Si vero vis eſſe *poſitivum* , quod re ipſa negans eſt , illud vis, quod repugnat , quod eſſe nullo modo poteſt , & enunciatione ipſa refutatur atque deſtruitur.

XXVII. Verum , ut uſitata jam tecum liberalitate mea utar , *poſitiva* iſta tua adminicula non abnuo, admitto etiam. Sit igitur mixtum argumentum hoc tuum ; & , quan-

quandoquidem ita vis, ex *poſitivo* ac *negativo* coaleſcat. Facile patior in cauſa prope certa atque explorata te ei, quam multa potes, additamenta ſufficere; ſed mihi crede, quo plura addideris, minus proficies. Etenim, quod in omni argumento ſpectari oportet, hoc etiam in iſto tuo, uſum videlicet, ſpectandum eſse arbitror; ad hoc enim excogitata ſunt argumenta, ad hoc inventa, ut aliquid ex iis, cum ſe ferat occaſio, certi efficiatur. Jam quo plura adminicula congerentur, eo certe rarior uſus incidet; itaque argumentum hoc tuum prope nullum evadet. Difficile eſt enim ea omnia, quæ ab artis magiſtris excogitata ſunt, & quæ hic ſingula expendere per tempus non licet, ea inquam omnia concurrere, atque in unum quiddam confluere ſic, ut ex eorundem collectione certa deductio fiat. Hoc autem cum nonniſi rariſſime contingat, illud conſequens eſt, nonniſi rariſſime ad certum uſum traduci argumentum poſſe. Quod ſi ita eſt, quam utilitatem, quod comodum illi ineſse argumento exiſtimabimus? quod, ſi excogitatis additamentis careat, nullum ſit; ſi vero abundet, rarior ejus uſus & infrequentior, ac prope nullus evadat. Efficitur ergo, ut quocumque demum modo uſurpetur, aut nihil omnino, aut parum certe commodi atque utilitatis habeat. Ita plane eſt; qui ægro depoſito ac deſperato acriorem præſertim medicinam facit, illum fere non ſanitati reſtituit, ſed certius ad interitum feſtinantiuſque propellit.

Quan-

XXVIII. Quanquam, non tam moveor infirmitate argumenti, quam tua imbecillitate commoveor; non tam illi timeo, quam tibi; immo vero tibi multo magis, atque adeo unice pertimeſco. Attende nunc juſtam timoris mei cauſam, & ſine, quod præcipuum hujus actionis eſt, & tua maxime intereſſe debet, me tandem aliquando expromere. Valde metuo, ne dum huic tuo argumento, tanquam viæ nimis lubricæ ac præcipiti inſiſtis, eo prolabaris, quo tu non cogitas, & ubi te certiſſimus manet interitus. Tu quidem mihi in ea opinione videris eſse, quidquid ſcripto commiſsum non ſit, jure negari poſse, perinde quaſi nullo modo, niſi prolato ſcripto, res aliqua confirmetur. Quid dicam? Parco adoleſcentiæ tuæ, parco ignorantiæ, parco homini non nimis acuto, & oculis plus nimio fidenti, qui præſentia tantum cernat, conſequentia vero animi ratione non aſsequatur. Facilis quidem res hæc ipſa eſt, & prima ſpecie probabilis, ſed hac ipſa de cauſa valde periculoſa. Quid enim facilius, quam aliquid, quod ſcriptum non ſit, de quo veteres ſileant, negare. Quid probabilius, quam nolle aliquid affirmare, quod expreſſa vetuſtatis teſtificatione deſtituatur. Cæterum, dum viam iſtam tuam lubricam nimis, quemadmodum dixi, atque præcipitem tenere pergis, recta, ſi neſcis, eo feſtinas, quo cum veneris, traditionum omnium caput petas, & ſummam convellas. Ne vero putes me vanos caſus fingere, & inania objicere terriculamenta, quibus te nova

va periculi denunciatione perterrefaciam. Recita denuo canonem illum tuum; SI QUID IN VETERUM SCRIPTIS NON INVENERIS PERNEGATO. Jam traditiones in ſacris Scripturis non inveniuntur; ne ullum quidem in illis earum verbum apparet; immo vero ſi appareret, traditiones eſse deſinerent. Reliqua igitur conſecutio eſt, ſi canoni illi tuo generatim ſtandum ſit, traditiones eſse negandas & pernegandas, quandoquidem in veterum ſcriptis a prima origine non inveniuntur.

XXIX. Hic vero, cum a me traditiones nominari audis; quid cogitas? quid intelligis? quid a me dici arbitraris? An fabellas aniles? an voces in vulgus temere ſparſas, ac nullo certo auctore proſeminatas? an delirantium ſomnia Poetarum? Res iſta multo gravior eſt, quam ut vel ego verbis explicare, vel tu cognitione aſsequi poſſis. Traditiones ab ipſis naſcentis Eccleſiæ incunabulis ortum habuerunt. Traditiones ab Apoſtolis, nec ab Apoſtolis tantum, ſed ab ipſo Chriſto Reparatore ac Magiſtro noſtro originem repetunt ſuam. Traditiones ita ſemper habitæ in Eccleſia neceſſariæ ſunt, ut ſine illis Catholica Fides atque Religio nulla ſit. Hoc Sanctiſſimi Pontifices, hoc Œcumenica concilia, hoc SS. Patres docuerunt, hoc Catholica ſentit Eccleſia, ut qui eas reſpuat, & ſe graviſſimo ſcelere alliget, & tanquam ethnicus & publicanus cenſeatur. Longum eſset hic ac ſupervacaneum, in re apud omnes recte de fide ſentientes extra omnem contro-

troverſiam poſita, afferre documenta Pontificum, teſtimonia Conciliorum, ſententias ac verba recitare Patrum, Juſtini, Egeſippi, Irenæi, Clementis Alexandrini, Athanaſii, Baſilii, Chryſoſtomi, Cypriani, Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, aliorumque, quorum qui vellet accuratam ſeriem contexere, eam jam ab antiquiſsimis inde temporibus poſſet exordiri, & ad noſtra uſque tempora longa enumeratione perducere.

XXX. Traditiones porro non admittendas ſolum in Eccleſia, ſed neceſſarias etiam eſse, ne id quidem vocari in controverſiam a Catholico poteſt. Non enim omnia ipſi Evangeliſtæ ſcriptis mandarunt ſuis, quæ nimirum Chriſtus traditione magiſtra doceri nos voluit. *Adhuc multa*, inquit Chriſtus ipſe, Joannis cap. xvi. num. xii. *habeo vobis dicere; ſed non poteſtis portare modo*. Quid illa? quæ leguntur in Actis Apoſtolorum cap. i. num. iii., *per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei*. His autem efficitur non inutili ſilentio tot dies fuiſse tranſactos; ſed multa divinum Magiſtrum locutum eſse, quæ nequaquam litteris prodita fuerint atque commiſsa. Apoſtolos vero, quæ audierint neglexiſse, neque poſteris ullo modo tradidiſse ſuſpicari nefas eſt; niſi eos aut negligentes, aut obliviosos facere velimus, ut aut res, quas ipſi didicerant, & quæ ad præcipuam Eccleſiæ inſtitutionem pertinere norant, per oblivionem præterirent, aut nos de iiſdem per ſummam incuriam negligentiamque celarent. Diſertiſsime Pau-

Paulus Apoſt. ad Theſsal. ep. II. *Tenete traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.*

XXXI. Hinc tanta vis traditionum eſt, & ſemper in Eccleſia fuit, ut non ipſæ ſolum tanquam dogmata habeantur; ſed elicitis inde argumentis Catholicæ ipſius fidei dogmata certiſſime inviĉtiſſimeque confirmentur. Harum ſemper hic apud Catholicos uſus fuit, contra atque Hæretici fere omnes, ac recentiores præcipue opinati ſunt, qui fidei ac religionis controverſias, ſolis ſacrarum Scripturarum teſtimoniis finiendas eſse contenderunt. His de cauſis ſemper Eccleſia Catholica ſummo ſtudio traditiones retinuit; itaque faĉtum eſt, ut nunquam interciſa tot ſæculorum derivatione, uti primum ab ipſa ſcaturigine eruperunt, integræ inviolatæque ad noſtra uſque tempora permanarint. Scripto illæ quidem a principio commiſſæ non ſunt, ſed per manus quodammodo primum ab Apoſtolis, deinde ab eorum diſcipulis traditas accepit & cuſtodivit Eccleſia, cujus plus valere apud Catholicos debet auĉtoritas, quam omnium primævæ antiquitatis ſcriptorum ſummum de illis perpetuumque ſilentium. Vides igitur quidquid ſcripto commiſsum non ſit, non continuo jure negari poſse.

XXXII. Neque vero traditionum exordium, generatim atque univerſe loquendo, ab ſolius Eccleſiæ primordiis, ſed etiam ab ipſius mundi incunabulis repetendum eſt. Uſque adeo apud omne hominum genus,

nullo tempore non maxime viguit traditionum ac valuit auctoritas. Etenim, amabo te, quod ſcriptum ante libros Moyſis omnium vetuſtiſſimos proferre poteris? quæ volumina? qui codices primis illis ſæculis extiterunt? Omnia igitur, quæ ad Religionem verique Dei cultum ſpectabant, non ſcripto, ſed traditione continebantur. Certe vetuſtiſſimi illi primorum ſæculorum Patres veri Dei cultores fuerunt; certos ſacrificiorum ritus cæremoniaſque, quibus Deum colerent, habuiſſe dubitari non poteſt, quæ quidem cum ſcripto exaratæ non eſsent, certe a patribus ad filios ſola traditione internuncia tranſmitti debuerunt. Tolle traditiones, eaſque a prima illa mundi ætate, & quaſi infantia remove, jam omnia permiſcebis atque confundes. Nulli certi ritus, nullæ certæ cæremoniæ, nullus certus ſupremi Numinis cultus, nulla certa externæ Religionis indicia, ſed omnia cujuſque ingenio atque arbitrio adminiſtrata. Et ecce tibi illa impia permixtio, & deteſtanda confuſio, quæ nunc a nefariis ac perditiſſimis hominibus, quorum ſacrilegi tota Europa libelli nunc diſſeminantur, inducenda curatur. Omnem iſti Religionem, quam dicimus *Revelatam*, de medio tollere contendunt; Deum cujuſque arbitrio placandum colendumque permittunt, ſi tamen Deum propitiari & coli aliquo modo volunt, ac non potius una cum religione divinitatem ipſam inaudito atque horrendo ſcelere omnino conantur extinguere.

Dixi

XXXIII. Dixi, traditiones apud omnes gentes valuiſse, ſemper. Etenim conſuetudinem hanc tradendi diſcipulis quædam non ſcripto, ſed verbo a celeberrimis Philoſophiæ magiſtris ſcimus eſse ſervatam. Certe Pythagoram hunc morem tenuiſse poſteriorum ſcriptorum auctoritas diſerte teſtatum reliquit. Cicero lib. I. de Legibus moribus quidem optimis imbuendam Rempublicam exiſtimat, ſed non omnes eſse leges ſcripto committendas affirmat. Idem eodem libro conſultius Religionis myſteriis provideri cenſet, ſi traditione potius, quam ſcripto evulgentur. Cæſar de Bello Gallico lib. VI. Druidas ſcribit hoc modo Gallos inſtituiſse, ut quæ ad ſacram diſciplinam rituſque pertinerent, ſcriptis conſignari nollent; & ſecus fieri nefas haberetur. Galenus lib. II. de Anat. ait veteres Phyſicos, quæ ab artis magiſtris didicerant, non ſcripto, ſed traditione conſervaſse. Neque vero cur ita ſe gererent, & tantum traditioni deferrent, & multæ & juſtæ deerant cauſæ, quas hic afferre ſuperſedeo, ne reconditioris eruditionis famam captare videar. Uſque adeo verum eſt, non omnia tradi litteris neceſse eſse; neque vero, quæ ſcripto conſignata non ſunt, omni prorſus auctoritate deſtitui, ſed majorem quodammodo acquirere auctoritatem. Sed, ut ad traditiones divinas atque apoſtolicas revertar, intelligis, opinor, quo te canon iſte tuus deducet; vides, quam lubrica via iſta ſit, quam ingreſsus es, cui inſiſti ſine prolapſione non poteſt. Ego denun-

cio periculum; tu, ſi ſapies, illud effugies; oſtendo ſcopulum, in quem multi impegerunt, & miſerabiliter interierunt, tu, ſi tibi conſulere volueris, ejus incurſum declinabis.

XXXIV. Dicis, non eandem eſse rationem divinarum & apoſtolicarum traditionum, atque eccleſiaſticarum. Audio; ſed has quoque ſi putas liberum eſse cuique aſpernari atque rejicere, magno in errore verſaris. Scio, nihil tam familiare tibi, nihil tam uſitatum æqualibus tuis eſse, quam, cum aliqua eccleſiaſtica traditio non arridet, eam deſpuere, & tanquam popularem aliquem temere ſparſum rumorem criminari. Nihil facilius, quam hujuſmodi inconſideratas jactare voces, &, ubi rationum momenta non ſuppetunt, ad convicia ac probra ſe convertere. Multa in hanc rem & vere & graviter dici poſsunt, & a me ſuo loco dicentur, &, quoad uſque adniti potero, vere graviterque dicentur. Nunc tantum dico, ex iſto tuo canone tibi ſummum inſtare periculum; dico hoc eſſe tibi modis omnibus antevertendum; dico providendum in tempore, ne eo, quo certe non vis (neque enim tam pravam de te opinionem habeo) deducare. Tu facilius expeditiuſque putaſti, eo uti argumento, quod te ab inveſtigandarum rationum cura moleſtiaque liberaret; idcirco illud temere, & clauſis, ut ajunt, oculis ſtatim, nihil ulterius cogitans, arripuiſti. Exiſtimaſti, nihil certius repudiari poſse, quam quod diſerta veterum ſcripto-

rum

rum auctoritate deſtitueretur; ſed tua te, ut in multis, ita in hoc quoque fefellit opinio.

XXXV. Dicis poſtremo, canonem quidem optimum eſſe, ſed quo *caute* quis, *modice* & *prudenter* utatur. Audio. Atque hac quidem in re tantum abeſt, ut tibi contradicam, ut etiam aſſentiar quam maxime; immo vero ſummopere hoc nomine tibi debeam, quod in fine hujus noſtræ concertationis eo rem, neſcio utrum ſciens ac volens, an imprudens & aliud cogitans adduxeris, quo jam a me pridem fuit adducta, & ubi ſolus difficultatum, quas perſecutus hactenus ſum, exitus, & periculorum, quæ undique Criticum circumſtant, effugium oſtenditur. Sed vereor, ut his verbis plura, quam & tu velles, & ego optare poſſem, complexus ſis. Ain tu *caute, modice, prudenter*? Ita, inquis. Ego quoque video, conſilio, prudentia, moderatione facile vitari pericula, & ardua quæque felicem perduci ad exitum poſſe; ſed æque video te his prorſus deſtitutum eſſe virtutibus. Etenim quam tibi videris prudentiam comparaſſe, quæ tibi certam impeditiſſimi negotii conficiendi rationem oſtendat? Quod in te reſidere conſilium credam? aut quam, ſi ſemel aliquam hujus muneris partem attigeris, cautionem te adhibiturum putem? qui quidem ſi cavere didiciſſes, tibi primum caviſſes; nec commiſiſſes, ut hac tanta tamque difficili provincia implicarere. Quæ vero moderatio eſſe in eo exiſtimanda erit? qui ſibi temperare non potuerit, quo minus ſponte ſua ſummum in diſcrimen

 ad-

adduceretur. Nonne, in eum ambitione tua adductus locum cum eſſes, ut tibi de tanta re deliberandum foret, ſi paullum ſubſtitiſſes, & hæc duo tantum verba tecum feciſſes; *Quid ago?* vel *Quo progredior?* reſpiraſſet cupiditas tua aliquantum? nonne aliquid loci conſilio & rationi dediſſet? nonne denique te a tanto tamque operoſo munere ſuſcipiendo repreſsiſſet?

XXXVI. Sed fac, ut indulgentiæ ac liberalitatis meæ fontes ad extremum uſque noſtræ hujus concertationis exitum tibi patefaciam, fac inquam, bonitate quadam naturæ, rationem eſſe aliquam in te hujus ſive conſilii, ſive prudentiæ, ſive moderationis, quas virtutes ego jure jam a Critico dudum, tu vero a te paullo ante requiſiviſti; quid tum? quid cenſes futurum? Poteritne hæc ipſa ratio in tanta pravorum atque inter ſe diſſidentium affectuum, quibus obnoxius es, et incredibilem in modum agitaris, perturbatione, veluti in concitatæ plebis tumultu, tanquam Regina ſedere ac dominari? Nonne cum te præfervidus adoleſcentiæ æſtus, intemperans opinandi licentia, inſolens rerum omnium veterum faſtidium, inſanum novitatis ſtudium, effrænata gloriæ cupiditas, ingenii levitas, ambitio, amor, odium, invidia, ira, indignatio, temeritas, petulantia, audacia, & ſiquæ ſunt aliæ impotentis animi permotiones de mente dejicient, etiam illam de ſolio deturbabunt?

XXXVII. Jam quid ais? qui ſenſus ſunt tui? quid co-

cogitas de me? non enim quæro, quid machineris in me. Nam quid eſt, quod calumniari poſſis? Me æquales tuos actionibus hiſce meis deſignaſſe? qui neminem nominavi; omnium exiſtimationi peperci. Male de arte critica ſenſiſſe? qui illam ſæpius laudavi, neceſsariam dixi, & ſolummodo difficilem, quod extra omnem controverſiam eſt, eſſe contendi. Me denique eo rem adduxiſſe, ut artem per ſe difficilem, *impoſſibilem*, ut ais, reddiderim? qui illam explicari ingenio, ſapientia, judicio poſſe affirmavi. Quare nihil eſt, quod in me agas, niſi forte mihi iraſci velis; ſed iraſcaris licet; ego certe indignatione iſta tua non movebor; & quidquid etiam in me congerere jurgiorum ac contumeliarum fortaſſe placuerit, excipiam pacato animo, ac facile tibi remittam & condonabo. Equidem invitus feci, ut te vehementius, quam vellem, exagitarem; ſed morbus is erat, qui dulcem medicinam reſpueret, amaram poſceret; non lenibus fomentis curandus, ſed ferro & igni radicitus extirpandus.

XXXVIII. Sed finis ſit, neque enim ſi omnia conſectari velim, exitum tandem aliquem inveniret oratio mea. Vides, opinor, & ſatis ex his, quæ tribus actionibus hiſce meis perſecutus ſum, colligere potes; quid ſit Critici munus exercere, & quantum hac in re inter meam, & tuam opinionem, hoc eſt inter doctum eruditumque Criticum, & ineptum imperitumque rabulam interſit. Magnum eſt Critici nomen, magna di-

gnitas, magnum munus, & multo majus quiddam, quam ut & ego verbis explicare, & tu animo aſſequi ac ratione queas; qui, ſi modo tanquam ſtipes aut truncus ſtares, tamen ne tum quidem tantæ dignitatis tam gravis ac ſeveræ vel ipſum titulum ſuſtinere poſſes. Non eſt hujus tui, mihi crede, ingenii tot ac tanta, tam abdita atque recondita inveſtigare, non hujus memoriæ tam multa, ac tam longe lateque diſperſa comprehendere, non hujus imbecillitatis naturæ tot labores, tam graves diuturnoſque perferre, non hujus prudentiæ atque conſilii in rebus difficillimis ſine offenſione verſari, non hujus denique pectoris tam anguſti tantas res capere atque complecti.

XXXIX. Tu vero, ſi quid ex celebriore aliquo Critico deprompſeris, memoriæque mandaris, ſi aliquot Criticorum nomina, exotica præſertim ac peregrina, continenti ſpiritu, æqualium tuorum plaudente corona, pronunciaveris, te ſatis ad tantum munus cum laude obeundum inſtructum putas. Erras, & vehementer erras, ſi leviter excuſso bibliothecarum pulvere, ſi vix cognitis auctorum nominibus, ſi raptim pervolutatis librorum indiculis, ſi feſtinanter abſoluto neſcio cujus facultatis curriculo, ſi prægustatis tantum nonnullis artis criticæ regulis ac præceptis, hac ætate rudi atque inexperta, hoc vitæ genere molli ac delicato, hac contentione languida & remiſſa, hoc otio, hac inertia atque ſocordia tantam tibi ſapientiam, quantam a Cri-

tico

tico requiſivi, comparaſſe arbitreris. Grandis tibi reſtat via; immenſum tibi ſtadium decurrendum proponitur, in quo tantum abeſt, ut aliquid ſpatii confeceris, ut adhuc vix pedem extra carceres extuleris.

XL. Multa, ut planum feci, Criticus ſciat neceſſe eſt, atque ita ſciat, ut nemo ei neque labore, neque ſtudio, neque diligentia, neque ingenio, neque ſagacitate, neque memoria, neque cognitione rerum, neque ullo doctrinarum inſtructu atque apparatu facile anteponendus ſit. Ad hæc ipſius artis criticæ præſtans omnino ac ſingularis notitia accedat oportet, qua fiat, ut ex illius regulis probe perſpectis atque intellectis aliquid, quod plauſu & commendatione excipiatur, quod ſit erudito, quod ſapiente Critico dignum, poſſit efficere. Adde prudentiam horum ſtudiorum adjutricem præcipuam; quæ una ſi deſit, ſcientiam ipſam, vel ſummam ac ſingularem, Critico non profuturam, ſed obfuturam potius ſine hæſitatione pronuncio. Huc refer judicium illud, de quo tam multa diximus, acre, certum, ſubtile, æquum, incorruptum, exquiſitum, a quo ars critica nomen mutuatur, ſine quo nulla eſt, & quo uno difficultates, quibus obſidetur, graviſſimæ & maximæ ſuperantur. Eodem pertinet auctoritas quædam atque exiſtimatio, qua ſe Criticus ſuſtentet, omnemque a ſe, cum opus fuerit, aut infamiam avertat, aut invidiam depellat, & nomen dignitatemque ſuam contra omnes adverſariorum impetus tueatur atque defendat. Quæ qui-

quidem auctoritas, cum perfectæ cumulatæque ſapientiæ fructus ſit, non niſi in doctiſſimo viro ac rebus omnibus præcellentiſſimo reperiri poteſt.

XLI. Hæc ſunt, quæ ego, & mecum quivis ſapiens ab homine, qui ſibi in litteraria Republica cenſoris partes depoſcat, afferri volet; quorum aliqua ſi deſiderentur, perſonam quam ſuſceperit, pro dignitate ſuſtinere non poterit. Quare, qui his præſidiis deſtitutus eſt, me auctore, animum ab hujuſmodi munere avocabit, & alio, quo tandem cumque ipſi libuerit, curam omnem ſuam operamque convertet. Utrum ego deſipio? an plus, quam ratio ipſa patiatur, a Critico peto atque efflagito? Facerem equidem libentiſſime, ut noſtra hac præſertim ætate, hac ſcribendi licentia, hac vulgandorum nullo fine librorum intemperantia, Criticorum numerum augerem. Ut enim in bene conſtituta civitate & numero civium affluente multos eſſe accuſatores utile eſt, ita non minus utile atque adeo neceſſarium, litterariam Rempublicam cenſoribus abundare. Sed, cum Critici dignitatem cogito, cum munus perpendo, cum officium conſidero, cum mihi verſantur ante oculos incommoda toleranda, ſuſcipiendæ inimicitiæ, adeundæ tempeſtates, cum animo ſubit doctrina illa, quæ a Critico poſtulatur, tam varia, tam multiplex, tam copioſa, tam exquiſita, cum horum unumquodque mecum tacitus reputo, ſanioribus cogor dare locum conſiliis, nec facere omnino poſſum, quin hunc

lau-

laudis aditum, quem magnis gravibuſque ingeniis ſemper patere volo, levibus atque mediocribus intercludam.

XLII. Quamobrem, ut te, qui cum ſolo mihi res hactenus fuit, poſtremum alloquar, & amice commonefaciam; Muta, obſecro, iſtam mentem, & noli in ſtulto propoſito permanere diutius. Sine eos hanc tantam provinciam tam arduam atque difficilem ſuſcipere, atque etiam ſibi ultro appetere, quibus divino quodam naturæ habitu obtigit ingenium perſpicax, mens experrecta, memoria tenax, judicium acre, auctoritas ſumma, prudentia ſingularis, firma valetudo; quos labor non frangat, quos vigiliæ non debilitent, quos moleſtiæ non conficiant, quos ulla difficultas non terreat; qui diſciplina illa vetere, rigida ac ſevera, educati ſint, non hac recenti, languida atque enervata inſtituti, qui veræ laudi ac gloriæ ſtudeant, non abdomini voluptatibuſque ſerviant, qui pluteo immoti quotidie aſſideant, non matronarum cathedris affixi hæreant, qui pene omne honeſtæ relaxationis genus ſibi interdictum putent, qui non ludis, non conviviis, non fabulationibus, non deliciis ullis capiantur, ſed toti in eo ſint, ut ſuſceptum opus dies nocteſque ſine intermiſſione urgeant, ibi habitent, ibi commorentur, nec ullis vel illecebris, vel moleſtiis ſe ab inſtituto abduci patiantur; ac demum facultatem tantam & animi, & corporis afferant, quantam ad munus omnium longe graviſſi-

ſimum & maximum afferri oportere, huc uſque demonſtravi.

XLIII. Hac incredibili contentione atque aſſiduitate, hac ingenii præſtantia, hoc mentis acumine, hac ſingulari doctrina, exquiſita eruditione, judicio, prudentia multi doctiſſimi viri, & Critici nobiliſſimi exſtiterunt, quos enumerare longum eſſet, atque adeo ſupervacaneum, quorum cum fama tota Europa longe lateque diffuſa eſt, tum vero ſuis præclariſſimis editis operibus ſatisſuperque celebratur. Hos autem ſi vis, per me licet, adito, hos conſulito, ne omnem tibi ſcientiam videar atque eruditionem invidere; verum cum hos appellas, nunquam eorum nomen ſine laudis præfatione uſurpato; cum grandia illa, quæ reliquerunt, atque immenſa volumina pervolutas, exhorreſce; cum legis, ſiquidem aliquid intelligas, non minus de eorum eximia doctrina, quam de tua ſingulari inſcientia cogita; cum vero eoſdem non una in re peccaſſe audis, hinc etiam artis Criticæ difficultatem, quam tibi hactenus expoſui, conjice atque cognoſce; quorum demum opera non impediam, quin ſic evolvas, ut admireris, ſic admireris, ut laudes, ſic laudes, ut nunquam illorum operum auctores in hac impeditiſſima ſtudiorum ratione tibi ad imitandum proponas. Dementis enim hominis eſt illud appetere, quod conſequi nequeat, atque eo conniti, quo non ſolum non evadet, ſed nunquam ſe evaſurum certo ſciat.

DE

DE PRAVO

ARTIS CRITICÆ

USU

AD FLORENTINOS.

Actionis II. Liber I.

QUOD erat maxime providendum, & quod unum, quoad ejus fieri poterat, modis omnibus prohibendum, ne nimis multi ad Artem Criticam, omnium, quemadmodum ſuperioribus actionibus demonſtratum a nobis fuit, artium multo graviſſimam & difficillimam ſe conferrent; id neque provideri ſatis, neque omnino propter ſummam hominum cupiditatem ullo prohiberi modo potuit, Florentini. Nam cum plerique in eligendis ſuſcipiendiſque muneribus cupiditate atque ambitione magis, quam conſilio & ratione ducantur; & ea fere cupidius appetant, ambi-

bitioſiuſque ſibi depoſcant, ad quæ minus a natura comparati inſtructique ſunt; nulla tanta vis exſtitit, quæ obſtare potuerit, quin bene multi ad artem criticam, neque cognita prius, uti oportuit, artis ipſius natura, neque perſpecta difficultate, neque exploratis proprii ingenii viribus, temere accesserint; rati ſcilicet, ſe ad graviſſimum Critici munus ſatis paratos ornatoſque, ſi ad illud cum laude obeundum animi plus & confidentiæ, quam conſilii atque excellentis doctrinæ attuliſſent. Itaque ars critica multo plures, quam neceſſe fuit, & uſus poſceret, cultores habuit, quibus oneraretur potius, quam allevaretur; nos vero, ſi exiguum paucorum Criticorum numerum excipias, quibus idoneis & valde utilibus utimur, incredibilem perferre multitudinem cogeremur & ineptorum, & pernicioſorum. Nam quid pernicioſius generatim Reipublicæ? quid nominatim Religioni præſertim capitalius eſſe potuit? quam hujuſmodi homines una ambitione & cupiditate incitatos ad hanc artem accedere, qui non jam ſibi certam veritatis indagandæ rationem atque opportunitatem propoſitam, ſed oblatam potius occaſionem, ac prope conceſſam, obtentu ac ſimulatione artis criticæ, quælibet impune opinandi facultatem arbitrarentur. Qua in re, cum ſumma arti ipſi conflata eſt invidia; tum vero objecta nobis juſti timoris cauſa fuit atque formidinis. Affectis enim hoc modo iſtiuſmodi hominum mentibus, & falſa perſuaſione correptis animis, nihil ut ſibi ejus, quam profitentur, ar-

artis jure non licere exiſtiment, quid eſt, quod nos ab illis multo potiori jure timere non debeamus? Ego ſane ſemper ita ſenſi, nullum ab hujuſmodi hominibus exſpectandum eſſe bonum; contra, nullum non eſſe malum pertimeſcendum. Atque utinam ſolus timor nos anxios haberet atque ſollicitos, ac non potius ea ipſa, quæ conjectari facile poterant, non minima ex parte mala conſecuta jam eſſent, quibus & nos miſerandum in modum conflictaremur, & Religio ſummum in diſcrimen adduceretur. Pravæ enim opiniones, ſi unquam alias, hoc certe tempore diſſeminantur ubique, opinandi licentia creſcit in dies ſingulos, pernicioſorum Criticorum augetur numerus, & impunitate ipſa magis magiſque corroboratur. Jam vero, qui de ſumma artis criticæ difficultate tam multa prioribus actionibus verba fecerim, poterone de pravo atque perverſo artis criticæ uſu reticere? potero publica ac privata incommoda diſſimulare? potero in Religionis ipſius diſcrimine atque periculo lentus haberi ac diſſolutus? Ego vero non faciam, neque committam, ut in re tanti momenti mihi, vobis, Reipublicæ, Religioni, quæ me potiſſimum ad hanc cauſam ſuſcipiendam impulit, deſim; & quandoquidem ad utilis ac maxime ſalutaris argumenti pertractationem aggredi placuit, multo potiſſimam inſtitutarum actionum mearum partem deſiderari a vobis, ac requiri a me minime patiar. Dicam igitur de pravo artis criticæ uſu, qui his temporibus maxime invaluit; dicam quod ſentio libere,

re, &, quoad potero, citra cujuſquam offenſionem dicam. Nam quid diſſimulatio prodeſt in re ſummi maximique momenti ? Dicam apud vos, quibus arbitris ac diſceptatoribus in hac cauſa uti placuit; & eo alacrius ac fidentius in cauſam ipſam ingrediar, quod non obſcuris, immo vero perſpicuis ſignificationibus intellexi, vobis argumentum hoc meum maxime probari, ejus vero pertractandi rationem non improbari. Quo nomine ſummam ego vobis habere me gratiam profiteor, quod hominem natura timidum, & doctorum hominum non expreſſa modo, ſed tacita etiam judicia, ſupra quam credi poteſt, expaveſcentem benevolentia veſtra erigitis, & hanc debilem animi mei partem atque infirmam judicio veſtro graviſſimo & maximo confirmatis. Quare, ne longum ſit, noſtra hæc ad judiciarium tandem morem ac forenſem rationem, quam tenere in his actionibus placet, cauſa componatur. Suſcipite vos perſonam Judicis; Suſcipiam ego partes Accuſatoris; Critici intemperantes, contra quos ſolos acturus ſum, Rei vices ſuſtinebunt. Quanquam ego non jam accuſatoris partes in hac cauſa, ſed patroni ac defenſoris potius ſuſcipere mihi videor. Defendo enim artem ipſam criticam, quam iſti ſummam in invidiam ſua ipſorum intemperantia adduxerunt. Defendo æquitatem pluribus, ut oſtendam, modis ab iſtis læſam ac violatam. Defendo multos ſanctiſſimos & ſapientiſſimos viros, majores noſtros prudentiſſimos homines, antiquitatem totam; Religionem de-

denique ipſam defendendam patrocinandamque ſuſcipio; ut hæc accuſatio mea defenſio potius, quam accuſatio & appellanda ſit, & re ipſa exiſtimanda. Comparate igitur animos veſtros, Florentini, ad ea, quæ dicturus ſum. Si unquam vos attentos optavi, nunc maxime attentos volo. Agentur res graviſsimæ & maximæ, quæ uti vos ad me attentius audiendum excitare, ita me ad dicendum vehementius debent merito ſuo incitare. Audietis enim de ſummis graviſſimiſque eccleſiaſticæ præſertim hiſtoriæ incommodis. Cognoſcetis leviſſimis de cauſis, tenuiſſimis ſuſpicionibus, inanibus conjecturis per ſummam injuriam veteres ſententias repudiatas; novas quaſdam atque hactenus inauditas nullo more, nullo jure, nullo exemplo (tametſi hac ætate exempla non deſunt) in earundem locum ſuffectas; partim ab iſtis, acute ſcilicet, excogitatas, partim, immo vero pleraſque, ne dicam omnes, quod quidem ſine erroris periculo affirmare poſsim, excerptas ab illis, a quibus minime omnium debuiſſent. Videbitis ſanctam venerandamque antiquitatem ab iſtis contemptui habitam atque ludibrio. Intelligetis majores noſtros, ſapientiſſimos prudentiſſimoſque mortales ſuperbius appellatos, perinde quaſi in ſumma rerum omnium ignoratione conſtituti, & totius artis criticæ prorſus ignari nihil prope ingenio conſequi, nihil ratione internoſcere potuiſſent. Hæc aliaque hujuſmodi a me proferentur, quæ prolatis factis & recitatis iſtorum ipſorum ver-

 bis,

bis, tanquam certiſſimo aliquo, de quo dubitari non poſſit, locupletiſſimoque teſtimonio confirmabuntur. Quandoquidem vero hujuſmodi facta, quæ in crimen vocari poſſunt, numero prope innumerabilia ſunt, non eſt, cur quiſquam a me hoc, vel illud nominatim requirere cogitet; & in eo, quod hoc vel illud omiſerim, mihi ſuccenſendum putet. In materia uberrima ego præcipua tantum rerum capita ac genera perſequar, & in ſumma factorum copia ea ſolum in medium afferam, quæ ex una fere eccleſiaſtica hiſtoria deprompta erunt, & hæc ipſa maxime inſignia & pervagata, ut mihi etiam huic ſtudiorum generi non admodum dedito, nec reconditioris eruditionis famam captanti, ſed non ſtulto fortaſſe alieni artificii æſtimatori, propter incredibilem iſtorum in opinando licentiam, non omnino ignota eſſe potuerint. Poſtremo illud oro vos, obteſtorque, ut, ſi oblata occaſione dolentius interdum conquerar, ſi vociferabor, ſi quæ ſentiam paullo liberius expromam, mihi ignoſcatis; idque non meo ingenio, quod certe ab omni acerbitate abhorret, tribuendum; ſed rerum potius, de quibus acturi ſumus, indignitati adſcribendum putetis.

II. Atque ut a principio intelligatis, cujuſmodi cauſam acturi ſimus, quam certa, quam explorata ſit, nulla ut fortaſſe certior atque exploratior in judiciis ad hanc diem verſata fuerit, hanc ego paucis abſolvere, & quam breviſſime expedire, ſi velim, facile poſſim. Obji-

Objicio iſtis in arte critica intemperantiam; hæc una a me accuſatur, hanc unam in crimen voco, de hac una vos judices ſedetis & arbitri; quam quidem ego ſi tantum ex iſtorum vocibus atque ſermonibus colligam, jam a me quam breviſſime cauſa perorabitur; nec vero ullum vobis dubium relinquetur, quid de iſtis ſentire, quid decernere debeatis. Nam quid, amabo vos, quid ſæpius uſurpatum ab iſtis? quid repetitum frequentius? quam; *Hoc nulla certa ratione probari*; *Illud nullo modo veriſimile eſſe*; *Aliud manifeſta cum veritate pugnare*. Atque hæc jactata quidem, ut prima ſpecie videtur, in incertum, ſed re tamen ipſa ac tacito conſilio ad certum ſcopum deſignatumque directa. Quid illa? plena cujuſdam ſpiritus, omnia & ſuperbius faſtidientis, & contumacius repudiantis, quæ paſſim loquuntur, & quæ non tam audientium aures feriunt, quam animos graviter vehementerque percellunt. *Huic aut illi Hiſtorico*, dummodo iis incommodet, *fidem non eſſe habendam, pugnantia, abſurda, incredibilia ſcripſiſſe, cæcutiſſe, dormitaſſe, ſomniaſſe*. Quid illa alia? quæ in præſentia, cujuſmodi ſint, non expendo; ſed tantum dico deteriorem in partem accipi ab iſtis, & malum plerunque in uſum detorqueri; *Cujuſquam rationem non eſſe ducendam ab eo, qui unam veritatem inquirat*; *Cenſoriam virgam nullo diſcrimine peræque in omnes eſſe a Critico diſtringendam*; *Stulti hominis eſſe credere, dubitare ſapientis*.

III. Hæ ſunt horum hom num voces, quas in vulgus jactant, hi ſermones, quos uſurpant aſſidue, quos in congreſſibus habent, ad ſollicitandos nimirum imperitorum animos, quibus ſæpe ego ipſe interfui, & quos his auribus accepi, & quibus vos multo ſæpius interfuiſtis, Florentini; quo uno crimine ego eos accuſem, & vos condemnetis neceſſe eſt; ut non jam diutius in hac cauſa de veſtro mihi judicio ſit nec magnopere laborandum. Nam per Deum immortalem? quæ voces? quæ verba ſunt iſta? Quid inconſideratius dici? quid liberius jactari? quid in vulgus efferri licentius? quid denique ad immoderatam in opinando inducendam confirmandamque libertatem accommodatius poteſt excogitari? Ita ne vero? Iſti, quod commodum erit, tanquam falſum rejicient? quod libebit, reſpuent? quos volent auctores, repudiabunt? neminem aliquo in numero ducent? præ ſe deſpicient omnes atque contemnent? Nos vero hoſce ſpiritus, tantam intemperantiam æquo animo perferemus? nec mala, quæ graviora in dies certiſſime conſequentur, antevertenda putabimus? Nam quid boni exſpectandum arbitramini ab iis, Florentini, qui eo animo ad artem criticam accedant, ut ſibi omnia propemodum licere arbitrentur, qui doctiſſimorum hominum auctoritatem negligant, qui veterum ſcriptorum teſtimoniis non acquieſcant, qui pene nemini fidem habeant, qui ſic in hiſtoria examinanda verſentur, ut in ea ſibi prope infinitum imperium uſurpent; omnia deſpuant, omnia faſti-

faſtidiant, omnia ad arbitrium ſuum ac libidinem revocent, nullis denique aſtringi ſe legibus, nullo circumſcribi jure patiantur. Dixi jam, & dicam iterum; Nihil eſſe boni, quod ab illis exſpectemus; contra vero nihil eſſe mali, quod non pertimeſcamus. Quare, ut videtis, vix agitari cauſa cœpta eſt, abſoluta jam dici poteſt atque tranſacta. Ut enim alia mihi argumenta, quibus objectum crimen doceam atque confirmem, deſint, unum hoc, quod attuli, hujuſmodi eſt, quod nulla ratione dilui poteſt, & quo uno iſti ſic tenentur, ut nullum ipſis effugium pateat. Nam quid optandum magis accuſatori, quam teſtes habere judices; ipſos autem reos non ſolum propria malefactorum conſcientia exanimatos, ſed ſuis etiam ipſorum verbis ſermonibuſque convictos.

IV. Verum, ne nimis accuſatorie cum iſtis agere videar, & ne ſe circumveniri a me conquerantur, quod cauſam non expoſuerim, quod crimina non explicarim; me, ſi id feciſſem, cauſam ipſam fortaſſe ſublevaturum fuiſse, quod vero ſecus egerim, indicta & incognita cauſa, ſententiam per vim a judicibus extorſiſse; iis morem geram, & omnem de me expoſtulandi occaſionem eripiam. Experiar igitur utrum mihi facilius ſit in perpetua oratione verſari; an, citato ac convicto reo, quam citiſsime cauſam totam expeditiſſimeque tranſigere. Experientur fortaſſe & ipſi utrum moleſtius laturi ſint, objecta a me generatim iis atque

univerſe fuiſse crimina, an ea ſingulatim afferri, & fuſius luculentiuſque explicari. Itaque deſcendam libenter, quo vocant; & illud forſitan dicendo conſequar, ut eos non molliorem, quam ego ipſis obtuli, ſed aſperiorem hanc, quam ipſi flagitant, optaſse conditionem pœniteat. Ne vero alio querimoniæ genere, & eo quidem juſto utantur, ita a me objecta eſse crimina, nullam ut interrogandi & reſpondendi ipſis poteſtatem fecerim; itaque omnem ſe defendendi facultatem ademerim; hoc etiam habeant a me, quod æquum eſt, quod abnui non poteſt, quod optima cujuſque bene conſtituti judicii forma poſtulat ac requirit. Ita fiet ut de mea fide, officio, diligentia, religione, quam in hac adornanda accuſatione adhibuerim, certius vobis conſtet, & ipſa crimina planius evidentiuſque demonſtrentur. Hoc modo præciſa omnis querimonia erit, omnis ab hoc noſtro judicio injuriæ ſuſpicio aberit, & æquo inter nos ac legitimo jure diſceptabitur.

V. Jam ut tandem aliquando cauſa conſtituatur; Ajo bene multos iſtorum in arte critica exercenda præſtitutos modeſtiæ ac temperantiæ fines facile ac temere fuiſſe prætergreſsos. Video hoc eſse mihi allatis factis demonſtrandum; video in hoc ipſo adhibendum modum; video in rebus ex vario & diverſo genere petitis certum eſse quendam tenendum ordinem. Demonſtrandum, quod poſui, ut perſpecta vobis mea fides ſit; adhibendum modum, quo ſatietati veſtræ occurram; ſervan-

vandum ordinem, quo perſpicuitati conſulam. De demonſtratione non eſt profecto, cur magnopere laborem. Facta enim mihi & plurima, & maxime inſignia ab adverſariis ipſis ſufficiuntur, & ad docendum intemperantiæ crimen, quod unum iſtis oppono, præcipue accommodata. In modo quoque mihi non difficilis ratio oſtenditur, ſi ea tantum facta eligam, quæ potiora ſunt, & memet ita circumſcribam, ut in una fere eccleſiaſtica hiſtoria conſiſtam. In ordine vero minus expedita ratio proponitur. Difficile eſt enim in rebus non variis ſolum, ſed inter ſe maxime disjunctis certum tenere ordinem; ſed ordini tamen, quoad potero, ſerviam. His ita conſtitutis, ad facta ipſa, in quibus tota noſtrarum vis actionum vertitur, & exponenda, & expendenda veniamus; & cum a me nova quædam & inaudita in medium proferentur, vobiſcum ipſi reputate, quem tandem exitum immoderatam iſtam, quam unice reprehendo, opinandi licentiam habituram exiſtimetis.

VI. Examen fuiſſe ſcitote quoddam a neſcio quo in eccleſiaſticam hiſtoriam inſtitutum, & non magno volumine comprehenſum in lucem prodiiſse. Cum examinis vocabulum auditis, nolite commoveri, Florentini; cum in eccleſiaſticam hiſtoriam inſtitutum intelligitis; nolite ſtatim de hujus hominis licentia intemperantiaque cogitare. Non eſt, cur neque ego, neque vos, neque vero quiſquam alius Critico hoc interdictum putet. Artis

tis criticæ jus longe lateque pertinet, nihil ut pene ſit; in quod Criticus examen jure ſuo inſtituere, & de quo ſententiam interponere non poſsit ſuam. Hiſtoria vero eccleſiaſtica, uti fere omnes humanæ lucubrationes, hujuſmodi eſt, in quam tametſi a graviſsimis & doctiſsimis viris conſcripta ſit, nonnulla tamen irrepere potuerint, quæ minus probanda ſint, atque adeo ab eadem omnino expungenda. Aliqua vel imprudentibus, vel etiam ignorantibus ſcriptoribus nihil facilius, quam ut aut elaberentur, aut omitterentur, quæ vel reprehendi, vel ſuppleri a docto cenſore debeant. Quare, ſi quis examen in hiſtoriam eccleſiaſticam eo animo inſtituat, ut, ſi quid temere ſcriptum fuerit, ſi quid non ſatis probabili ratione confirmatum, ſi quid denique falſum, corrigat, emendet, inducat; in hoc ei a nemine neque ſuccenſeri debet, neque contradici poteſt; immo vero qui ita ſe gerat, & æquo & bono jure omnia inſpiciat, expendat, examinet, ſummopere laudandus eſt. Hoc jure Critici ſemper antea fuerunt, hoc in præſentia ſunt, hoc eſse in poſterum, atque adeo in perpetuum debent.

VII. Examen igitur, quemadmodum dixi, a neſcio quo in eccleſiaſticam hiſtoriam inſtitutum fuit; ſed novo more, novo jure, novo exemplo inſtitutum. Etenim auctor hic in toto paſſim opere; quid dixi opere? in unoquoque capite; non eſt ſatis; in unaquaque pagina; ne id quidem ſatis eſt; tertio quoque verbo dicere

re debueram, ita in quibuſque hiſtoricis factis examinandis dubius, anceps, incertus hæret; modo in hanc, modo in illam partem deflectit, modo in neutram inclinat, ita titubanter incedit, ita nihil de quaque re neque negat, neque affirmat, ita lectorem ſuſpenſum tenet, ut cum denique totum opus ſummo ſtudio diligentiaque pervolutarit & accurate diſcuſſerit, quid auctor ipſe, non dicam iis de rebus, quæ adhuc dubiæ ſunt, neque ſatis exploratæ; ſed de iis ipſis, quæ certiſſimæ & exploratiſſimæ habentur, quid inquam auctor ipſe ſentiat, prorſus ignoret; & illud tantum poſt attentam diuturnamque operis ipſius lectionem certiſſime aſſequatur, omnia ad opinionem quandam adduci, omnia in dubium ab auctore revocari.

VIII. Hoc modo inſtituto ab iſto, de quo dico, in eccleſiaſticam hiſtoriam examine, repertus eſt, acuti vir ingenii, qui aliud examinis genus, ſed multo rectius in hominem ipſum inſtituerit, in eumque acrius inquiſierit. Itaque inquiſitor hic, quandoquidem illud aſſequi non potuerat, ut aliquid certi ex ejus libro exſculperet, rationem cum homine habere cœpit, & illud ſaltem experiri adniſus eſt, ſi quo modo ad dubitationum ipſarum ſummam, quibus totus non modo refertus liber erat, ſed ſtipatus, ſua ipſe cura diligentiaque pervenire poſſet. Quare omnem dedit operam, ut, quod cogitarat, quantocius exequeretur, e ſententiaque conficeret. Igitur libellum totum quam diligentiſſime

me inſpexit, excuſſit, examinavit, quæ in dubium adducta erant excerpſit, fideliter adnotavit, ſingula accurate digeſſit atque ſepoſuit, ac demum dubitationum ipſarum ſummam inivit. Quid vultis? quid exſpectatis? Dicam rem incredibilem; ſed tamen veram; ſubductione facta in opere perexiguæ molis, ad duo dubitationum millia inventa ſunt. Quo comperto diligens operis cognitor, & accuratus inſpector hoc ipſum teſtatus eſt, nihil ipſe quidem dubitans, nihil hæſitans, ſed affirmans, ſed firmiſſime planiſſimeque aſſeverans.

IX. Hic vero, qua vi vocis, quo verborum pondere, quà gravitate ſententiarum ſingularem hanc, & nunquam antea excogitatam hiſtorica facta ad criticæ trutinam exigendi rationem caſtigandam exiſtimabimus? Proh ſuperum atque hominum fidem! Duo dubitationum millia in unum opus, & hoc non magni voluminis eſſe congeſta! Quid hoc eſt? quam novum! quam ſingulare! quam inauditum! quam prope monſtro ſimile! Quem Scepticum, quem Academicum huic homini anteferendum, aut aliquo ſaltem modo cum hoc homine conferendum putabimus? Quid? fierine potuit, ut in tanta hiſtoria examinanda, tam gravi, tam ſevera, tam locuplete, a tot ſanctiſſimis doctiſſimiſque viris ſummo ſtudio diligentiaque perſcripta, nihil occurreret, quod certum, quod ratum eſſet, quod ſine hæſitatione poſſet affirmari? Omniane in dubium revocari oportuit? omniane ad opinionem quandam adduci debuerunt? perin-

rinde quaſi omnia ad unum nullis nixa certis eſſent argumentis, & omni non dicam veritate, ſed omni etiam probabilitate deſtituerentur. Et hoc erit examen inſtituere? hoc hiſtoriam cognoſcere? hoc de ea ad criticæ artis leges ac præſcripta judicare?

X. Exſtitit proximioribus ætati noſtræ temporibus Philoſophus in primis nobilis & acutus, qui quos inſtituendos in philoſophia ſuſceperat, hoc ſibi modo initiandos putavit, ut nimirum omnibus primum de rebus dubitarent. Non ad eum quidem finem, ut re ipſa de rebus omnibus dubitatio induceretur, ſed tantum ut in principiis diſcendi ſuſtineretur aſſenſus, quoad uſque animus veritatem in omnibus exquirere per ſe, & ſua vi deprehendere aſſueſceret. Hæc tamen opinio communi ſententia repudiata fuit. Lumini enim naturæ officere viſa eſt, eaſque humanæ menti tenebras offundere, ex quibus nulla certa emergendi facultas oſtendebatur. Etenim non nulla ſunt, de quibus dubitare omnino nec poſſumus, nec debemus; quæ clara ſunt, perſpicua ſunt, & vel ipſa enunciatione, vel certo experimento evidentia. Jamvero quæ in philoſophicam palæſtram induci non potuit, quorſum in artem criticam dubitatio inducenda curabitur? An ut veterum illorum, quos nominavi, Philoſophorum obſoletæ jam & omnium hominum recte tum de divina, tum de humana fide ſentientium concordibus damnatæ ſuffragiis opiniones inſtaurentur? Quod quidem, quin, ſimulatione artis cri-

criticæ, ætate hac noſtra, ab immoderatioribus Criticis agatur, quis jam eſt, qui dubitet? ut hæc propemodum una ab ipſis dubitatio de animis hominum ſublata eſſe videatur.

XI. Sed ut ad hominem de quo dico, revertar, & ad eum ſpeciatim ſermonem convertam; Quid? cum id aggrediebare, ut hiſtoriam eccleſiaſticam examinandam ſuſciperes, perindene in illam, atque in Poetæ neſcio cujus carmen, examen tibi inſtituendum putaſti? An ignorabas, hiſtoriam inter atque poeſim magnum intereſse, ſemperque interfuiſſe diſcrimen? Neſciebas, hanc uno ferme niti figmento, illam maxime veritate? Quid ergo cauſæ fuit, quamobrem ſic in hiſtoria graviſsima ac ſanctiſsima expendenda verſarere, quaſi in explicandis per otium Poetæ alicujus exponendiſque fabellis operam ſtudiumque collocares? Et vero, opinor, ſi id negotii ſumpſiſſes, te moderatius fortaſſe temperantiuſque geſſiſſes. Etenim ii ipſi, qui ſuam in eo operam poſuerunt, ut fabulas interpretarentur, in ipſis Poetarum commentis abditam ac retruſam deprehendere veritatem potuerunt. *Non enim*, ut recte admonet Lactantius, *res ipſas geſtas finxerunt Poetæ, quod ſi facerent, eſſent vaniſſimi; ſed rebus geſtis quendam quaſi colorem adhibuerunt*. Tu contra, quo hiſtoriam quodammodo poeſi deteriorem faceres, atque adeo contra atque ejus natura ferat, commentitiam redderes, quam veritatem illi in fabulis reperire, tu in hiſto-

ſtoria, quæ *veritatis teſtis* jure ſemper meritoque habita eſt, invenire non potuiſti? Illi evolutam e Poetarum commentis veritatem explicarunt, tu explicatam in hiſtoria dubitationum tuarum involucris implicare conatus es? Illi latentem ac reconditam introſpexerunt, tu promptam oculis atque expoſitam non vidiſti? Illi, ut ita dicam, e mendacio veritatem elicuerunt, tu autem e veritate quodammodo mendacium emergere atque exſiſtere voluiſti? Quis poſt hominum memoriam ſe geſsit iſto pacto? quis, quis, inquam, præter unum te, tantum ſibi unquam ſumpſit? quis conatus eſt? ut unus omnem hoc modo hiſtoriam perderet, omnem hiſtoricam veritatem de medio tolleret. Nam ſi eccleſiaſtica hiſtoria omni ſpoliata probabilitate erit, quid de profana ſentiendum putabimus? ſi eccleſiaſticis ſcriptoribus fides abrogabitur, hæc ſcilicet ethnicis adjungetur? Herodoto nimirum, Thucydidi, Dionyſio, Salluſtio, Livio, Suetonio, aut etiam, ſi ſuperis placet, Apulejo & Luciano? Actum iſta ratione, ut videtis, de tota hiſtoria eſset & conclamatum.

XII. Non iſta profecto ratione ſe geſſit, vir clariſsimus, & nobilis in primis Criticus, qui neceſſitate utiliſsimi operis, quod aggreſſus erat, ad ferendum non de eccleſiaſtica ſolum, ſed de profana etiam hiſtoria judicium compulſus, timide ac modeſte præfatus nihil prius ſibi faciendum exiſtimavit, quam ut omnem a ſe immoderatioris cujuſque in judicando licentiæ ſuſpicionem amo-

amoveret. Accipite viri graviſſimi graviſſima verba. *Cum enim*, inquit de Locis Theolog. lib.xi. cap.iI. *non ex ſermone hominum recenti, ſed ex majorum memoria atque annalium vetuſtate eruenda ſæpe ſit veritatis explicatio ejus, quæ in Theologica diſputatione verſatur, oportebit ſane de hiſtoria præſertim veteri judicare, hiſtoricos omnes internoſcere, mendaceſque a veracibus ſecernere. Quam facultatem quoniam mihi nec arrogo, nec debeo; fateor, me non ſine metu ac pudore quodam hanc provinciam ſuſcepiſſe, munere neceſſitatis, non voluntatis opere perfuncturus. Non quod mihi in tanto officio, tamque gravi cauſa cura defuerit; ſed quod video periculoſum eſſe eo vel maxime loco judicem velle fieri, ubi vir ille nimirum exigitur, qui & antiquitatis memoriam in numerato habeat, & prudentia ſumma graviſſimoque judicio ſit præditus*. Hæc ille, quibus quidem verbis nihil gravius, nihil moderatius, nihil viro ſapiente dignius dici potuit.

XIII. Neque vero his contentus ulterius progreſſus eſt; & non ſolum non abrogandam hiſtoriæ ſive eccleſiaſticæ ſive profanæ fidem cenſuit, ſed ex utraque ad confirmandas vel ipſas Theologicas poſitiones certiſſima erui poſse argumenta contendit, atque hac de cauſa omnis hiſtoriæ cognitionem Theologo neceſſariam omnino eſſe duxit. Sic enim ſcriptum reliquit, ejuſdem libri cap.1I. *Etenim viri omnes docti conſentiunt, rudes omnino Theologos illos eſſe, in quorum lucubrationibus hiſto-*

hiſtoria muta eſt. Mihi quidem non Theologi ſolum, ſed nulli ſatis eruditi videntur, quibus res olim geſtæ ignotæ ſunt. Multa enim nobis e theſauris ſuis hiſtoria ſuppeditat, quibus ſi careamus, & in Theologia & in quacunque ferme alia facultate inopes ſæpenumero & indocti reperiemur. Cum vero pateat, quandoque in re quondam geſta Theologicæ diſputationis cardinem verti, quis eſt hic qui neget, interdum etiam in ſcholaſtica diſputatione opus eſſe ex annalium monumentis teſtes excitare clariſſimos veritatis? Quorſum tanta hiſtoriæ neceſſitas? quorſum tantopere ejus efflagitata cognitio? ſi in eccleſiaſtica hiſtoria, quæ reliquis & dignitate, & gravitate, & vero etiam veritate præſtat, omnia dubia, incerta, ſuſpicioſa eſsent? Næ iſte, ſi ante, quam examen illud ſuum ſuſciperet, tantum virum conſuluiſſet, rectius & verius de omni hiſtoria, ac de eccleſiaſtica præſertim exiſtimaſſet. Sed hunc hominem miſſum tandem faciamus, & ad alia non ita contentioſa veniamus, ne omnia jam inde ab initio agere velle cum dolore ac vociferatione videamur.

XIV. Nihil Hiſpanis olim ſalutarius, nihil ad illorum famam prædicationemque populorum illuſtrius accidere potuit; quam ut ad eos, cum adhuc viveret (*a*), Ja-

(*a*) Guilielmus Cuperus Parte II. Comment. Hiſtor., quæ inſcribitur: *de Prædicatione S. Jacobi in Hiſpania* Tom. VI. Act. SS. menſ. Jul. n. 555. & ultimo hæc habet. „ Sancte profiteor me ita ad hanc diſputationem illuſtrandam acceſſiſſe, ut „ putaverim non uſque adeo ſolida eſſe

Jacobus Apoſtolus veniret, afferret divini verbi ſemina, atque inde digreſſus relinqueret aliquot ſanctiſſimos viros, ſuæ diſciplinæ atque inſtitutionis alumnos, qui quam fidem primum ipſe ſeverat, latius deinde ſpargerent ac propagarent. Quod quidem, pro ſingulari illarum gentium veræ Religionis amplectendæ ſtudio, ac propemodum inſita hiſpanæ nationi atque ingenerata pietate, non admodum factu difficile fuit. Itaque jacta in iis regionibus, tanquam in ſolo bene comparato, Catholicæ veritatis ſemina non hæſerunt modo, ſed ad ſummam etiam fœcunditatem mirabiliter excreverunt. Quare Jacobum Apoſtolum ſumma religione venerantur, & tanquam præcipuum totius nationis Patronum agnoſcunt, cujus etiam apud illos magnificentiſſimum in Galleciæ finibus templum exſtat, ubi ſacræ ejuſdem reliquiæ eo jam pridem translatæ aſſervantur, maximo omnium Catholicarum gentium concurſu frequentiaque celebratum. Hæc eſt opinio Hiſpanorum longe vetuſtiſſima, quæ apud ipſos ſemper viguit, nec unquam, tot ſæculorum, quæ intercurrerunt, aut diuturnitate defecit, aut intercapedine præciſa fuit. Neque vero hæc ſolius opinio vulgi eſt, qui facile decipi poteſt atque in errorem induci (quanquam vulgi ipſius opiniones,

„ eſſe Hiſpanorum fundamenta ad „ prædicationem S. Jacobi in Hiſpania afferendam. Sed poſtea variis „ monumentis diligenter excuſſis, omnibuſque utriuſque partis argumentis mature expenſis, comperi im„ memorabilem Hiſpanorum traditionem, antiquis teſtimoniis firmatam omnibus adverſariorum „ argumentis longe prævalere.

nes, quando conſentientes ſunt, non continuo repudiari debent; ſed unde originem habuerint ſuam, debet attentius inveſtigari) ſed tamen hæc non ſolius opinio vulgi eſt, ſed omnium hiſpanienſium Eccleſiarum, quæ ab ipſis Religionis Catholicæ primordiis, iis in regnis; ampliſſimæ conſtitutæ ſunt ac nobiliſſimæ.

XV. Jam vero, ſi iſtos audias, tam longe abfuit, ut Jacobus Apoſtolus ad ea loca venerit, ut ne unquam quidem de hiſpanienſi profectione cogitarit. Quid? Hoc tot regna teſtantur, tot provinciæ aſſeverant, tot populi confirmant; incredibilis hac de re Hiſpanorum omnium conſenſus ſemper fuit, ut idem nunquam non omnes dicerent, idem omnes affirmarent, idem conſtantiſſime crederent; accedit præterea vetuſtiſſimarum nobiliſſimarumque Eccleſiarum graviſsimum ſanctiſsimumque teſtimonium; iſti videlicet ſeſe interponent? iſti intercedent? iſti tantæ auctoritati refragabuntur? & tot regnis, tot provinciis, tot populis, tot Eccleſiis idem atteſtantibus, affirmantibus, confirmantibus, aſſeverantibus, iſti videlicet ſoli contradicere audebunt ac repugnare? Ecquod tandem argumentum tam certum, tam firmum, tam manifeſtum, tam denique evidens afferre unquam poterunt, quod tantam teſtimoniorum vim aut omnino infringere, aut ſaltem valeat infirmare? Exſpecto, dum aliquid hujuſmodi afferatur, quod ſi conferamus cum hoc tali ac tanto tot ſæculorum populorumque conſenſu, conſpiranti in unum ac pene

conflato, aliquid tandem ponderis ac momenti habiturum eſſe exiſtimetur.

XVI. Jam ſi quæritur ab Hiſpanis, quo potiſsimum fundamento nixa hæc eorum opinio ſit, quanquam hac de re multa, & ea quidem luculentiſsima afferre poſſunt, & re ipſa afferunt documenta; tamen præcipue reſpondent, *traditione*, quæ ab antiquiſsimis ducta temporibus, perpetua apud eos & nunquam intercifa derivatione, ad noſtra uſque tempora profluxit. Hoc illi reſpondent, & magnum quiddam, cum traditionem appellant, ſe dicere arbitrantur; tantumque momenti in uno traditionis vocabulo ponunt, & ab unoquoque, qui æquitate ducitur, ponendum cenſent, ut una traditio, in re vetuſtiſsima & a noſtra memoria tot ſæculorum intervallo remota, omnium inſtar rationum habenda ſit.

XVII. Sciunt quidem, ut homines eruditi ſunt ac ſapientes, illa eis opponi; Jacobum nimirum omnium Apoſtolorum primum, quam evulgaverat, Hieroſolymis proprio ſanguine Catholicam fidem conſecraſſe. Sciunt, Apoſtolos, quod quidem ſcripto mandatum ſit, non ante ad excolendas Chriſtianis præceptionibus, quæ cuique obtigerant, provincias fuiſſe digreſſos, quam altera ab Herode contra Eccleſiæ primordia *perſecutio* commoveretur. Non ignorant præterea, ejus temporis, quo profectus in Hiſpaniam Jacobus dicitur, deeſse ſcriptores, qui id diſerte teſtentur ac liquido confirment.

Non

Non neſciunt, ab adverſariis illa etiam objici; Rem hanc non niſi poſt octavum ſæculum mandari ſcripto eſſe cœptam; ſcriptorum vero auctores alios alia de cauſa minus quibuſdam probari. Hæc omnia probe ſciunt, neque tamen dimoveri ſe ab traditione patiuntur. Non inveſtigant, quomodo tam mature digredi Jacobus ab Hieroſolymis potuerit, ad ſeque venire. Satis eſt ipſis, quod omnino potuerit, nec evidenti ratione demonſtrari oppoſitum queat. Scriptores vero, qui rem hanc litteris octavum poſt ſæculum prodiderunt, lenocinari ac blandiri quidem, ut iſti dicunt, potuiſse Hiſpanis vident; ſed vident etiam, tantam eſſe, ſemperque fuiſſe Hiſpanorum gravitatem, ut majores ſuos lenocinantibus ac blandientibus ſcriptoribus aures facile nequaquam præbituros fuiſſe certiſſime teneant, niſi eo ipſo tempore, quo res hæc vulgari litteris cœpta eſt, jam apud ipſos teſtatiſſima fuiſſet. Eodem igitur revertuntur, traditionem appellant, ad traditionem confugiunt, ab traditione ſe dimoveri non ſinunt, huic quam arctiſſime adhærent, & in hac tuti, tanquam in placidiſſima ſtatione, conquieſcunt.

XVIII. Hæc illi; quibus quid eſt, quod contra jure dici poſſit? Etenim ſi demonſtrari non poteſt, eo tempore, quo dicitur, digredi omnino Hieroſolymis Jacobum non potuiſſe; ſi auctores Jacobi in Hiſpaniam profectionem octavum poſt ſæculum diſerte teſtantur, ſi credibile eſt, hoc ipſum a prioribus, quorum ſcripta tum exſtarent, auctori-

ribus didiciſſe, ſi incredibile eſt, hos ipſos auctores tanta fuiſſe confidentia atque audacia, ut rem novam & antea prorſus inauditam temere & nulla certa ratione vulgarent, ſi, etiamſi id auſi eſſent, non tamen fidem apud populos minime leves, & ſatis ad ſuſpicandum acutos habituri fuiſſe videntur, ſi multa ante ſæcula, quam factum tam inſigne litteris mandaretur, hanc opinionem omnium Hiſpanorum animos occupaſſe veriſimile eſt, ſi denique poſt ipſum octavum ſæculum, quo primum, ut iſti volunt, in ſcriptis codicibus legitur, ad noſtra fere tempora, hoc eſt quoad per iſtos conceſſum fuit, hæc opinio manſit, inconcuſſa manſit, nemine refragante ac contradicente manſit, quæ tandem ratio tam certa, invicta, manifeſta, evidens quemquam compellere potuit, ut tanto poſt intervallo vetuſtiſſimam opinionem labefactandam ſuſciperet, eamque ex nobiliſſimorum religioſiſſimorumque populorum animis evellere conaretur?

XIX. Ego ſane non aſsequor, quis unquam iſtos poſt diuturnum tot ſæculorum ſilentium vocem mittere, quis clamare, quis tanto ſtrepitu reclamitare coegerit. Etenim, quid cauſæ fuit aut eſse potuit, cur iſtis tot ætatum nunquam interpellata taciturnitas diſpliceret, ut ei ſuis clamoribus ac vociferationibus obſtrepere auderent? Quid inde mali? quid incommodi pertimuerunt? Florentiſſima interim ac religioſiſſima natio in ſumma pace atque otio conſtituta ſuam tuebatur opinionem, omnibus grati animi ſignificationibus Apoſtolum ac Patronum ſuum

ſuum proſequebatur, cujus opem in adverſis ac duriſſimis rebus experta vel nobiliſſimas, ipſo adſtante atque conſpicuo, de ſuis hoſtibus clariſſimaſque victorias reportavit. Maxima inde Catholica Religio incrementa apud ipſos cepit, & tam alte egit depreſſitque radices, nulla ut vi, nullo ut unquam tempore evelli poſſe videatur. Quid igitur attinuit hanc opinionem tam ingenitam populorum illorum animis, tam longa temporum diuturnitate confirmatam attentare? quietiſſimis atque honeſtiſſimis gentibus hac ſuper re moleſtiam afferre? eiſque tantam quodammodo religionem auferendam eripiendamque curare?

XX. Gemina prope hujus, de qua dixi, altera Hiſpanorum ipſorum opinio eſt, qua certiſsime credunt (*a*), Divinam Matrem, cum adhuc inter mortales degeret, ipſi S. Apoſtolo in Iberi fluminis ripa conſtituto, ſuper columnam lapideam ſe conſpiciendam præbuiſſe, & eam maxime Hiſpaniæ partem, ubi apparuiſſet, ſibi cordi futuram affirmaſſe; propterea quia illam præ cæteris ſui ſtudioſiſsimam fore certo ſciret. Hæc quoque opinio jam inde uſque a vetuſtiſsimis temporibus ita inſedit in Hiſpanorum animis atque inveteravit, nullus ut unquam

(*a*) Gulielmus Cuperus tom.6. de Act. Sanct. in Appendice de Caſarauguſtana Deiparæ imagine, quam S. Jacobus ſtatuiſſe traditur, parag.4. num.600. re diligenter diſcuſſa, & expenſis Cardinalis Aguirii, qui tomo 1. Conc. Hiſp. diſſert.9. excurſ.7. num.79. ſententiam hiſpanæ nationi faventem propugnat, rationibus, *piam & antiquam traditionem* Aragonenſibus gratulatur.

quam de ea ſcrupulus hæſerit, nemo unus illorum de re tam certa, tam apud ipſos teſtata, tot ſæculorum comprobata judicio dubitaverit. Quapropter ſingulari pietate ſanctiſsimam Dei Genitricem proſequuntur, cui ampliſsimum etiam Cæſarauguſtæ templum poſuerunt. Tanto autem pietatis erga Divinam Matrem ſtudio affecti ſunt, ut hoc nomine omnes Catholicas nationes facile vincant, aut certe in tam pio & debito officio ab ulla Catholicorum hominum natione vinci ſe ac ſuperari minime patiantur.

XXI. Atque hic ego ſimiliter, ac ſupra feci, non iſtis obtrudam qualemcumque opinionem, non ſermonem vulgi, non rumores temere ſparſos, non imperitorum hominum & agreſtium teſtimonium; ſed conſentientem regnorum, ſed provinciarum, ſed cultiſſimarum gentium ac graviſſimarum, ſed Eccleſiarum præcipue ipſarum ſanctiſsimam religioſiſsimamque teſtificationem. Hoc ſimiliter Hiſpani facient, & illam ipſam, quam paullo ante appellarunt, traditionem commemorabunt, atque iſtis tanquam propugnaculum aliquod, quod expugnari non poſsit, in primis opponent. Non iis ne hic quidem monumenta deſunt, quibus honorificentiſsimam illam hiſpanæ genti Deiparæ prædictionem, quam eventus poſtea, & ſingularis eorum erga Divinam Matrem pietas ſatis ſuperque comprobavit, demonſtrent; ſed tamen iterum ad traditionem confugiunt. Hæc nimirum arx, hæc ara, hoc perfugium ſemper fuit, quo vetuſtiſ-

ſtiſsimæ opiniones, & ab omni noſtra memoria disjunctæ ſe reciperent, & ubi ſe contra omnes omnium adverſariorum impetus tutarentur atque defenderent. Diruatur hæc arx, evertatur hæc ara, auferatur hoc perfugium; jam non erit de ſanctiſsimarum vetuſtiſsimarumque rerum excidio, ac de Religionis ipſius, quæ, uti demonſtravimus, traditione, non minima ſui parte, nititur ac ſuſtentatur, ruina atque interitu recuſandum. Sed quidquid iſti contra moliantur, ſtabit ſemper hæc arx, ſtabit ara, hoc nunquam non patebit perfugium, cujus aditum nulla vis obſtruere unquam poterit, ac penitus intercludere.

XXII. Quod Hiſpani de Jacobo Apoſtolo, hoc Maſſilienſes, firmiſsime credunt (a) de Maria Magdalena & Martha ſororibus, quæ una cum fratre Lazaro, Maximino Chriſti diſcipulo, & Marcella pediſequa Maſſiliam acceſsiſſe dicuntur. Et Maria Magdalena quidem in antro quodam, quod adhuc viſitur, ab omni hominum ſocietate prorſus ſegregata delituit, ibique animo a terrenis rebus prorſus abſtracto, & unice in cæleſtium rerum contemplatione defixo quam diutiſſime

(a) De tota hac controverſia legendus eſt in Act. Sanct. tom. 5. Julii Jo Baptiſta Sollerius in Commentario hiſtorico-critico quod inſcribit *de S. Mariæ Magdalenæ apud Maſſiliam*, in quo Provincialium poſſeſſi, aſſeritur, & veriſimillior demonſtratur. Legendus præcipue Natalis Alexander Diſſert. 17. in Hiſt. Eccl. ſæc. 1. tom. 3. qui S. Mariæ Magdalenæ appulſum in Gallias pluribus rationibus tuetur atque confirmat, & oppoſita huic ſententiæ argumenta eruditiſſime more ſuo refellit atque confutat.

ſime manſit ; quo tandem in antro extremos dies ſuos clauſit, & ſanctiſsime placidiſsimeque deceſsit. Hujus loci ſanctitatem plurimi faciunt Maſsilienſes, atque illud antrum veluti ſacrarium quoddam inter ipſos a Deo poſitum eſſe & conſtitutum arbitrantur. Itaque eo religionis cauſa frequentes ventitant, & relicta apud eos ſanctiſſimæ fœminæ veſtigia, non obſcura illa quidem, ſed maxime illuſtria ac prope manifeſta, venerantur. Eo autem non crebri Maſſilienſes ſolum veniunt; ſed eodem ejuſdem religionis ſtudio ex circumſtantibus etiam provinciis ſummi fieri nunquam non conſueverunt maximique concurſus. Avenione cum eſſet Franciſcus Petrarca, civis veſter, Florentini, eo ſe contulit, & ſanctiſſimam fœminam impenſius veneratus, cum ipſam, tum etiam antrum, ubi illa habitaſſe atque obiiſſe fertur, pereleganti carmine celebravit.

XXIII. Hæc quondam fuit de illo ſanctiſſimo ſpecu clariſſimi ac ſapientiſſimi viri perhonorifica ſane ac plena auctoritatis teſtificatio. Hæc item vetus eſt, jam inde ab antiquiſſimis repetita temporibus de illo ipſo antro conſtans Maſſilienſium & conſentiens opinio. Quid tum? Exorti ſunt iſti, qui nimiam Maſſilienſium, eorumque, qui idem atque ipſi ſentirent, levitatem credulitatemque, ut ajunt, increpantes, rem totam, propter incredibilem, quemadmodum ipſis videtur, a remotiſsimis disjunctiſsimiſque regionibus Maſſiliam uſque ſive peregrinationem, ſive navigationem, nullis eorum,

rum, qui illo vixerunt tempore, ſcriptis conſignatam, ab hiſtoria eccleſiaſtica removerunt ſic atque amandarunt, ut prope reliquus ei tantummodo locus aniles inter fabulas, & Poetarum commenta relictus ſit.

XXIV. Video hic quid egerim, Florentini. Erigunt ſe adverſarii, & ſperant aliquam favoris veſtri ex allatis exemplis auram ſibi afflari poſſe, propterea quia probabiles Critici tum de Jacobi Apoſtoli in Hiſpaniam profectione, tum de Cæſarauguſtana Deipara, tum denique de hoc Mariæ Magdalenæ ejuſque comitum Maſsiliam ſive appulſu, ſive adventu multo aliter, atque ego exiſtimare viſus ſum, opinantur. Hic vero quid ego dicam? quid reponam? Poſſem equidem, ſi liberet, argumenta afferre, quæ id ipſum, de quo iſti triumphum agunt, docerent ac demonſtrarent. Poſsem hic quoque ad traditionem confugere, cujus magna dignitas ſemper fuit, magna auctoritas, magna vis; quæ magnum ſemper attulit ad res confirmandas graviſsimumque momentum. Sed hoc in præſens non eſt neceſſe. Nondum enim ad ea facta venimus, quorum defenſionem placet contra iſtos patrociniumque ſuſcipere. Prima hæc de pravo artis criticæ uſu actio noſtra, tanquam in pugna, velitatio quædam eſt, in qua ſolum placet experiri, quid ego in laceſsendo, & explorare, quid ipſi in reſiſtendo poſſint. Jam ut minime negem alios aliter prolatis de factis ſentire; contendo tamen non idcirco ſtatim iſtis conceſſum eſſe, aliquod hujuſmodi factum probris inceſſere, & per

& per ſummum contemptum prorſus abjicere atque reſpuere. Hac ego nunc iſtos parte aggredior, quæ debilis magis eſt atque infirma, & qua ſe peti a me cum ipſi minime volunt, tum ego illos pro eo, quod ſuſcepi, boni accuſatoris officio adoriri maxime debeo.

XXV. Age vero; res, quæ in controverſiam venit, non ſatis liquet; alii aliud de ea exiſtimant; alii negant, alii affirmant. Audio. Si quis aliter, atque ego, atque alius quiſpiam, ſentiat, non contradico; nec vero a quoquam poſtulo, ut hanc potius, quam illam, quandoquidem res in diſceptatione poſita eſt, ſequatur opinionem. Optio ejus, qui rem diſcutiendam ſuſcepit, tota ſit; eligat, quod placet, quod libuerit, teneat; me odioſum profecto nunquam interpellatorem habebit. Siquæ ſunt, in utranque partem rationes proferantur, rationum ipſarum momenta utrinque bona fide ponderentur; nihil malitioſe ſubducatur, nihil fraudulenter diſsimuletur, ad extremum lectoribus judicium relinquatur. Quodſi quis ſententiam interponere velit ſuam, &, quod ſentit, libere pronunciare, interponat, pronunciet, non impedio; ſed contrariæ ſententiæ parcat, a probris & contumeliis abſtineat.

XXVI. Quod igitur damno, & jure quidem damno, illud eſt, quod, quotieſcunque res aliqua in hiſtoria præſertim eccleſiaſtica occurrit, quæ exploratiſſima non ſit, ſtatim manifeſtæ falſitatis arguatur, continuo fabulis ac commentis, tanquam omni prorſus deſti-

ſtituta probabilitate, adjudicetur. Quid? Non placent, ut in poſtremo allato exemplo conſiſtamus, rationes, quas afferunt auctores ſententiæ, quæ Maſſilienſibus favet. Audio. Non ſatis quod contendunt, evincunt. Eſto. Contrariæ ſententiæ ſubſcribere placet; per me licet, ſubſcribe; fac quod vis, non repugno. Facile patior, in cauſa variis utrinque ſtudiis agitata tuo te uti arbitrio. In hoc vitium non eſt. Verum, quod vitium eſt in aliquo hiſtorico facto examinando vel maximum, quo jure? qua lege? quo exemplo illico rem controverſam; quæ tibi minime arridet, probris inceſſes? contumeliis afficies? omni probabilitate nudabis? illi, ſi qua habet veriſimilitudinis, tanquam ingenuitatis ornamenta detrahes? turpiſſimam falſitatis notam inures? ex hiſtoria denique miſeram, abjectam, ſpoliatam ejicies, extrudes, exterminabis? Quî id factum decuit? quî oportuit? quî ſalva fieri æquitate potuit?

XXVII. Atque hic nolite putare, Florentini, nos Italos iſtis, qui tantam Hiſpanis & Maſſilienſibus, quantam oſtendimus, injuriam irrogarint, nos inquam Italos iſtis præcipuos adeo atque eximios fuiſſe, ut nobis pepercerint, & nullum hoc in ipſo genere, de quo dico, negotium faceſſerint. Immo vero ita nobiſcum ſe ſe geſſerunt, ut neſciam, an quidquam nobis inferre gravius, majuſque faceſſere negotium potuerint, de quo neque ſatis dolenter conqueri me poſſe video, neque vero ſatis vehementer vociferari me poſſe intelligo.

Te-

Tenuimus trecentos & eo amplius annos, atque ulla ſine controverſia tenuimus, Sanctiſſimæ Dei Genitricis ædiculam, quæ Lauretana nuncupatur, ad nos inaudito prodigio uſque a Galilæa, quæ Palæſtinæ regio eſt remotiſſima, cæleſtium ſpirituum opera mirabiliter deportatam. Quantum inde Italiæ noſtræ decus accreverit, quantum præſidium acceſſerit, quæ ſit populorum omnium de illa auguſtiſsima domo opinio, hic nihil dicam, propterea quia huic rei certus eſt a me locus atque integer his in actionibus reſervatus. Nunc tantum dico; iſtos ne huic quidem omnium ſanctiſsimo ac ſacratiſsimo loco peperciſſe, neque tantam religionem, tot tantiſque prodigiis confirmatam eſſe reveritos; negaſſe, Lauretanam domum eam ipſam eſſe, quam Sanctiſsima Dei Genitrix, Nazarethi cum degeret, habitarit, & ita nos per ſummam injuriam omnium ornamentorum maximo ſacratiſsimoque ſpoliaſſe.

XXVIII. Jam vero, quo nam pacto ornatiſsimas haſce, quas paullo ante nominavi, nationes tam inſignes graveſque injurias tuliſſe arbitramini? Quem luctum Hiſpanorum? quos gemitus illorum populorum? quas fuiſſe querelas putatis Maſsilienſum? per ſummam indignitatem ſibi domeſtica erepta eſſe ornamenta; vetuſtiſsima ſanctiſsimaque monumenta immoderata iſtorum in opinando libertate polluta quodammodo ac violata; quod quidem eſt hujuſmodi, ut vel ipſis barbaris immanibuſque gentibus miſerum ſemper viſum fuerit & maxime cala-

calamitoſum. Omnibus enim hominibus illud ab ipſa natura ingeneratum eſt, nihil ut iis rebus carius habeant, nihil diligentius cuſtodiendum, nihil majori cura, ſi quando ſive ereptum ſive violatum ſit, aut recuperandum, aut vindicandum putent, quam ea, quæ aliqua religione, aut etiam ſola religionis opinione ſunt conſecrata. Reliqua ſibi auferri iniquo quidem animo ferunt, ſed aliquo tamen modo patiuntur. Hæc autem ſibi eripi maxime indignum, miſerandum, acerbum ac luctuoſum exiſtimant, & nullo modo ferendum arbitrantur.

XXIX. Nam quid nos Itali, ſi vere Itali ſumus, & de patria dignitate ſolliciti, quid, inquam, de iſtis ſentiendum exiſtimabimus? Quo animo erga hujuſmodi homines eſſe debebimus? qui non dicam tantum nobis invidere decus auſi ſunt; ſed tantam, quantum quidem ipſi aſſequi potuerunt, adimere religionem non dubitarunt. Ego ſane, ut de me fatear, ob attentatum ab iſtis tam ſanctum venerandumque monumentum, non ſolum vehementiſſime commotus fui, ſed tantum animo cepi dolorem, quantum verbis explicare non poſſim. Sed hac tota de re, ut paullo ante dixi, ſuo loco; quo cum venero, ita ſacratiſſimæ illius domus, atque adeo Deiparæ ipſius, cujus illa donum eſt, cauſam ſuſcipiam, ita nervos animi ingeniique mei contendam omnes, ut ſi minus ea, qua par eſt, dignitate, cauſa iſta a me tractabitur, illud perficiam profecto, quod ſolum de mea tenuitate præſtare poſſum, ut omne

ne ſtudium meum, neque Italiæ univerſæ, quæ cæleſti hoc munere cumulata cæteris gentibus atque nationibus prælata fuit, neque meæ qualicumque erga ſanctiſſimam atque amantiſſimam Matrem pietati, cui ſecundum Deum omnia me debere profiteor, neque vero Deiparæ ipſi, cujus ſingulari atque eximio beneficio donum hoc ipſum tot jam annos, atque adeo ſæcula poſſidemus, defuiſſe videatur.

XXX. Sed antequam huic actioni finem imponam, atque ad reliquas, quas de pravo artis criticæ uſu habiturus ſum, progrediar; poterone ab iſtis obtinere, ut æquo inter nos, quemadmodum ab initio conſtituimus, & legitimo jure diſceptetur? Nam, per Deum immortalem! quod genus Criticæ hoc eſſe dicam, quod nunc ab iſtis in morem inducitur? Hoc autem jus, quod novo hujuſce artis criticæ generi cuditur, inconditum omnino atque ab ipſo humano ſenſu prorſus abhorrens, quo potiſſimum nomine appellem? Clamat perſæpe tota antiquitas, atque aliquid ita, non autem ſecus, ſe habere pronunciat; clamat traditio, quæ ſe omnino audiri vult; ornatiſſimorum populorum ac florentiſſimarum nationum accedit conſenſus, (ut nihil hoc loco dicam de ratione, quæ non raro manifeſte ſe prodit, & luce ſua iſtorum oculos everberat atque percellit); ecce tibi repente exſurgit unus ex iſtis, nova Critici dignitas, non ſtudio vigiliiſque confectus, ſed unguentis oblitus odoribuſque perfuſus, & cerviculam jactans, ac neſcio

ſcio quid de veteribus, tanquam de obliviofis ac deliris ſenibus præfatus, unus maximis totius antiquitatis clamoribus obſtrepere, unus ſanctiſſimis traditionis vocibus reclamitare, unus conſpiranti populorum ac nationum conſenſui adverſari, unus graviſsimæ tot conſentientium auctoritatum teſtificationi refragari, rationi, juri, æquitati reſiſtere unus ac repugnare non dubitat. Quæ? malum! quæ iſthæc intemperantia eſt, atque licentia? tantumne iſti ſibi facultatis ſument, quantum a nemine ante eos ſumptum aut legimus aut audivimus? Hæc autem ars tantum juris cultoribus ſuis tribuet? tantum poteſtatis indulgebit? Non igitur traditio? non poſſeſsio? non jus? non æquitas quidquam valebunt? non ſuffragabuntur?

XXXI. Atqui & jus,& æquitas, & poſſeſsio valere debent, & cujuſque generis cauſas patrocinari. Nam, utram iſti meliorem conditionem putant poſſeſſoris ne,an petitoris? Ego tot annos atque adeo ſæcula in poſſeſsione ſum; nemo adhuc mihi moleſtus fuit; nemo litem intendit; nemo dicam ſcripſit; nemo umquam dubitavit, quin eo jure eſſem, quo, qui optimo. De repente exſiliunt iſti, litem intentant, dicam ſcribunt, ac jus in judicio perſequi incipiunt ſuum. Hoc tametſi iniquum videri poteſt, tamen non repugnabo. Verum hoc loco quæro, ejuſne, a quo petitur, an eorum, qui petunt, tota probatio futura erit? Eorum arbitror. Ita plane eſt. Hos igitur proferre tabulas, hos docere, hos probare, ſiquidem aliquid

quid efficere velint, oportebit. Quod ſi non faciant; nunquam profecto me loco movebunt, nunquam de poſſeſsione deturbabunt. Doceant ipſi prius certiſsimis inviɑiſsimiſque rationibus, ſive me, ſive eos, a quibus id acceperim, de quo lis eſt, in aliena jura aut veniſſe temere, aut dolo malo irrepſiſſe. Hoc niſi plane doceant, niſi demonſtrent, niſi luce clarius oſtendant, nulla ut mihi alia ratio ſuppetat, præter hanc, de qua dico, diuturnæ poſſeſsionis apud omnes judices, modo non iniquos & perditos, cauſam obtineam neceſſe eſt. Ita opinor fieri ſolere, ita oportere, ita æquum eſſe, ac rationi conſentaneum.

XXXII. Nam ſi caſu aliquo tabulæ interciderint, cogeſne me illas proferre, teſtamenta expromere ac recitare, quæ vel ignis abſumpſit, vel imber corrupit, vel tineæ devorarunt, vel ipſa vetuſtas confecit? nonne tum vel maxime inveterata me poſſeſsione tuebor? His ego armis inſtructus procedam in medium; his contra petitores meos ſtabo; his, quoad potero, reſiſtam; quæ mihi ſi arma eripiantur, omnes adverſariorum ictus excipiam neceſse erit, quibus contra jus faſque omne juguler atque confodiar. Illud vero novum in iſtis præterea ac ſingulare, quod non annorum ſolum, ſed ſæculorum etiam poſſeſſione conceſſa, litem intentare non dubitant. Negas poſſeſſionem? Uſitatum. Poſseſſionis diuturnitatem inficiaris? Conſuetum. Sed poſseſſionem concedere, diuturnitatem poſſeſ-

ſeſſionis non inficiari; & nihilo tamen minus perſtare in repetendo, & quemquam conari de poſseſſione, (a) & de diuturna poſseſſione depellere, hoc enim vero novum eſt ac plane iniquum.

XXXIII. Verum, tametſi hoc & novum eſt & iniquum, tamen, quoad uſque potero, iſtis indulgendo de-

(a) De poſſeſſione ac traditione Eccleſiarum audiendus eſt Natalis Alexander loco ſupra citato, cujus præclaras ſententias Parthenius noſter tum in hac, tum vero multo magis in conſequentibus actionibus exſcripſiſſe videri poteſt. Huius, *inquit*, impugnatores traditionis ſi qui de generis nobilitate gloriantur, vel hæreditatis feuda, agros, domos, redditus poſſident, adeo antiquis ac firmis titulis nobilitatem ſuam ac poſſeſſiones vindicare non poſſe confidenter dixerim; quas ſi litigioſi homines falſi poſtularent, ingenioſis forte, ſed levibus freti conjecturis, illorum conatus acriter ac vehementer repellerent. Ut ut eſt, Eccleſiarum Provinciæ traditionem ſollicitare nolui, ubi de S. Maria Magdalena; nec Eccleſiarum Galliæ cum Romana & Græca conſentientem traditionem convellere, ubi de S. Dionyſio agendum fuit, nec Dioniſii Opera Areopagitæ abjudicare; quamvis ſpecioſis, & difficilibus argumentis opiniones illas impugnari poſſe probe ſcirem, quibus pro virili reſpondi, probabileſque, ut exiſtimo, reſponſiones oſtendi, non minus, quam contraria argumenta. Has partes ut ſuſciperem effecit abhorrens a novitate indoles, & quod Catholici ac religioſi Theologi officium eſſe duxerim traditiones Eccleſiarum, ubi de illarum originibus agitur, ſequi potius, quam evertere; veterumque Patrum opera, quantum fieri poteſt, tueri, nec conſentire Hæreticis illa Fidei, ac diſciplinæ propugnacula, puros illos traditionum Apoſtolicarum latices ad inferiora ſæcula detrudentibus, & auctoribus ignotis tribuentibus. Non enim *in deſtructionem, ſed in ædificationem* talentum qualecumque ſcribendi a Deo mihi collatum arbitror. Minus eruditus, & reconditioris litteraturæ minus peritus hoc nomine videar neotericis quibuſdam Criticis, a quibus laudari meruiſſem, ſi Launojanas opiniones adoptaſſem; & quas dilui objectiones, probationum loco poſuiſſem; officio nihilominus fungar meo, inani gloriæ non militans, quam ſpernere doctor Chriſtianus debet; ſed uni Deo placere, & vere ſapientibus probari curans.

deſcendam, nec ea contendam, quæ in omni bene conſtituto judicio impetrare debeam. Volunt præcipuo eſse jure? Sint, non abnuo, non recuſo. Placet in omni hiſtoria liberius dominari? per me licet, dominentur. Nolunt religione ulla impediri, quo minus inveteratæ alicui ac receptæ opinioni refragari poſſint; quandoquidem ita cupiunt, abeant iſta etiam cura per me ſoluti, moleſtiaque liberati. Illud tamen unum iſtis edico, atque ante denuncio, ut inanes conjecturas miſſas faciant, ut ineptis argumentis parcant, ut levibus pugnare rationibus ne velint; ſed ſi aliquid hujuſmodi meditantur, ea afferant, quæ merito ſuo cuivis inveteratæ poſseſſioni jure anteferenda exiſtimentur. Hoc ſi præſtiterint, tum judicium aliquo modo agi videbitur, & aliquis æquitati locus relinquetur; ſi ſecus, omni ſublata equitate, non jam amplius judicium inſtituetur, ſed latrocinium comparabitur.

DE

DE PRAVO

ARTIS CRITICÆ

USU

Actionis II. Liber II.

VEnio nunc ad Lauretanæ domus cauſam, quam ſuperiore actione mihi maxime cordi eſſe ſignificavi, quamque me omni & ingenii, & virium contentione, quantum quidem hac mea facultatis mediocritate aſſequi potuiſſem, acturum, ſi meminiſtis, recepi. Vos ad ea, quæ dicturus ſum, animos quæſo veſtros erigite, Florentini; per ipſam, obſecro, Sanctiſsimam Dei Genitricem, eandemque omnium noſtrum amantiſsimam Matrem, per ipſam, inquam, cujus honos agitur atque exiſtimatio, cujus religioſiſsimum auguſtiſsimumque monumentum ab ipſamet in noſtris ſedibus conſtitutum & collocatum trecentos

& eo amplius annos ulla ſine controverſia tenuimus; *(a)* poſtea vero ab immoderatioribus Criticis in controverſiam vocatum, nobis ab iſtis, quantum quidem effici per ipſos potuit, ereptum fuit, atque omni propemodum religione ſpoliatum atque nudatum. Etenim ſi Lauretana domus ea ipſa non ſit, quam Deipara, cum viveret, incoluit, ecquis eſt, qui non intelligat, & illam multo potiſsimam religionis ſuæ partem deperdere, & nos una cum ea ornamentorum omnium longe maximum atque ampliſsimum amittere? Quid enim ad Italorum nomen famamque præclarius? quid ad prædicationem illuſtrius? quid ad exterarum gentium atque nationum, prope dixerim, invidiam magnificentius? quid denique ſanctius ac religioſius expeti aut optari a nobis potuit? quam *beatiſsimam* illam ædem tot miraculis nobilitatam, tot populorum concurſu frequentiaque celebratam, tanta opulentiſsimorum copia donariorum cumulatam, inaudito prodigio, per ingentes terræ mariſque tractus tranſmiſſam ad nos veniſſe, inter nos locum optaſſe, apud nos conſtitiſſe, &, quod præcipuum eſt, una cum illa tutiſſimum certiſsimumque in anguſtis rebus omnibus ac difficillimis præſidium nobis divinitus fuiſſe oblatum; nihil ut

(a) Nazarena domus tranſlata in Dalmatiam fuit anno 1291. die 9. Maii; anno vero 1294. die 10. Decembris in Italiam aſportata; octo deinde poſt menſes anno 1295. in via militari, ubi nunc eſt, mutata ſemel, iterum, atque tertio commoratione, conſtituitur. In definiendo harum tranſlationum tempore auctores omnes, qui de Lauretana domo ſcripſerunt, conſentiunt.

ut in vita ſive ad animi, ſive ad corporis præſentem tutelam exoptandum expetendumque ſit, quod nos a Deipara, a qua Italia noſtra non diligi ſolum, ſed incoli etiam habitarique videatur, noſtro propemodum jure ſperare non poſsimus. Adeſte igitur animis, Florentini, & ſi rem paullò altius exordiar, id non tam meo qualicumque erga Deiparam ſtudio, quam rei ipſius, de qua acturi ſumus, magnitudini adſcribendum putetis.

II. Nazarethum eſt oppidulum pervetus in Galilæa, quo Joachimus & Anna, Mariæ Parentes Sanctiſsimi, bellici tumultus vitandi cauſa, ſolum vertere coacti e Bethleemo, avita ſede, conceſsiſſe dicuntur, ibique domicilium collocaſſe. Nazarethi quæſita domus, coempta ædicula eſt; parva illa quidem & humilis, ſi ædificii forma ſpectetur; ſed plane magna & auguſta, ſi divina myſteria, quibus conſecrata fuit, uti par eſt, æſtimentur. Nam ferunt, ibi conceptam & natam eſſe Virginem, ibi educatam, ibi cæleſtem Nuncium allocutam, ibi ſingulari miraculo Dei matrem, nulla integerrimæ virginitatis jactura, effectam, ibi denique magnam ætatis ſuæ partem ſanctiſsime ab eadem fuiſſe tranſactam. Loci ſanctitas ea erat, quæ obliterari penitus ac deleri nec poterat, nec debebat. Itaque tradunt, Sanctos Apoſtolos beatam illam ædiculam omnium primos, ſummo, ut æquum erat, in honore habuiſſe, atque in templi ſpeciem concinnatam, ara excitata, ipſum Apo-

ſtolorum Principem Petrum rite conſecraſſe. Exinde Nazarena domus non ſolum ab accolis, ſed etiam ab advenis nunquam non impenſius culta fuit, ac frequentius celebrata. Viſebatur enim religionis ergo ab Aſianis, Afris, atque Europæis. Eo etiam venit Helena Auguſta, & pro ſua erga Sanctiſsimam Dei Genitricem pietate elegans, ut Nicephorus tradit, Virginis domicilio templum circumdedit. Conſequentibus deinde temporibus multi illuſtres viri eodem, ejuſdem religionis ſtudio impulſi, ſe contulerunt. Tenuit hæc religio multa ſæcula, donec Chriſtiana res in Oriente viguit. Verum, poſtea quam Chriſtianorum opes iis in terris comminutæ a Barbaris atque attritæ conciderunt, & capta Ptolemaide, Ægyptius Rex florentiſsimam regionem late diruit atque vaſtavit, omni ferme aditu ad loca ſancta intercluſo, ac præcipue ad Nazarenam domum Regis avaritia obſtructo, religio quoque ſanctiſsimi loci ſenſim deficere, in dies imminui, ad extremum quaſi prorſus aboleri. Non tulit Deus Matris ſuæ incunabula omni omnino cultu atque honore deſtituta inter Barbaros manere diutius. Ergo anno nonageſimo primo ſupra milleſimum & ducenteſimum, qui annus etiam ſuprema Palæſtinæ clade notatur, natale Virginis tectum cæleſtium ſpirituum miniſterio (admiranda ſane res, & ad eam diem inaudita, ſed nequaquam omnipotentis Dei facultate ſuperior, Angelo hac ipſa in domo affirmante; *non fore impoſſibile apud Deum omne*

ne verbum) a fundamentis avulſum , & ex Aſia in Europam translatum in æquata non admodum editi collis planitie , Terſactum inter & Flumen , quæ duo ſunt Dalmatiæ oppida , prope Adriatici maris oram conſtitutum eſt . Illic annos ferme quatuor ad illarum gentium ſolatium ſacra ædes eſt commorata ; mox repente , non ſine maximo Dalmatarum luctu ac dolore , trajecto mari , eorundem cæleſtium ſpirituum opera , in Italiam venit . Verum ne hic quidem Virginali domui a principio certa ſedes & ſtabilis . Nam deinde locum iterum ac tertio mutavit ; nec tamen a nobis omnino diſceſsit . Eximium enimvero mirifici erga nos Deiparæ amoris indicium atque argumentum , quæ a nobis non ea certe , qua par erat , grati animi ſignificatione , cum primum in Italiam ſe contulit , excepta , locum quidem mutavit , ſed nos prorſus deſerere , uti meriti eramus , amantiſsima Mater non ſuſtinuit . Sacra igitur domus primum in Italiam advecta ſylvam quandam in agro Recinetenſi non procul a mari inſedit . Verum non diu manſit in loco . Nam facinoroſi quidam ac perditiſsimi homines , ſylva occupata , interceptis per inſidias , necatiſque peregrinis , omnia cruentis cædibus latrociniiſque miſcere , ac nefandum in modum polluere cœperunt . Pollutum humano cruore , & tanto ſcelere violatum hoſpitium Virgo deſeruit , atque ex eo ſaltu in collem duorum Fratrum commigravit . Verum , uti e ſylva infame latrocinium , ſic ex iſto colle turpis ac de-

deteſtanda horum Fratrum avaritia divinam Hoſpitem expulit atque ejecit. Etenim cum ab advenis juxta atque ab indigenis opulentiſsimis donis Virgo coleretur, hi ſibi hæreditatem obveniſſe arbitrati, de ea certare inter ſe inſtituerunt, ac tantis odiis diſsidere, nihil ut propius factum fuerit, quam ut prædæ cupiditate obcæcati mutuis ſeſe vulneribus avaritia ſtimulante conficerent. Antevertit Deus immane facinus, ſublata odii cauſa rixarumque, & Maternam domum e Fratrum colle ad teli jactum in viam militarem tranſtulit, ibique conſtituit, ubi etiam nunc eſt, ac tot annos atque adeo ſæcula immota perſtat, ut merito ſperare poſsimus, Sanctiſsimam Dei Matrem, cujus divinum hoc munus, tanquam prædem atque obſidem eximiæ benevolentiæ ac voluntatis erga nos ſuæ, tamdiu obtinemus, nunquam Italiam derelicturam, atque æternam ſedem apud nos ac perpetuum domicilium habituram. Habetis expoſitionem facti, rem tenetis Florentini. Audite nunc quomodo tam inſignis facti, tam illuſtris, tam pervagati veritatem iſti elevare conentur.

III. Ac primo, propter nimiam *incredibilitatis*, ſic enim loquuntur, ſpeciem, quam factum iſtud præſefert, de facti ipſius veritate jure dubitare ſe poſſe, atque adeo debere contendunt. Quid hoc loco dicam Florentini? quid reponam? quanam potiſſimum ratione ac via ad tanti prodigii ac tam memorandi propugnationem aggrediar? Negabo, hujuſmodi prodigium eſſe maxi-

ximum, ſingulare, inuſitatum, inauditum? At per Deum immortalem! quid tam novum ac ſingulare, quam domum a fundamentis avulſam, integram alio transferri, tot loca maxime disjuncta atque remota peragrare, interjecta maria tranſire, tantum ſpatii, quantum Palæſtinam inter & Italiam medium jacet, conficere? Quid unquam poſt homines natos ſimile contigit? Quis unquam tale aliquid, aut narrari audivit, aut vero etiam legendo quærendoque cognovit? Itaque prodigii magnitudinem, quæ diſſimulari non poteſt, non negabo, non extenuabo verbis; concedam id, quod neceſſe eſt, quod iſti maxime volunt, prodigium eſſe omnino inſolitum, eſſe inauditum, eſſe ſingulare. Addo etiam, quo me iſtis magis dedam, eſſe hujuſmodi, ut pene ipſam fidem ſuperare videatur. Quid igitur? Cauſa excidam? minime ſane. Sit hoc prodigium ſingulare, ſit admirandum, quod concedo; attamen ajo, non idcirco falſum continuo eſſe atque confictum exiſtimandum. Ita me Deipara ſemper adjuvet, ita viventi ac morienti bona Mater præſens adſit, cujus cæleſte hoc donum, ab ipſamet nobis datum atque oblatum, ab iſtis vero per ſummam injuriam ablatum atque ereptum in præſentia repeto, ut non modo non cauſam amittam, ut etiam hinc vel maxime ad cauſæ iſtius defenſionem viam mihi muniam, atque aditum patefaciam.

IV. Etenim primo illud valeat iis in rebus, quæ ſui admirationem in hominum animis excitare vehementius ſo-

ſolent, eas fere fingi non ſolere. Quis enim ea fingat, quæ omnem omnino fidem ſuperent, quæ vix audita, tanquam falſa atque incredibilia, convicio ſtatim repudientur. Nam, ut prætercam vix quenquam adeo effuſe petulantem, qui tantum audeat, reperiri poſſe, hoc etiam a fallendi ratione quam maxime abhorret. Quorſum enim aliquid hujuſmodi quis excogitet ac comminiſcatur, niſi plane fatuus atque amens ſit, quod neminem unum propter inſignem rei ipſius ſive magnitudinem, ſive inſolentiam crediturum certo ſciat. Fingite, aliquid ſimile nunc in vulgus efferri. Quis crederet? nemo certe, qui ſanus eſſet. Hoc ego dico, Lauretanæ ædi a principio accidiſſe. Dico, tum Dalmatas, tum Picentes tanti prodigii novitate perculſos eorum, qui rem nunciaſſent, levitatem riſiſſe, aſſeverantibus credere noluiſſe, & inſigni fortaſſe contumelia affectos ab ſe repuliſſe ac rejeciſſe. At poſtea tum Dalmatæ, tum Picentes aſſenſi ſunt. Igitur adeo prodigii veritas explorata fuit, ut vel ab invitis aſſenſum potuerit extorquere; niſi forte duas florentiſſimas nationes nullis certis argumentis, ut rem tantam, tam novam, tam inauditam, tam admirabilem crederent ac divulgarent, fuiſſe adductas, velimus exiſtimare.

V. Et ſane ſi rem ipſam paullo attentius conſideremus, patebit profecto hanc, quam nobis objiciunt, prodigii magnitudinem, prodigii ipſius veritatem adſtuere, atque huic cauſæ non ſolum non obeſſe, ſed etiam prodeſ-

deſſe quam maxime. Age vero; in vacua atque inani Illyrici collis planitie nova repente conſpicitur ſtare domus. Magnum videlicet erat, certo ſcire nullam antea ibi neque domum, neque domus fuiſſe veſtigia. Hoc indigenas ignorare quis ſibi perſuadeat? In hoc igitur colle, quem plane vacuum atque inanem fuiſſe conſtabat, præter omnium opinionem exſpectationemque nova apparet ædes. Quid hoc rei eſt? quod monſtrum? quod portentum? Quis huc lapides ac cæmenta convexit? quis opus deſcripſit? quis operi faciundo præfuit? Quî potuerunt tam brevi tempore comportari & coagmentari lapides, duci parietes, tectorium ſuperinduci, culmen imponi? quî una nocte ædificari domus, atque adeo exædificari potuit? Video, hoc tanta celeritate fieri omnino non potuiſſe. Verum, eſto, fuerit ita factum, potuerit una nocte furtim ac raptim exſtrui domus, perfici ædificium. Quid illud? ecqua arte factum dicemus, ut iſthuc, quidquid operis eſt, non recens exſtructum, ſed vetuſtum appareat, &, ſi unam religionem demas, quæ plurima & maxima loco inerat, ſola antiquitate viſendum. Affrictu exeſi parietes, picturæ evaneſcentes, tectorium ex parte delitum, limen attritum, caminus fumo infuſcatus, Deiparæ ſtatua in loculamento ex cedro elaborata & pervetus, omnia denique unam præſeferunt, unam exhibent antiquitatem. Omnia ab omnibus eo magna frequentia partim religionis, partim viſendi ſtudio confluentibus diligen-

gentius inſpecta; ſingula curioſius perluſtrata, inveſtigata ſollertius, nuſquam tamen recentis operis conſpecta ſigna, nuſquam niſi vetuſtatis indicia reperta; omnes ad unum, quod neceſſe erat, in eam ſententiam ire, aut ſacram ædem illuc aliunde divinitus advectam, aut ab ipſo cælo demiſſam.

VI. Sed fac (videte quæſo, Florentini, quid bonitate cauſæ confiſus iſtis largiar) fac, inquam, artem hoc aſſequi potuiſſe, ut tot oculos ſingula attente ac per otium contemplantes falleret. Quî potuit illud? ut hæc ipſa ædes e veſtigio ex omnium conſpectu evaneſceret. Hic certe locus arti ac fallaciis reliquus eſt nullus. Neque enim arbitror Architectum ullum reperiri, qui machina appoſita movere domum aliquam poſsit, eamque transferre, quo velit; id autem multo minus perexiguo tempore, atque adeo momento temporis. Quanta molitione celeberrimi illi Ægyptiorum Obeliſci exciſi, formati, aſportati, ac demum loco ſuo conſtitüti fuerint, quis ignorat? Caii Caligulæ Obeliſcus ab antiqua ſede motus, & e proximo Circo ad templi atque areæ Vaticanæ ornamentum translatus inter admiranda Sixti V. opera memoratur; nec minus, quam unius anni ſpatio, & quadringentorum hominum opera res tanta perfici potuit. Sed ut eo redeam; ædes, quæ proximo die in colle Illyrico conſpiciebatur, amplius non apparet, nulla eſt; nihil reliqui, niſi veſtigia in loco, quem occupaverat, relicta. Quid eſt hoc? quo abiit? quo

quo conceſsit ? quo ſe ex omnium repente oculis conſpectuque proripuit ? Quæ molitio ? quæ ferramenta ? qui vectes ? quæ machinæ ? qui miniſtri tanti operis fuerunt ?

VII. Non longum in medio tempus ; certus ex Piceno rumor affertur mare tranſiſſe , in Italiamque commigraſſe . Idem ſtupor , ac religio , quæ Dalmatarum mentes inceſſerat , Picentum quoque animos occupavit . Certatim omnes ad nemus , ubi conſtiterat , confluere ; mirari domum tam ſubito eo in loco conſtitutam ; hærere , obſtupeſcere , ſubire limen , & loci ipſius religione edocti illam non tam domum , quam ædem eſſe ſacram , procidere in genua , Deiparæ ſimulacrum in loculamento conſpicuum venerari . Quid dicerent homines minime creduli , & ſatis ad ſuſpicandum acuti ? Ædificiumne illud raptim ibi ex lapide redivivo fuiſſe conſtructum ? At eo in loco, ſolis arboribus conſito , rediviva non erant . Eone aliunde fuiſſe comportata ? At quemadmodum tam brevi atque exiguo tempore ? An ædificium ipſum integrum aliunde translatum , ibique ſubito conſtitutum ? Multo minus . Utrum ſomniare ſeſe ? At probe vigilabant . An etiam vigilantes vana quadam atque inani objecti cujuſdam ſpectri ſpecie falli ? At oculi , manus , fidem faciebant . Deceptoſne ſe alicujus fraude atque præſtigiis ? At a quo ? at quomodo ? Quid igitur credere ? quid opinari ? quid dicere ? quid affirmare poterant ? Illud unum profecto ,

quod

quod ego, quod vos, quod quivis ſanæ mentis, ſi præſens fuiſſet, illud, inquam, unum, quod reliquum erat; Inopinatum illius ædis adventum unice ad Deum tanti prodigii auctorem eſſe referendum.

VIII. Sed eſto; fuerit aliquis inter eos tanta pertinacia, ſive potius amentia, qui, quod omnes crederent, omnes ad unum affirmarent, quod ipſe uſurparet oculis, manibus contrectaret, credere noluiſſet; quid hunc dicturum? quid ſenſurum tunc fuiſſe arbitramini? cum eam ipſam ædem, quam in ſylva conſpexerat, e ſylva in collem duorum Fratrum, cum rurſus e colle duorum Fratrum in viam militarem translatam vidit. Nonne tunc amplius repugnare non potuiſſet? nonne dare manus, reliquis aſſentiri, & ſe plane victum convictumque ipſa oblati prodigii evidentia fateri coactus eſſet?

IX. At credo, hæc momento temporis acciderunt, ut intervalla ſtationum obſervari ſatis commode non potuerint. Immo vero ſi unquam locus, ſi tempus, ſi opportunitas aliquid diligentius examinandi, & ſollertius ac per otium inſpiciendi fuit, hæc omnia certe in hoc prodigio ſumma fuerunt. Manſit enim ſacra ædes apud Illyricos annos tres & menſes ſeptem, in nemore Recinetenſi menſes octo, in colle duorum Fratrum, breviore quidem ſpatio; ſed tamen non ita contracto, ut facile non ſolum ab accolis atque indigenis, ſed etiam a convenis & peregrinis ſæpius adiri, omnia attentius conſiderari inveſtigarique potuerint. Hoc

X. Hoc autem loco quid nobis adverſarii concedent? quid nos ipſis adverſariis concedendum putabimus? Dabimuſne Illyricos ac Picentes prodigii novitate attonitos atque obſtupefactos vix ſui compotes fuiſſe, hæſiſſe diu ante quam certi quidquam de tanta re ſtatuerent ac definirent? Demus hoc, per me licet. Verum quodnam eſt hoc *diu*, quod non dies, non menſes, ſed prope quinquennium totum obtineat? Nunquamne Illyricos ac Picentes toto quinquennio ex ſtupore ſe recepiſſe? ſemperne attonitos? ſemperne obſtupefactos hæſiſſe credemus? Dabimuſne hoſce homines ingenio eſſe levi, ac credulo? Demus hoc etiam, non repugno; ſed uſquene eo dabimus, ut illos plane ſtolidos ac meros ſtipites exiſtimemus, qui, cum prodigii explorandi ſummam opportunitatem haberent, aut hanc ipſam opportunitatem negligerent, aut quod ipſis ſatis cognitum exploratumque non eſſet, in vulgus ſpargerent ac diſſeminarent. Facio injuriam cultiſſimis gentibus, qui de iis perinde loquar, quaſi de earum ingenii ſollertia ac ſagacitate dubitarem. Sed mihi ignoſcent opinor; bonitas cauſæ, quam defendo, fecit ut huc uſque progrederer.

XI. Cæterum nec Illyrici, nec Picentes in re tanti momenti ſibi defuerunt, ut mox demonſtrabo. Interim illa conſideremus quantum ad fidem tanto prodigio conciliandam valere debeant. Prodigium hoc non ſemel fuiſſe perpetratum, ſed iterum, tertio, ac quarto; totidem enim vicibus Lauretana ædes locum ſtationemque mu-

mutavit. Age, prima vice attentius conſiderari non potuerit. Quid? non potuit altera, tertia, quarta denique? Eſto, non potuerit ab Illyricis. Quid cauſæ fuit, cur neque potuerit a Picentibus? Duaſne provincias in re graviſſima uſque adeo fuiſſe diſſolutas, ut quoties tanti prodigii ſpecies earum oculis fuerit objecta, toties de ea aliquid certi cognoſcere neglexerint? Etenim ſi hoc prodigium ſemel tantum, uti dixi, perpetratum fuiſſet, ſi apud incultas barbaraſque gentes, ſi in ultimis Indiis extremaque Japonia, ſi uno tantum in loco, ſi clam atque obſcure, ſi uno ſolum aut altero inſpectante, ſi tempus, ſi occaſio ejus explorandi defuiſſet, ſi ab omni noſtra memoria omnino remotum, & in primorum ſæculorum obſcuritate deliteſcens, ſi denique ad eorum genus referretur, quo in genere oblatis per noctem ſpeciebus quibuſdam ac rerum imaginibus facile decipi atque in errorem induci homines poſſunt; (quanquam hoc prodigiorum genus ſacris ipſis litteris conſecratum, non continuo repudiari deberet) tamen ſi hoc noſtrum in hujuſmodi genere eſset, haud ita ægre paterer adverſarios de hujus prodigii veritate, propter ſummam ipſius admirabilitatem, dubitare. Admirabile quidem eſt, ſingulare, nunquam antea auditum. Quis negat? At ſæpius viſum, ſæpius inſpectum, ſæpius inveſtigatum; at palam atque aperte patratum; at clariſſima luce, frequentiſſima celebritate, in ore atque oculis duarum florentiſſimarum provinciarum,

rum, at hujuſmodi, quod ſenſibus perſpectum fuerit; in quo non aſtus, non inſidiæ, non præſtigia, non vanæ rerum ſpecies, non imagines, non inſomnia locum habere potuerunt, non denique unum, ſed multiplex, ut poſteriora prodigia priorum veritatem, nova quadam, ſed hac in re ad fidem faciendam, maxime accommodata ratione confirment. Quid igitur iſti volunt amplius? quid requirunt? quid ulterius flagitant? In eo ne diutius perſeverabunt, ut mihi tanti miraculi novitatem objiciant? quæ tantum abeſt, ut hanc cauſam infirmet, ut potius ex ipſa novitate maximum cauſæ ipſi robur ac firmamentum accedat.

XII. At enim exſiſtere vetus quædam in Piceno ædicula potuit Deiparæ conſecrata, quæ falſæ opinioni, & concinnando dolo occaſionem præbuerit. Facile patior, in cauſa optima mihi iſta opponi, quæ per ſe facile diluuntur ac refutantur. Etenim hujus ſacræ ædis, de qua dico, forma, cultus, poſitus, vetuſtas, picturæ, ea ipſa, quæ reperta ſunt in æde ſacra, ſi attentius conſiderentur, eam vim habent, ut omnem ab animis noſtris doli ſuſpicionem amoveant, & prodigii veritatem mirifice confirment. Quis enim novam atque inauditam domicilii & templi conjunctionem excogitavit? quis confinxit? atque adeo excogitare quis potuit, atque confingere? Quorſum in æde ſacra caminus? quorſum armariolum fictilibus aſſervandis fabrefactum? quorſum ipſa fictilia in armariolo inventa? Video hæc

habere locum in æde privata; quem vero locum in ſacra habere poſſint, non video. Quid igitur iſta ſibi volunt? quid ſignificant? quæ quidem, ſi minime conficta ſint, quantum gravia, & ad confirmandam veritatem idonea; tantum, ſi conficta, levia ſunt, inepta ſunt, & ridicula exiſtimanda, ac plane hujuſmodi, quæ dolum non adſtruant, ſed potius evertant. Præterea, hujus ipſius doli veriſimilius architectandi cauſa, altera ſimilis exſiſtere in Dalmatia ædicula debuit, quæ in Italiam translata fuiſſe a Picentibus diceretur; & ſic duas Nationes lingua, moribus, inſtitutis diſſidentes, & interjecto mari ſejunctas ſecum convenire oportuit, ut ambæ utramque ædem, quæ apud utraſque exſtitiſſe, aut exſtare potuiſse temere dicitur ab adverſariis, Nazarenam eſse domum ex compoſito affirmarent. Hæc autem quis credat? quis perſuaderi ſibi iſta patiatur? Quare, ut videtis, omnia aperte docent, hac in re ſine fraude ac mala fide Illyricos & Picentes eſſe verſatos, eoſque dolum ipſum iſto modo componere nequaquam potuiſſe; niſi forte velimus exiſtimare, homines maxime ingenuos, atque a fallaciis remotiſſimos eo uſque temeritatis atque audaciæ progreſſos fuiſſe, ut turpiſſimo mendacio poſteritatem omnem in re graviſſima decipere non dubitarint.

XIII. Sed eſto; videte quæſo, quid iſtis largiar fiducia cauſæ; exſtiterit multo ante, quam Nazarena domus in Italiam advenerit, ædicula in Laureti finibus

Dei-

Deiparæ ſacra ; & , ſi vultis , ut hoc etiam amplius adverſariis concedam , Lauretana fuerit appellata . Quid tum ? quid inde poſſet evinci ? Statimne hæc ipſa ædes propter eandem nominis appellationem ea , de qua dicimus , exiſtimanda erit ? Nihil minus . Non enim de appellatione , ſi recte iſti attendunt , noſtra quæſtio eſt, ſed de re ipſa. Contendo ego Cubiculum illud, quod nunc Lauretanam domum nuncupamus , non ante extitiſſe in Italia , ſed Nazaretho in Italiam adveniſſe . Hoc argumenta docent , hoc rationes evincunt , hoc probandum demonſtrandumque ſuſcepi . Quid ergo eſt cur tabularia mihi quoque non ignota ; neque vero impervia , adeant atque ſcrutentur ? quid ? cur veteres chartas fugientibus litteris vix conſpicuas inſpiciant , ut cognomines ædes Deiparæ conſecratas inveniant . His ego non tam moveor , ſi quas invenire poſsunt , quam rationum & argumentorum auctoritate commoveor . Etenim per me licet , ſanctum hoc venerandumque Cubiculum quo demum cumque libeat nomine appelletur . Deipara enim , quæ in eo colitur , perinde a vite , ab olea , a quercu , atque a lauro , ſive locus ille lauris conſitus fuiſset , ſive Lauretæ cujuſdam Matronæ Recinetenſis , quæ locum illum poſsediſse dicitur , juris eſſet (quod in præſentia nec quæro , nec moror) deducta nominis derivatione potuit appellari ; quæ quidem appellatio, quamcumque originem habeat , non impedit , quo minus Lauretana Domus re ipſa Nazarena

ſit, quod ego contendo; atque ita ſua auguſtiſſimo ſanctiſſimoque loco inviolata religio maneat. Sed iſta miſsa faciamus, & ad prodigii admirandam novitatem, unde digreſſi ſumus; revertamur.

XIV. Et ſane prodigii novitas atque admirabilitas ea erat, quæ hominum animos commovere vehementer & poterat; & debebat. Sed hæc, hæc inquam ipſa miraculi novitas ita omnium oculos ad ſe attraxit, ita animos ſubita quadam atque incredibili admiratione perculit, ut mirificum etiam ac ſingulare rei mirificæ ac ſingularis certius cognoſcendæ ſtudium accenderit atque excitaverit. Neque enim difficile erat videre hujuſmodi rem, niſi firmiſſimis niteretur argumentis, niſi teſtatiſſima eſset, plus apud poſteros admirationis, quam fidei habituram. Attendite igitur diligenter & voſmetipſi judicate, utrum exploratius quidquam ac teſtatius in tota inveniri hiſtoria poſſit. Dicam primum de ſumma Terſactenſium diligentia, deinde de accuratiſſima Picentum in explorando prodigio ſedulitate.

XV. Et Terſactenſes quidem, vir in primis pius ac religioſus, qui Sacra apud ipſos curabat, nomine Alexander, primo certiores facit, ſacram ædem recens ad illos advectam eam ipſam eſse, in qua Deipara, cum viveret, Nazarethi habitaſset, cæleſtem Nuncium excepiſſet, & Dei fuiſset Mater effecta; idemque affirmavit ſe, quæ diceret, de ipſa Virgine audiſse, cujus ſibi dormien-

mienti ſpecies fuiſset oblata. Porro Alexandri dicto inſperata ac ſubita valetudo (gravi enim morbo, cum hæc acciderunt, implicitus tenebatur) fidem faciebat. Tum enim vero Terſactenſes ejus rei certius cognoſcendæ incredibili cupiditate vehementer inflammati ſunt; omnium eadem & mire conſentiens ſententia fuit, ut certi homines, qui aliquid certi reportarent, Nazarethum quam primum mitterentur. Frequentes hac de re conveniunt Nicolaum Frangipanium, nobiliſſimum Equitem Romanum, qui tunc eam provinciam Prætor adminiſtrabat, ſententiam exponunt ſuam, rogant, poſtulant, flagitant, ut ſtatim legatio decernatur. Æquiſſimis provinciæ poſtulationibus Prætor obſequendum ratus, quatuor ex omni numero ſpectatiſſimæ probitatis ac fidei viros, quorum unus ipſe Alexander in primis fuit, elegit, qui Nazarethum adeant, omnia diligentius explorent, quæ exploraverint fideliter referant. Nulla interpoſita mora Legati diſcedunt, & ſecundo curſu in Palæſtinam advecti Nazarethum veniunt. Ut ventum eſt, nihil illis magis cordi fuit, quam ut ſtatim aliquid Nazarenos de Virginis domo, quæ apud ipſos eſſe deberet, percunctarentur. Illi reſpondent fuiſſe quidem apud ſe, nunc vero non exſtare; ſe neſcire, quo pacto aut evaneſcere omnino, aut alio transferri potuerit; ſi domus veſtigia, quæ ſola erant reliqua, inſpicere vellent, ſe libenter demonſtraturos. Legati annuunt, aditur ad locum, ubi ſacra ædes

 fue-

fuerat conſtituta; fundamentornm ſacri domicilii veſtigia vident, domicilium ipſum non vident; inanis areæ longitudinem ac latitudinem dimetiuntur, atque ad eam, quam ſecum ejus ædis, quæ apud ipſos erat, attulerant menſuram exigunt; omnia reperiunt adamuſſim quadrare, convenire, reſpondere. Itaque alacres ac ſucceſſu læti domum regreſſi, quæ audierant, quæque ipſi viderant, quam in re exploranda diligentiam adhibuerant, quid denique compererant jurati dicunt. Eorum dicta, uti mos eſt, ad publicum tabularium referuntur. Quid accuratius fieri potuerit, exſpecto dum iſti ſuggerant; ego certe exquiſitius quidquam ne cogitari quidem poſſe arbitror.

. XVI. Cognoſtis Terſactenſium, cognoſcite nunc Picentum (*a*) diligentiam. Quatuor a Terſactenſibus Legatos diximus fuiſſe miſſos; a Picentibus vero non minus quam ſexdecim ex honeſtiſſimis ejus provinciæ municipiis delectos, atque omnes ſuarum civitatum facile principes, primum in Illyricum, deinde in Galilæam ſcitote miſſos. Ubi primum Illyricum Legati tenuerunt, magni undique ad eos concurſus fieri. Ex omnibus oppidis paſſim matresfamilias obviam prodire flentes, clamare, vociferari; Se quidem eorum adventus cauſam non ignorare, gratulari ipſis cæleſte donum; ſed

(*a*) Picentes eos eſſe populos, quos hactenus indicare Parthenius voluit, auctor eſt Cellarius. „ Fines, *inquit*, „ Piceni in ora Æſi fluminis ſunt uſ- „ que ad Prætutianos, ſi proprie Pi- „ centes intelligimus; prima urbs in „ ora Ancona eſt. „ Anconam eidem provinciæ adcenſet Ptolemæus.

ſed ſuam vicem dolere ac lamentari. Deducuntur Legati magno virorum mulierumque comitatu ad collem, quem ſacra ædes ex Galilæa in Dalmatiam adveniens inſederat; vident, quod jam ex ipſis indigenis cognoverant, ſigna quidem, quæ ſolo impreſſa ſacrum domicilium reliquerat, ſupereſſe; domicilium vero ipſum nullum eſſe. Adhibentur Lauretanæ ædis menſuræ, quas ſecum ipſi attulerant; omnia congruunt, omnia exacte perfecteque reſpondent. Interrogant de tempore, quo ſacra ædes ex Dalmatia conceſserat; deprehendunt, eodem plane momento temporis divinum hoc munus & Illyricis ablatum, & Picentibus oblatum. Comperta re, ex Illyrico demigrant, in Galilææ fines veniunt, inde Nazarethum proficiſcuntur. Atque hic etiam omnia eadem prorſus cura explorata, eædem adhibitæ menſuræ; ne multa; facta menſurarum & locorum, quæ ſacra ædes occuparat, contentione, intervalla reperta æqualia, nihil diſcrepare, omnia cum Nazarena & Illyrica area, & Lauretanæ ædis modo ac forma plane ac mirifice convenire. Anconam, unde ſolverant, Legati revertuntur. Interpoſita fide ac jurisjurandi religione Legatorum teſtimonia excipiuntur, ac litteris publicis conſignantur.

XVII. Videtis, opinor, duas haſce religioſiſsimas Nationes inter ſe certaſſe diligentia, utra potuerit adhibere majorem, neutram viciſſe; eam enim utraque adhibuit, qua major excogitari non poteſt. Hic ve-

ro nolite putare, hæc eſſe a me temere confiCta, atque ad tempus accommodata, quæ ex vetuſtiſſimis monumentis, ex litteris publicis, ex civitatum tabulariis eruta eſſe confirmo. His de rebus luculentiſsimum reliquit teſtimonium Hieronymus Angelita (*a*) Patritius Recinetenſis, patre, avo, perpetuis ejus urbis, ut vocant, *Cancellariis*. Hic dicit a ſe diligentiſsime Recinetenſe tabularium excuſſum, ſcripta vetuſtiſsima reperta, attente perlecta, quantum per vetuſtatem licuit, documenta omnia collecta, nullam rei indagandæ diligentiam prætermiſsam; addit a Fluminenſibus ipſis ſe multa didiciſse, quæ ad hoc prodigium confirmandum pertinerent. Hac porro adhibita diligentia, omnia accurate in unum volumen contulit, quod Clementi VII. P.M.

(*a*) Hieronymus Angelita in Epiſtola nuncupatoria, quam ſcripſit Clementi VII. hæc habet.

„ Venendomi ſpeſſo in memoria quel detto; Narrino i popoli la ſapienza de' Santi, e la Chieſa riferiſca le lodi loro, e ritrovandomi io il minimo di tutti gli uomini dopo Vanne Angelita mio Avo, e dopo Gio. Franceſco ſuo figliuolo, e mio Genitore, perpetuo Cancelliere della Comunità di Racanati, ed avendo ſpeſſe volte *gli antichi annali di eſſa con fedel propoſito rivolti*, ho ridotto queſta Hiſtoria in miglior forma, con ſtile pur aſſai baſſo; non già ch' io ſia ſtato ardito traſmutare il vero ordine della coſa, ma ho cercato illuſtrarla, quanto ho poſſuto *regendomi ſecondo la via moſtratami dalla ſcrittura*, della quale ho di ſopra detto. „ Porro ſupra in eadem epiſtola nuncupatoria hæc habentur; „ Ai tempi di Leone X. certi Schiavoni huomini d' integra fede portarono a Racanati una ſcrittura, trovata tra gli antichi annali della terra di Fiume, che in quelle bande è un luogo poſto ſul lido del mare Adriatico, nella quale ſi leggeva, come queſta Caſa mirabilmente s'era la prima volta traſportata di Nazarette città, in quei paeſi; e ciò a notitia venuto, ſubito ne fu ſcritto a ſua Beatitudine dalla Communità di Racanati. „

P. M., qui de tanta re doceri cupiebat, exhibuit; ut ſuſpicari nefas ſit, virum æque pium ac doctum, & quem Ven. Caniſius vir ſapientiſsimus & eruditiſsimus appellat *ſummæ fidei hominem*, tanto Pontifici imponere voluiſse. Volumen extat, quod poſtea conſequentes hac de re accuratiſsimi ſcriptores non tanti feciſsent, niſi in eo certa veritatis indicia clare aperteque deprehendiſsent. Ante hunc Petrus Georgius Præpoſitus Teremanus (*a*), & complures annos Lauretanæ domus Gu-

(*a*) Petrus Georgius Præpoſitus Teremanus Almæ domus Gubernator Hiſtoriæ Lauretanæ Summam confecit, & peregrinis legendam propoſuit, quæ Summa magno ſemper in pretio habita fuit. Summam Præpoſiti Teremani Bartholomæus Vallis Umbroſæ Monachus Italico carmine valde antiquo, ut ex pluribus idiotiſmis manifeſte apparet, expreſſit. Legitur hoc carmen in *Vita B. Virginis* ab Antonio Cornazano edita Venetiis anno 1509. Porro de ſingulari hujus Præpoſiti fide, diligentia, religione legendus omnino eſt Horatius Turſellinus Hiſtor. Lauret. lib. 1. cap. 28. Inter alia hæc leguntur hoc loco non omnimoda. „ Sane, & hiſtoria ipſa a prima Recinetenſium memoria repetita eſt; & „ ejus auctoritati religio, ac diligentia Præpoſiti Teremani vel plurimum adjecit. Is quippe *interrogatis, qui adhuc ſupererant, teſtibus* „ tantam rem, quoad ejus fieri poſſet, voluit eſſe teſtatam. Teſtes „ igitur ſatis locupletes ab illo citantur duo, *Paulus Rinalducius*, & „ *Franciſcus cognomento Prior*, ambo cives Recinetenſes, viri boni, „ ſpectatæque fidei. Rinalducius quippe ſæpe Præpoſito Teremano (*ut ipſe met refert*) teſtificatus eſt, „ ab ſe *avum* ſuum ſæpenumero *auditum eſſe narrantem, ſe met Beatæ Virginis Domum conſpexiſſe*, „ *cum ſublimis ab Angelis ſupra mare ferretur, & in Recinetenſi ſylva collocaretur*. Quin etiam ſe ſacroſanctam Ædem in nemore *ſitam* „ cum civibus aliis compluribus ſæpius „ *acceſſiſſe*. Franciſcus autem Prior „ *avum ſuum* cxx. annos natum, integriſque adhuc utentem ſenſibus „ *non ſemel audiverat* (*ut ipſe pro teſtimonio dixit*) cum referret, *ab ſe frequenter ſacram Ædem in ſylvam cum aliis itum: eamque ſua memoria in collem duorum Fratrum eſſe translatam*.

Hieronymo Angelita, & Præpoſito

Gubernator Summam hujus hiſtoriæ a prima Recineten-ſium memoria repetitam confecit, & Pio II. obtulit. Huic Summæ, etſi ſtylo rudi ac ſimplici conſcriptæ, ita magna adhibita eſt fides, ut in Lauretana æde propoſi-ta fuerit peregrinis legenda; quæ quidem, quoties ve-tuſtate obſolevit, toties fuit inſtaurata. Tantam illi au-cto-

ſito Teremano merito adcenſendus eſt Raphael Riera Societatis Jeſu, qui egregium de Lauretanæ domus transla-tione MS. reliquit, ſumma diligentia ac religione exaratum. Hoc MS. Mar-torellius in ſuo Theatro Hiſtorico Lau-retano edidit. Hoc plurimi fecit Turſel-linus, ex eoque non parum profecit.

,, Neque vero, hic prætermitten-dum eſt ſacræ Domus veſtigia eo-dem in loco, quem ſacra ædes in ſylva occupaverat, ad noſtra fere uſ-quæ tempora perſtitiſſe. Qua de re audiatur Turſellinus eodem libro, ca-pite 9., ubi hæc habet. ,, Eo autem
,, loco, ubi primum in Picenum ſa-
,, cra ædes delata conſedit, quandiu
,, ſylva ſtetit; ſtetit autem uſque ad
,, annum hujus ſæculi (*nimirum deci-*
,, *mi ſexti*) ferme ſeptuageſimum quin-
,, tum, haud obſcura exſtiterunt ædis
,, ablatæ miraculique indicia; quippe
,, area, quam ſacra occupaverat domus
,, nitebat ſemper vernantibus herbis
,, floribuſque, cum omnia circa den-
,, ſis obſita virgultis ac ſentibus horre-
,, rent. Nec dubia res. Auctor eſt
,, Hieronymus Angelita in Virginis
,, Lauretanæ Hiſtoria, quam Clemen-
,, ti VII. dicavit, *eo ipſo tempore,*
,, *cum hoc viſentibus miraculo erat.*
,, Viſebantur pariter cum area *ſancto-*
,, *rum parietum ſolo impreſſa veſti-*
,, *gia* ſanctitatem & quaſi divinum quid-
,, dam ſpirantia. Id adeo *ipſemet*
,, *accepi* a Raphaele Riera, qui *ædis*
,, *veſtigia atque areæ nitorem* ſæpius
,, magna voluptate ſe ſpectaſſe memora-
,, bat. Cæterum exciſo nuper nemore, ac
,, ſolo arationi deſtinato, eximia illa
,, amœnitas ab imperito rerum agri-
,, cola & foſſione, & ſatu olerum vio-
,, lata defecit. Itaque ad retinendam
,, loci religionem ab eodem illo Rie-
,, ra in ipſis veſtigiis quoquo verſus
,, parietes paullum a terra ſunt exci-
,, tati. *Vidi ego ipſe & inſpexi lo-*
,, *cum*, cum hæc ipſa litteris prode-
,, rem. Animadverti, parietibus illis
,, *aream* includi & *longitudine* & *la-*
,, *titudine* ædi Lauretanæ uſquequaque
,, *parem*. Verum enim vero ita ami-
,, ſit amœnitatem, ut retineat religio-
,, nem; & hodie religionis ergo a
,, multis viſitur . . . In colle porro
,, duorum Fratrum obſcuriora argu-
,, menta cernuntur, loci tamen, aut
,, loci potius veſtigium monſtratur.

ctoritatem religio & diligentia Præpoſiti Teremani adjecit. Teſtes enim locupletes in ea citantur, qui adhuc ſupererant, & quæ aut ipſi vidiſſent, aut ab iis, qui viderant, accepiſſent ipſi Teremano Præpoſito narrarunt, & interpoſito jureJurando confirmarunt.

XVIII. Neque vero apud Picentes ſolum facti tam inſignis vetuſta monumenta exſtant; ſed perantiqua permanent, & etiamnum viſuntur apud Terſactenſes. Eo ipſo in loco, quem ſacra ædes Nazaretho adveniens inſedit, templum Frangipanius excitavit; quod, ut ad tantæ rei memoriam poſteritati prodendam maxime valuit, ita non minus roboris ac firmamenti contulit ad hoc noſtrum adſtruendum confirmandumque prodigium. Etenim, amabo vos, quid potiſſimum nova hujus ipſius templi molitio ſpectavit? quid propoſitum hæc ſubita Frangipanii cura habuit? Solatium. Solatium? At quo ſolatio Terſactenſes indigere poterant, ſi ea re caruiſſent, quæ nunquam in eorum poteſtate fuiſſet? Dolemus ea nobis eripi, quæ poſſidemus; illa vero, quæ noſtri juris nunquam fuerunt, optare quidem poſſumus, ſed, quod ea non habeamus, dolere, mœrere, angi, niſi forte ex invidia, non poſsumus. Si ergo nova templi molitio ad ſolatium illarum gentium, quæ tanto bono privatæ fuerant, pertinuit; ſi ſolatium ipſum Terſactenſibus oblatum fuit; id autem & in certa re, & certo tempore, & certo in loco, & certo in genere oblatum, hoc profecto & certæ rei, & certo tempore, & cer-

& certo in loco, & certo in genere amiſsionem clare aperteque demonſtrat. Hanc porro certam rem, quæ iſta certa compenſata ratione fuit, quam aliam eſſe dicemus, niſi hanc ipſam, de qua nunc ago, & quam tota animi & virium contentione defendo.

XIX. Nam quid dicam de vetuſta inſcriptione illa, quæ adhuc in eodem templo perſpicuis inciſa notis legitur, & factum hoc totum diſertiſsime docet? HIC EST LOCUS, IN QUO OLIM FUIT SANCTISSIMA DOMUS BEATÆ VIRGINIS DE LAURETO, QUÆ NUNC IN RECINETI PARTIBUS COLITUR. Hic ego rurſus, amabo vos, Florentini. Quid ſibi vult hæc inſcriptio? quid ſignificat? quid loquitur? quæ quidem eſt hujuſmodi, ſi attente conſideretur, ut parum honorifica Nationi videri poſſit. Uti enim ſacræ apud ipſam domus commorationis teſtimonium eſt, ita eſt etiam ſubitæ ab eadem ejuſdem domus migrationis indicium. Jam quid attinuit hanc inſcriptionem propalam omnibus convenis ac peregrinis legendam proponere? Quis a Terſactenſibus apertam hujus facti confeſſionem extorſit? quis illos impulit, quod nemo ab eis quærebat, ſponte ac ſincere fateri? Nonne totum hoc diſſimulandum erat? nonne reticendum? niſi id ipſum palam omnibus facere manifeſta rei ipſius veritas Terſactenſes coegiſſet.

XX. Jam vero quid hic ego dicam, Florentini? quid vos? quid iſti? Num hæ conjecturæ ſunt, quas ſcilicet iſti contemnere poſſint, atque aſpernari? tametſi

metſi conjecturæ, quando probabiles ſunt, & plurimum valere debent, & negligi jure non poſſunt. Verum hæ conjecturæ non ſunt; luculentiſſima argumenta ſunt, ſunt invictiſſima certiſſimæ veritatis teſtimonia. Profero enim vetuſtiſsima monumenta, profero litteras publicas, profero graviſſimam honeſtiſsimorum virorum perſcriptam auctoritatem. Adſunt quodammodo Legati Illyrici, adeſt ipſe Terſactenſis Alexander, adſunt Legati a Communi Picentum in Galilæam miſsi. Dicunt, omnia ſe quam attentiſsime vidiſſe, inſpexiſſe, examinaſſe, cognoſſe. Dicunt, nullam in re exploranda ab ſe prætermiſſam fuiſſe curam, nullam in tanto munere obeundo nimiam putaſſe ac ſupervacaneam diligentiam, nihil denique ſe omiſiſſe, non modo ad omnem dubitationem, verum etiam ad omnis dubitationis ſuſpicionem vel minimam tenuiſsimamque tollendam. Dicunt, allatas eſſe menſuras, arearum longitudinem ac latitudinem, craſsitudinem fundamentorum fuiſſe dimenſam; arearum, fundamentorum, menſurarum ipſarum factam eſſe contentionem, omnia deprehenſa inter ſe plane convenire, ne hilum quidem diſcrepare, perfecte exacteque reſpondere; quod dicunt, jurati dicunt; qui porro id dicunt, hi ſunt graviſsimi viri, ſpectatiſſimæ fidei, ſuarum civitatum principes, Legati publici, qui etiamſi jurati non dicerent, ea eſt horum virorum auctoritas, probitas, gravitas, ut illos in re tanti momenti mendacii inſimulare nefas eſſet. Excuſſa ſunt, in-

ſpe-

ſpecta tabularia a duobus fide digniſſimis viris, Præpoſito Teremano, Angelita *Cancellario*; quæ ad rem tam memorandam ſpectarent, diligenter collecta, publici juris facta, & duobus ſummis Pontificibns oblata & inſcripta. Accedunt pervetuſta Terſactenſium monumenta, & templi a Frangipanio excitati, & propalam expoſitæ inſcriptionis. Adſtipulatur ſincera, aperta, & ab una veritate expreſſa Terſactenſium ipſorum confeſſio. Quid iſti volunt amplius? quid flagitant? quid requirunt? Hæc profecto hujuſmodi ſunt, quibus nihil ad tantæ rei veritatem confirmandam addi poſſe videatur.

XXI. Atque hic quiſquam quæret a me, & uſque ad nauſeam atque ſtomachum quæret, utrum ad tantum confirmandum prodigium idonea habeam documenta(*a*)? Ec-

(*a*) Præter ea, quæ ſupra attulimus, docnmenta, placet hoc loco alia ſubjicere a Turſeliino deprompta. Ac de ſitu quidem, *inquit*, lib. I. cap. 10. „ Situs ipſe ſacroſan„ ctam illam ſedem non humana, ſed „ divina prorſus arte manuque loca„ tam facile declarat. Sita igitur eſt, „ ſiqua uſquam, ad quatuor cæli mun„ dique regiones ex Mathematicorum „ diſciplina; neque id ſolum, ſed ex „ veteri etiam SS. Patrum inſtituto, „ qui aras ſacrarum ædium ad ſolis „ ſpectare ortum jubebant ... Hunc „ autem tam admirabilem ſanctiſſimi „ ſacelli ſitum non caſu occupatum; „ ſed divino quæſitum conſilio, vel „ illud argumento eſt, quod in ipſa „ quoque ſylva eundem plane ſitum „ a Virgine optatum, *ut egomet in„ tentius obſervavi*, veſtigia, quæ „ exſtare diximus ſatis oſtendunt.

De poſitione autem, ſive conſtitutione ſacri ædificii illa ex eodem auctore hic exſcribenda omnino ſunt, qui libro citato cap. 16., „ Videbant „ Recenitenſes, *inquit*, parietes, & „ tenues & perantiquos ſtare ſine ul„ lo penitus fundamento. Ingens er„ go eos inceſſit cura, veritos, ne „ paullatim temporum injuria, pro„ cumbentibus parietibus, auguſtiſſi„ ma orbis terræ ſedes peſſum iret „ rueretque. Itaque optimum factu rati

Ecqua erunt documenta, ſi iſta documenta non ſunt? Ecqua idonea judicabuntur, ſi iſta tanquam inepta repudientur? His, quotquot ante me hac de re ſcripſerunt, viri graviſsimi & ſapientiſsimi uſi ſunt; hæc ipſa diligentiſsime explorarunt; hæc ad Criticæ ſeverioris regulas exegerunt, & magni eſse ponderis duxerunt. Ego

„rati ædem ſpecie ruinoſam undique „communire, & jactis, quantum res „ferebat, fundamentis lateritio eam „pariete circumdant. Fama eſt haud „dubiis vulgata auctoribus, nullo „modo potuiſſe novam ſubſtructio„nem cum ſacris parietibus cohære„re. Quin etiam procedente tempo„re novi illi parietes veteribus pro „fulcimento adjecti paullatim receſſe„runt adeo, ut inter utrumque parie„tes, quoties opus foret, puer cum „accenſa face diſcurreret, quo diſ„junctorum parietum fidem exploran„tibus faceret. Nec vetus eſt ejus „rei memoria. Vivebant paucis ab „hinc annis viri probi piique com„complures, qui diſcurrentem inter „parietes puerum ſæpius ſe vidiſſe nar„rarunt Rhaphaeli Rieræ, *unde ipſe* „*cognovi*. Huic eidem Rieræ Raine„rius Nerucius Architectus egregius, „ædificationi Lauretanæ præpoſitus pro „familiaritate commemoravit; Se Cle„mentis VII. Pon. Max. juſſu de„moliendis lateritiis illis parietibus „præfuiſſe, cum marmoream cru„ſtam, quæ hodie cum omnium ad„miratione viſitur, ſubſtituere moli„retur; ac tum admirabundum repe„riſſe parietes illos, contra omnem „Architecturæ rationem a ſacro cubi„culo dimotos, neque tam vetuſta„te, quam arcano quodam conſilio „ruinoſos; ut ſatis appareret, Dei pa„rentem ad ſuſtendandam ſuam do„mum excludere hominum induſtriam „voluiſſe; quo divina vis inſignior „foret, ſi tectum longe antiquiſſi„mum ſine fundamentis ullove huma„no auxilio per tot ſæcula ſtaret.

Nobiliſſima, & antiquiſſima Anticiorum Recinetenſis familia alia duo præclariſſima monumenta exhibet. Primum quidem litteræ ſunt in membrana exaratæ Pauli Heremitæ vulgo a Sylva nuncupati, qui ſæpius cæleſtes flammas ſacro domicilio imminentes aſpexit, & hac ipſa de re ad Carolum Secundum Regem Neapolitanum datæ. Alterum, epiſtola a *Prioribus*, ut vocant, Recinetenſibus hoc de prodigio ad Bonifacium VIII. conſcripta. Hæc duo monumenta edita ſunt a Cl. Trombellio tom.6. *de vita & geſtis Mariæ Sanctiſſimæ* part. 2. diſſert. 24., qui etiam affert Hymnum valde antiquum in Terſactenſi templo a Minoritis cani ſolitum.

Ego ſcilicet iiſdem jure meo non utar? ea parvi pendere, ea negligere audeam? neque vero hæc ipſa iſtis objiciam atque opponam? Dicam equidem quod ſentio; Malo deſipere cum tot graviſsimis ac ſapientiſsimis viris, quorum placet auctoritati ſubſcribere, quam cum iſtis ſapere, qui nondum ex præſcripto Apoſtoli *ſapere ad ſobrietatem* norunt, &, niſi res ad demonſtrationem quandam adducantur, eas fere tanquam falſas & commentitias criminari ac reſpuere conſueverunt. Sed progrediamur ad reliqua.

XXII. Quid vero, ſi præterea hujuſmodi prodigium, de quo agimus, non ſemel & iterum, quod jam demonſtratum eſt, ſed etiam tertio per Legatos publicos fuerit exploratum? Quid, ſi non provinciarum & civitatum juſſu, ſed ipſius Romani imperio Pontificis; non per cives, quanquam honeſtiſſimos, ſed per lectiſſimos ex ipſa Pontificia familia viros; non remotiore ac vetuſtiore, ſed recentiore ac proximiore memoria? nonne quanta maxima adhiberi aliqua in re exploranda potuit, omnis hoc in negotio conſumpta fuiſſe diligentia judicabitur? Atqui Clemens VII. Pontifex Maximus, qui Lauretanam ædem impenſius coluit atque exornavit, quo certior tanto prodigio fides conciliaretur, quamvis ſatis ſuperque exploratum videri poſſet, tamen denuo explorandum exiſtimavit. Ergo tres ex omni Cubiculariorum ſuorum numero, expertæ in primis ac notæ probitatis, fidei, ac ſpectatiſſimæ prudentiæ viros ele-

elegit, eoſque primum Lauretum, deinde in Illyricum, tum ad extremum in Galilæam cum mandatis allegat; omnia inſpiciant, conſiderent, atque intentiore cura contemplentur. Quid hic ego toties eadem repetam? Fecerunt Legati Pontificii, quæ juſſi fuerant, ſuaque legatione eodem prorſus, quo Dalmatæ ac Picentes, felici ſucceſſu functi ſunt. Unum tantum ab iis novum veritatis indicium deprehenſum eſt, quod præteriri non debet. Duos Legati Pontificii ſecum attulerunt lapides, quibus Nazarethi ædes vulgo ædificari ſolent, qui cum illis, quibus Lauretana ædes ſtructa eſt, collati, omnino ſimillimi ac gemini reperti ſunt. Quo factum fuit, ut & miraculi fides novo documento roboraretur; & ſimul nova iſthæc legatio non fruſtra a Pontifice decreta videretur.

XXIII. Atque hoc deportatorum a Legatis Pontificiis lapidum indicium mihi quidem non contemnendum, ſed certiſſimum veritatis, quam propugno, argumentum exiſtimandum videtur, atque adeo illuſtre, ut oculis ipſis ſubjiciatur. Uſque adeo in re tam certa atque explorata verſamur, ut veritatem non tam ratione aſſequi, quam ſenſibus propemodum ipſis percipere poſſimus. Lauretana enim domus non cocto latere, ſed diſſecto lapide conſtructa eſt. Porro horum ipſa lapidum materies facile eos a reliquis, quibus noſtra ædificia conſtare ſolent, vel oculis ipſis judicium ferentibus, ſegregat atque diſcernit. Lapidicinæ autem, ex quibus hu-

hujuſmodi lapides excidantur, in Piceno nullæ ſunt; qua in provincia ſimiliter, atque tota Italia e coctis lateribus fere ædificia coagmentantur. Hic certe adverſarii non dicent, Picentes, quo certius dolum componerent, & fraudi aliquem veritatis colorem allinerent, a Palæſtina, aut ab alio remoto loco hujuſmodi lapides Lauretum uſque convectandos deportandoſque curaſſe.

XXIV. Nunc vero, cum tot eruta e tabulariis documenta protulerim, cum tres nobiliſſimas legationes decretas produxerim, cum factum hoc diligentiſſime examinatum a duabus Nationibus, & accuratiſsime inſpectum docuerim, cum ſummi auctoritate Pontificis exploratum & confirmatum oſtenderim, cum novum veritatis indicium poſtrema legatione Romam allatum manibus quodammodo veſtris contrectandum oculiſque inſpiciendum obtulerim, quid eſt, quod exſpectari præterea a me poſsit? Exſpectandum, credo, erit, dum perinde agam de re vetere, ac de recenti. Dura ſane ac plane iniqua conditio. Sed tamen, quo me magis adverſariis dedam, ad hanc ipſam conditionem veniam. Quid igitur? ſi de hoc facto teſtem non vetuſtum, ſed recentem; quid? ſi recentiſſimum; quid? ſi mihi ipſi cognitum; quid? ſi contubernalem; quid denique? ſi omni exceptione majorem citare poſſim. Poteritne quidquam amplius a me exſpectari, deſiderari a vobis, poſtulari ab adverſariis? Non opinor. At hoc eſt difficile. Video. At ne jure quidem id poſtulari poteſt. Arbitror. Sed ta-

tamen, quemadmodum dixi, ad propoſitam conditionem veniam, & hujuſmodi teſtem dabo atque producam. Quid? quis hic eſt? ubi eſt? unde eſt? Adeſt, præſto eſt, a Palæſtina, ab ipſo Nazaretho. Is eſt Archiepiſcopus Edenſis, vir doctrina, moribus, dignitate ſpectatiſsimus, qui pene omnia, quæ hactenus perſecuti ſumus, non auritus, ſed oculatus teſtis diſertiſsime planiſsimeque confirmat. Recita teſtimonium Archiepiſcopi Edenſis. TESTIMONIUM ARCHIEPISCOPI EDENSIS. (*a*)

XXV. Animadvertiſtis religionem gravitatemque teſtimonii? Sancte affirmat, *tacto pectore, more ſacerdotali*, Archiepiſcopus Edenſis cum eſset, an.cIↃ.IↃ.c.xc. ſæpius religionis ergo Nazarethum adiſse, ſe contuliſſe ad locum,

(*a*) „ Io ſottoſcritto, *tacto pectore, more ſacerdotali*, atteſto ed affermo, qualmente eſſendo ſtato nell'anno 1690. Arciveſcovo di Eden, più volte per mia divozione viſitai il ſito, ove era ſituata la Caſa della Beatiſſima Vergine nella Città di Nazaret, e vidi le ſue fondamenta fabricate d'alcune pietre vive, che ſi trovano in quelle parti; avendo poi rinunziato all'Arciveſcovato nell'anno 1714. mi ritirai in Roma, e colla diſpenſa della felice memoria di Clemente XI., profeſſai nella Compagnia di Gesù; avendo pertanto inteſo da certi, che la ſanta Caſa di Loreto era fabricata di mattoni, nacque in me non piccol ſoſpetto, che la detta Caſa foſſe quella medeſima, le fondamenta della quale aveva veduto in Nazaret; ma eſſendo l'anno 1731. ai 30. di Settembre in Loreto a viſitar quel Santiſſimo Santuario, compreſi di ſicuro non eſſer mattoni quelle pietre della S. Caſa di Loreto, ma pietre vive: e di più affermo eſſer la detta Caſa di Loreto della medeſima miſura delle fondamenta, che ſi vedono in quelle parti. In fede di ciò queſto dì 30. Settembre 1732. *Giorgio Beniamino della Compagnia di Gesù, olim Arciveſcovo di Eden*. „

ubi *virginalis domus exſtabant fundamenta*, obſervaſse ea *conſtare vivo lapide*, qui illis in partibus reperitur. Addit, abdicato Archiepiſcopatu in Italiam ſe recepiſse; cum autem Lauretanam domum coctis fabrefactam lateribus audiſset, vehementer commotum dubitaſse ſe, an ea domus re ipſa eſset, quæ ferebatur; veniſse Lauretum anno cIↄ.Iↄ.cc.xxxi. prid.kal.Octob., comperiſse ſacram domum non cocto latere, ſed *vivo lapide exſtructam*, quæ res omnem dubitationem abſterſit; animadvertiſse præterea Lauretanæ ædis *modum cum fundamentorum a ſe Nazarethi inſpectorum menſura* plane atque omnino convenire. An quidquam certius, teſtatius, manifeſtius hac de re afferri poſsit, ego ſane non video, neque videre vos arbitror; prorſus ut divino conſilio tam locuples, tam gravis, tam religioſus ac veridicus teſtis ad hæc ipſa tempora ad edomandam intemperantium noſtri temporis Criticorum pertinaciam reſervatus fuiſse videatur.

XXVI. Jam vero, ut eo denuo redeamus; iterum iſtos interrogemus. Quid ad hæc iſti reponunt? quid dicunt? quid cogitant, aut ſentiunt? aut potius quid nos de iis dicere, quid cogitare ac ſentire debemus? Quid eſt, quamobrem taceant, tergiverſentur, & ſe tot teſtimoniis plane victos convictoſque non fateantur? Quid? ne his quidem teſtibus credent? Non igitur credent Legatis Terſactenſibus, non Picentibus, non Cubiculariis Pontificiis, non tot graviſſimis viris fide, religio-

ligione, probitate, ſapientia, virtute ſpectatiſſimis, non huic poſtremo a nobis allato teſti, oculato, recentiſſimo, graviſsimo, fide digniſſimo? Quid igitur credent, cui credent? Etenim ſi nihil credere, ſi nemini credere in animum induxerunt; quid eſt, cur hoc ipſum de ſe palam atque aperte non profiteantur? Tunc enim vero loco cedam atque abibo, neque diutius pergam operam perdere, & in iis revincendis tempus, ſpiritum, vires, contentionemque conſumere. Quod ſi omnino increduli nec eſſe, nec videri volunt, & ea credere omnino debent, quæ idoneis teſtibus confirmantur, quid eſt, quod credere debeant, ſi hoc non credunt? quid, quod planum fieri poſſit, ſi hoc non fit? quibus indiciis ad veritatis caput perveniri poterit, ſi hæc via penitus obſtruatur? quibus argumentis hiſtoricum aliquod factum doceri, ſi publicorum Legatorum auctoritatem, religionem, jusjurandum aſpernemur; ſi duarum nobiliſſimarum Nationum conſenſum repudiemus; ſi denique ſanctiſſimi Præſulis locupletiſſimum recentiſſimumque teſtimonium negligamus.

XXVII. Hic ego clamo, poſtulo, obſecro, oro, ploro, atque imploro veſtram fidem, Florentini, non in re minima ac levi, ſed ſummi graviſsimique momenti. Advertite, cognoſcite, animadvertite. Nolo vos huic cauſæ nimio opere addictos, nolo fautores meos, nolo Deiparæ perſtudioſos; volo cenſores rigidiſsimos, volo judices acerrimos; volo, vos putetis nunc, non in con-

cione adeſſe, ut me ſingulari, quod facitis, humanitate audiatis; ſed, quod jam inde ab initio conſtitutum fuit, in curia pro tribunali ſedere, ut de tanta re cognoſcatis & judicetis. Nonne, quandoquidem res hæc in judicium allata eſt, & vos huic quæſtioni præpoſiti eſtis, hos homines graviſsimis verbis caſtigare, redarguere oportet, & acerrime reprehendere? Quæ malum! tanta pervicacia, ut propter quandam *incredibilitatis* ſpeciem, quam hoc prodigium præſefert, prodigium ipſum tam acri cura inveſtigatum, tot argumentis confirmatum, tot teſtimoniis demonſtratum negare audeant? Quid jam reliquum iſtis eſt, niſi ut Divinam ipſam Omnipotentiam circumſcribant, & quod iſtis credibile non videatur, id fieri a Deo poſſe inficientur; contra atque cæleſtis Nuncius hac ipſa in domo diſerte affirmavit; *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*; & celeberrima ac teſtatiſsima, hoc ipſo in genere Gregorii cognomento *Taumaturgi* perpetrata prodigia confirmant.

XXVIII. Nam per Deum immortalem! ut, quos hactenus produximus, teſtes amoveantur; *Si in ore duorum, aut trium teſtium ſtabit omne verbum*, ubi hoc ipſum *verbum*, verbum, inquam, veritatis *ſtare*? ubi reſidere? ubi inveniri poſſe cenſebimus? ſi ejus in hoc facto deſperanda inventio ſit. Tres huc Nationes, quarum hac in re maxima eſſe debet auctoritas, tres, inquam, Nationes tam moribus, quam regionibus disjunctiſſimæ, incolæ Palæſtini, Dalmatæ, Itali quodammodo con-

conveniunt; uno ore idem affirmant, nulla in re diſcrepant, mire conſentiunt. Quam domum poſsidere ſe Italus dicit, apud ſe tum incola Palæſtinus, tum Dalmata exſtitiſse olim confirmat. Inanem aream etiamnum demonſtrat incola Palæſtinus, inanem nunc etiam oſtendit Dalmata. Quid hoc rei ſit, quid evenerit, utrique ne rogati quidem advenas ac peregrinos docent; ut hic neque tabularia, neque veteres chartas reliquiaſque blattarum requirere magnopere debeamus. Præterea ſacræ Domus migrationis notatur tempus, notatur annus, menſis, dies; loca ſtationum demonſtrantur; intervalla diſtinguuntur. Quid vero? cum in certamen ſummi honoris ventum eſset, tametſi certare ſtudiis inter ſe æmulas Nationes oporteret, nec aliam alii præferri facile pati, contra tamen atque uſuvenire ſolet, & humani faſtus natura ferat, hæ, quas dico, Nationes non ſolum ſecum non diſſentiunt, ſed mirifice conſentiunt. Nullam hac in re partem ſibi vindicavit contentio, nullam uſurpavit invidia; quod diſſimulandum certe erat, ultro Palæſtini & Dalmatæ præſeferunt, aperte & ſincere fatentur. Quid denique? cum eo res adducta foret, ut aut dirimi, quæ excitata inter utraſque Nationes controverſia, aut tolli, quæ ſuborta videri ſimultas poterat, deberet; quid agunt? quemadmodum ſe gerunt? Num litem intentant? intercedunt? prælato honori invident? Nihil horum; immo vero ultro cedunt, ſponte ſuccumbunt Italiæ, eique palmam in re tanti momenti

tantiſque religionibus conſecrata volenti libentique animo deferunt. Uſque adeo veritatis vis in hominum animis dominatur, ut, niſi ſumma judicii ac voluntatis perverſitas obſtet, aut præjudicata opinio prævaleat, non ſolum a non repugnantibus obtineat, ſed vel ab invitis aſſenſum extorqueat. Hæc autem omnia, ſi iſtos audias, tempori accomodata, perperam excogitata, confiċta, falſa; ad minus inepta, incerta, dubia, ſuſpicioſa; nihil ſeparatim, nihil conjunctim evincunt, nihil probant. Quid dicam? neſcio. quid amplius addam? ignoro.

XXIX. Atque hic, ne quid diſsimulem, mihi videmini, Florentini, vos hærere dubii, & cum animis veſtris reputare, quid de iſtis ſentiendum, quid judicandum exiſtimetis. Video ex una parte vos de fide mea non dubitare; ex altera vero adduci non poſſe, ut iſtos tam effuſæ intemperantiæ credatis, ut a nobis hac in re diſſentire ſuſtineant, niſi ad hoc ipſum certiſſimis ſint argumentis adacti & prope demonſtrationibus compulſi. Recte id quidem; & ego ipſe propemodum, niſi experientia edoctus iſtorum ingenium jam noſsem, vobis aſsentirer. Etenim rationes, quibus ad negandum tam illuſtre factum adducuntur, ſane evidentes eſse neceſse eſt, quippe quæ in optimarum conjecturarum & locupletiſſimorum teſtimoniorum contentionem venire debeant. Quare video, hunc a me locum minime eſse negligendum, ſed omni, qua fieri poteſt, cura diligentiaque tractandum. Reficite vos ad

ea,

ea, quæ reſtant, Florentini, & benevolentiæ veſtræ aura orationem meam ad exitum uſque provehite. Ego levioribus omiſsis rationibus, eas potiſsimum in medium afferam, in quibus iſti ſe jactant, quas nobis opponunt, quas certiſsimas atque invictiſsimas prædicant.

XXX. Ajunt igitur ſe Antonini & Vincentii, quo minus tanti prodigii veritatem affirment, auctoritate impediri. Equidem, ut, quod in memet expertus fui, libere expromam, vix ab iſtis auctoritatis uſurpari nomen audivi, ipſo auctoritatis vocabulo vehementer perculſus ſum. Quid? iſti auctoritatis mentionem facere audent? Miror ſane. Etenim qua fronte? quo ore auctoritatem appellant, quam ſæpe in ſuis ſcriptis ejurare non dubitant? Hic vero quid ego agam? cum iſti nullam inconſtantiæ notam detrectent, & nunc ad eam, a qua plerumque refugere ſolent, auctoritatem confugiant. Nam, vel ſtandum eſse auctoritati volunt, vel non; ſi volunt, cur ea, quæ contra communem auctorum omnium recte ac moderate ſentientium opinionem perperam comminiſcuntur, ipſi non damnant? ſi ſecus, cur illud a me flagitant, quod ego ab iis obtinere non poſsim? Sed ſtemus auctoritati, quandoquidem ita volunt, atque ego non repugno; immo vero huic maxime ſtandum eſse contendo. Verum, ecquid aliud hactenus egi? in quo hactenus laboravi, omneſque & induſtriæ, & animi, & ingenii mei nervos intendi, niſi in eo, ut iſtos ad unam ferme aucto-

ctoritatem provocarem, una ferme auctoritate revincerem? Parumne idoneos vobis hujuſce facti auctores iſtis attuliſse videor, qui tres nobiliſsimas legationes decretas, qui graviſsima mandata Legatis data, qui jurata Legatorum ipſorum teſtimonia protulerim? qui eo uſque progreſsus ſim, ut in re vetere, recentiſsimum teſtem dederim atque produxerim? Etenim ubinam reſidebit auctoritas, ſi hanc a Legatis publicis, a graviſsimis teſtibus, ab honeſtiſsimis viris abeſse exiſtimabimus?

XXXI. Verum age, quid Antoninus dicat, qui primus objectus fuit, ſine cunctatione audiamus. Codex proferatur, recitentur verba, Antonini ſententia clare & perſpicua voce ſic, ut omnes, quotquot adſunt, exaudiant, pronuncientur. Quid? hærent, hæſitant, tergiverſantur. Non eſt cur declinent, cur ſubterfugium aliquod quærant. Cedo codicem, cedo verba, cedo expreſſam Antonini ſententiam; ad auctoritatem me ipſi provocarunt, auctoritati ſtandum eſſe confirmo. Miſerum me! quæ verba requiro, quem codicem flagito, quam ſententiam poſtulo? Verba, quæ hanc Antonini ſententiam declarent, nulla ſunt; Antoninus hac de re nullam ſuis in operibus mentionem fecit. Cur igitur mihi Antonini auctoritatem objiciunt, qui hoc de prodigio ne litteram quidem ullam ſcriptam reliquit? Quid hoc eſt? Illudimurne ab iſtis, an ſerio res agitur?

Sed

XXXII. Sed video quid dicant; Antoninum quidem ajunt, verbum hoc ſuper prodigio feciſſe nullum, ſed ob hanc ipſam cauſam negandi prodigii ipſis fuiſſe auctorem. O rem novam atque inauditam, & ipſo prodigio, quo de agimus, pene admirabiliorem! Quid? egone, propter unius vel ſanctiſſimi doctiſſimique viri ſilentium, tot juratorum teſtium ſanctiſſimas graviſſimaſque voces repudiabo? Taceat, per me licet, Antoninus; ſed eo tacente, clamant Legati publici, clamant Legati Pontificii, clamant Dalmatæ, clamant Picentes, duæ nobiliſſimæ provinciæ ac Nationes clamant, & prodigii veritatem affirmant; res ipſa clamat, quæ, niſi vera eſſet & teſtatiſſima, nullo modo perſuaderi potuiſſet. Hac ego tanta auctoritate confirmatus loco moveri potero? Unius aut alterius ſcriptoris ſilentium tot vocibus, tot clamoribus, ac propemodum vociferationibus, quæ undique circumſonant, anteferendum putabo?

XXXIII. Sed ne eludere videar argumenti vim, Antonini ſilentium expendamus. Siluit hac de re Antoninus. Eſto. Sed in primis mirari ſubit, cur tanti auctoritatem Antonini faciant. Non hoc ego dico, quo Antonini auctoritatem plurimi faciendam non eſſe exiſtimem; ſed miror iſtos, qui Antoninum, tanquam nimis credulum, nec recentis artis criticæ diſciplina inſtitutum, deſpicere ſolent atque contemnere, nunc tantopere ejuſdem teſtimonium, tantis vocibus, ac prope convicio a nobis requirant. Conſtantiam ab iſtis flagito, & meo jure flagito.

gito. Si multa ea de cauſa, quia ab Antonino non ſatis per iſtos artem criticam edocto ſcripta ſunt, repudiant, quid eſt? quod hac ſuper re verba Antonini requirant; perinde quaſi, ſi Antoninus locutus eſſet, ipſi Antonino credidiſſent. Suis ipſorum Criticæ regulis implicentur iſti neceſſe eſt. Etenim ſi Antonini loquentis per iſtos non valeret auctoritas, multo certe minus valere debet tacentis. Nam ſi verba auctoritate deſtituuntur, quæ ineſſe auctoritas ſilentio erit exiſtimanda? Quid hoc eſt? Antoninus loquitur; de repente iſti irrumpunt, & clamant; cave credas, cave ejus dictis fidem adjungas. Antoninus ſilet; iidem continuo proſiliunt; adigunt & compellunt credere. Quid, inquam, hoc eſt? quam abſurdum! quam inconveniens! Ego ſcilicet per iſtos Antonino loquenti non credam, ſilenti credam? Neutram igitur in partem valeat Antonini auctoritas, & ſive taceat, ſive loquatur ejus teſtimonium nullum ſit.

XXXIV. Verum maneat, uti decet, ſanctiſſimi & doctiſsimi viri auctoritas, &, vel iſtis invitis ac repugnantibus, qui illam labefactare contendunt, me defendente ac reclamante, inconcuſſa maneat. Dico igitur, Antoninum, qui multos poſt annos ab hoc patrato prodigio ſcripſit, illud exiſtimare potuiſſe ſupervacaneum eſſe mandare litteris, quod fama jam pervulgatum fuiſſet. Dico, illo ſæculo, quo Antoninus ſcripſit, Italiam Guelforum ac Ghibellinorum factionibus fuiſſe diſtractam, ut propterea certus hac de re in Etruriam

riam rumor pervenire non potuerit. Incidit enim hoc prodigium in ſummam perturbationem temporum,ut mirandum non ſit tanti prodigii famam ſe primis illis temporibus unius ferme Piceni finibus continuiſſe.Dico denique, ad Antoninum non pertinuiſſe hoc de prodigio ſcribere, neque id eſſe ab eo poſtulandum, qui totos centum quinquaginta annos ab ipſo patrato prodigio floruit; ut ſane mirari ſubeat quid ſit, quamobrem iſti ejus tantopere a nobis teſtimonium flagitent; quod quidem ego ſummæ, qua laborant, inopiæ argumentorum adſcribendum puto.

XXXV. At credibile non eſt, Antoninum, qui multa admirabilia narravit, nos de tanto celare voluiſſe miraculo. Audio. Multa quidem narravit; ſed non omnia; quî probatur omnia collegiſſe, omnia narraſſe, nihil prætermiſiſſe (*a*)? Euſebius (*b*) certe,quod jam cum de

(*a*) Quod Sanctus Antoninus in ſuo Chronicorum opere non omnia mirabilia colligere in animo habuerit ipſe declarat ſub finem libri quàrti Summæ Confeſſariorum his verbis; „Demum de ſcientia actum eſt, cui „additur magnum opus diſtinctum „propter ſui longitudinem in tria vo„lumina, *non præciſe Hiſtoriarum*, „ſed & multorum aliorum de Scri„pturis ſanctis, & dictis notabilium „Sanctorum, ſed & aliorum Genti„lium. Hactenus Antoninus de ſuo opere.

Opportune hic Guido Grandius relatus a Trombellio. „Cum vero,*inquit*, „& paucis poſt annis de Sacræ Domus in „Italiam adventu monumenta regio„nis illius, in qua ſtationem poſuit, „indubitata occurrant, & ipſo S. An„tonino pene ſeſquiſæculo vetuſtiora, „ad quem nemo prudens pertinuiſſe „dixerit de re tum vulgatiſſima ex„preſſum teſtimonium ſuis hiſtoriis „inſerere; hinc temere abuti ejus ſi„lentio contradictores, ad Lauretani „ſacelli veritatem impugnandam, ma„nifeſtum eſt.

(*b*) Legendus Card. Urſius Hiſt. Eccl. tom. 5. lib. 12. num. 59., ubi ſic legitur. „Il ſilentio di Euſebio nella Vita di Coſtantino è paruto ad

de negante argumento egimus, animadvertimus, Euſebius, inquam, qui Conſtantini, cujus ætate floruit, vitam accurate ſcripſit, prodigia illa, quandoquidem de prodigiis agimus, quæ luculenta in primis atque illuſtria in ſalutiferæ Crucis, ſtudioſe ab Helena Conſtantini matre conquiſitæ & repertæ, ipſa inventione patrata ſunt, prorſus omiſit, & eo loco omiſit, quo in hiſtoria ſua eorum meminiſſe omnino debuiſſet; ut etiam mirari deſinamus, ſi idem Euſebius nullam de Nazarena domo, atque eleganti ab Helena Auguſta illi, ut tradit Nicephorus, circumdato templo mentionem fecerit. Jam vero, continuone falſa prodigia illa judicabuntur, quæ conſequentium ſcriptorum auctoritate confirmantur? Poteſt igitur accidere, ut gravis auctor, accuratus & diligens, quædam etiam illuſtria & ſingularia prætereat, & quamvis locus ipſe auctorem quodammodo admoneat, ut hoc vel illud inſigne factum minime reticeat; tamen, quacumque de cauſa id evenire poſſit, fiat, ut illud ipſum inſigne ac ſingulare factum ab eodem reti-

cea-

ad alcuni Eretici un ſufficiente argomento non ſolo per non preſtare alcuna fede a' mentovati miracoli, benchè atteſtati da graviſſimi Autori, de' quali alcuni fiorirono in quel medeſimo ſecolo; ma altresì per negare tutta l'iſtoria dell' Invenzione della Croce. Ma qual conto ſi debba fare dell' argomento, come dicono, negativo contra le poſitive teſtimonianze, ſe ne ha una belliſſima prova in queſto medeſimo fatto. Conciosſiachè ciò, che Euſebio non ha ricordato in quella opera, lo ha chiaramente accennato in un'altra, venuta da non gran tempo alla luce; onde ſi può raccogliere, che talora le coſe anche più grandi ed illuſtri ſono ſtate omeſſe dagli Scrittori, eziandio in que' luoghi, ove pareva, che doveſſero averne fatta menzione.

ceatur. Quod Euſebio contigit, id ſimiliter contingere potuit Antonino. Non video, quid in ſimili re diſſimile afferri poſsit, niſi noſtri forte prodigii magnitudo; ſed magna quoque prodigia erant, quæ Euſebius prætermiſit, quorum ſi magnitudo Euſebium non perculit, potuit ſimiliter magnitudo noſtri non percellere Antoninum, præſertim cum hunc neque locus, neque tempus, ut Euſebium, admonerent.

XXXVI. At Euſebius ea ipſa prodigia alio in opere, quod diu latuit, & poſtea in lucem prodiit, indicavit. Eſto; ſed non eo loco, quo maxime debuit; præterea non diſerte, quod oportuit, eſt perſecutus. Quid vero, ſi opus illud nunquam lucem aſpexiſſet, ſi in tenebris adhuc deliteſceret? Ab adverſariis objiceretur ſilentium Euſebii, in hoc ſe jactarent, clamarent, vociferarentur, & nos ob unius ſcriptoris ſilentium prope ſtentoreis iſtorum vocibus obrueremur. Sed tamen Euſebius, qui rem tacuiſſe affirmaretur, minime re ipſa; ut poſtea emergente codice, atque inſperato in conſpectum ſe dante patuit, tacuiſset. Euſebius igitur locutus erat, & illa prodigia ſaltem indicarat; quod quid prohibet, quo minus nos idem de Antonino & ſentiamus, & affirmemus? Hic porro videtis, opinor, Florentini, quantum hujus generis argumento, quod *negativum* appellant, fidendum ſit, quam ſit fallax, quam dubium, quam incertum; de quo, cum multa ſuo loco dixerim, hic addere plura ſuperſedeo.

Alter

XXXVII. Alter nobis opponitur Vincentius. Mitto dicere, hunc quoque non ea, qua iſti, diſciplina inſtitutum fuiſſe, & illis vixiſſe temporibus, quibus nova recentis hujus artis criticæ lux, quæ ſola ignorantiæ tenebras diſpulit, nondum affulſerat; ſed tamen nobis objicitur Vincentius, cujus auctoritatem declinare nec poſſumus, nec debemus. Non eſt, cur hoc loco, ut paullo ante, cum de Antonino diximus, iſtos ad proferendum codicem, ad recitanda verba provocem. Egomet novi locum, teneo verba, ipſe recitabo. *Quolibet die*, inquit in concione quadam de Aſſumptione B. M., *quolibet die poteſtis ire in Nazarethum ad cameram, ubi Filius Dei incarnatus fuit*. Igitur, reponunt, Vincentius diſerte affirmat Lauretanam domum Nazarethi exſtitiſſe eo tempore, quo nos translatam jam in Italiam fuiſſe contendimus. Bene eſt. Amplector primum Vincentii ſententiam, veneror auctoritatem. Non enim Nazarethum auditores Vincentius allegaſſet ſuos, niſi tunc Nazarethi Lauretana domus, aut exſtitiſſet, aut ipſe ſaltem eam ibi exſtare cenſuiſſet. At hic quoque ab adverſariis requiro conſtantiam. Nam quomodo pro ſe tantam afferre auctoritatem poſſunt, qui ſacram ædem jam inde a vetuſtiſſimis temporibus exciſam, ac prorſus dirutam volunt? quandoquidem per ipſos nullam neque Hieronymus, neque Euſebius de ea mentionem faciunt. Quam igitur nunc domum ſomniant? quam *cameram* fabulantur? quam ædem mihi

hi opponunt ? ſi eo tempore neque domus , neque ædes , neque *camera* Deiparæ Nazarethi per ipſos exſtabat ulla .

XXXVIII. At Vincentii valere debet auctoritas . Valeat , per me licet , non contradico , non repugno ; immo vero libenter aſſentior . Sed valeat , etiam , iſtis vel contradicentibus ac repugnantibus , Ven. Bedæ (*a*) auctoritas, qui memoriæ prodidit, Nazarethi alteram Eccleſiam exſtare *in loco* , *quo Angelus ad Beatam Mariam evangelizaturus intravit* ; quæ quidem Eccleſia , nequidquam oblatrante contra Baronium Caſaubono , & domus & Eccleſia eſse poterat ; Eccleſia , inquam , ſacro ritu conſecrata , quin domus formam amiſerit , atque adeo domus eſse deſierit . Valeat Nicephori, (*b*) qui ſcriptum reliquit , Helenam Auguſtam Virginalem domum eleganti concluſiſſe templo . Valeat Scriptoris (*c*)

(*a*) Ven. Beda de nominibus locorum , vel civitatum , quæ leguntur in libro Actuum Apoſtolorum , lit.N. „ Nazareth , *inquit* , viculus in „ Galilæa juxta montem Tabor , un„ de & Dominus noſter Jeſus Chriſtus „ eſt Nazaræus vocatus , habetque Ec„ cleſiam *in locc* , *quo Angelus ad Bea„ tam Mariam evangelizaturus intra„ vit* , „ Huc uſque Beda . Hanc auctoritatem nequidquam convellere conatus eſt contra Baronium Iſaacus Caſaubonus . Partes Baronii ſuſceperunt Ven. Caniſius de Deip. lib. 5., & Turrianus in Reſponſione Apolog. adverſus eundem Caſaubonum.

(*b*) Nicephorus Calliſtus lib 8.Hiſt. Eccl. cap. 30. „ Nazareth , *inquit* , „ pervenit [*Helena*] , &c , ſalutationis „ Angelicæ domo reperta, Dei Genitrici „ peramœnum excitavit templum . „

(*c*) Acta SS. Ord. S. Benedicti Sæc. 3. part. 2. in Vita S. Wilibaldi Epiſcopi Eiſtetenſis , qui Loca Sancta viſitaſſe dicitur anno 786. parag. 16. pag. 374. hæc habent . „ Orantes „ ambulabant in Galilæam *in illum „ locum* , *ubi Gabriel primum venit „ ad Mariam* , ubi eſt nunc Eccleſia . . „ illam Eccleſiam Chriſtiani homines „ ſæpe comparabant a Paganis , quan„ do illi eam volebant deſtruere .

vitæ S. Vilibaldi Epiſcopi Eiſtetenſis, qui ad loca ſancta octavo ſæculo veniſſe dicitur, & *ambulaſſe in Galilæam in locum, ubi Gabriel primum venit ad Mariam*; quo in loco exſtabat Eccleſia, quam Chriſtiani a *Paganis* illam exturbare volentibus perſoluto pretio *ſæpe* redimebant; quod non feciſſent, niſi eos ſumma loci religio compuliſſet. Valeat Scriptoris (*a*) item Vitæ S. Ludovici Galliarum Regis, qui narrat, Regem Sanctiſſimum, in Palæſtina cum degeret, Nazarethum veniſſe, *pium locum Incarnationis intraſſe*, ibique Euchariſtica dape fuiſſe refectum. Valeant igitur omnes iſtæ auctoritates, quæ hanc, quam defendo, cauſam non parum certe confirmant, & ſacram ædem ad id uſque tempus, quo in Italiam translata fuit, perſtitiſſe in Galilæa evincunt. Sed

(*a*) Non eſt, meo quidem judicio, contemnendum documentum, quod eruitur ex *Vita, & S. Converſatione piæ me. Ludovici IX. Regis Francorum per Fr. Gaufridum de Belloloco O. P. ejus Confeſſorem*, ex Codice ms. FFr. Prædd. Conventus Ebroicenſis, Tomo 5. Scriptorum Hiſtoriæ Francorum cap. 22., ubi hæc leguntur. „ In vigilia Annunciationis Dominicæ Rex „ deſcendit in Nazareth. Cum autem „ a longe locum ſanctum videret, de„ſcendens de equo, flexis genibus de„votiſſime adoravit, & ſic pedes in„ceſſit, donec humiliter Civitatem ſa„cram, & *pium locum Incarnationis* „ *intravit* . . . Quam devote ibidem „ ſe habuerit, quam ſolemniter, & „ glorioſe fecerit celebrari Veſperas, Ma„tutinas, Miſſam, & cætera, quæ ad „ ſolemnitatem tam celebrem pertine„bant, teſtes eſſe poſſunt, qui affue„runt; quod, *poſtquam Filius Dei in* „ *eodem loco de glorioſa Virgine car*„*nem aſſumpſit*, nunquam tam ſo„lemne, tamque devotum Officium „ fuerit ibi factum. Ibidem devotus „ Rex, Miſſa in altari Annunciatio„nis celebrata, ſacram communio„nem accepit. „ Hujus auctoritatem loci confirmat vetus pictura in pariete Lauretanæ Domus expreſſa, quæ S. Ludovici effigiem exhibet, & cujus veſtigia etſi evaneſcentia, non tamen omnino deleta ad hanc uſque diem cernuntur. Hujus picturæ exemplar videre eſt in Ichonographia Lauretanæ domus apud Martorellium.

XXXIX. Sed ne hic quoque argumenti vim declinare videar ac ſubterfugere, accedam propius, & nihil, quod adverſariis faveat, elici ex Vincentii verbis poſſe oſtendam. Quî igitur potuit, ſi in Italia jam conſederat Lauretana ædes, ad Nazarenam peregrinationem adhortari auditores Vincentius ſuos? Potuit, Florentini, iterum dico, potuit. Potuit enim implicata ſchiſmate Hiſpania tantum prodigium Vincentius ignorare. Potuit longinquitate locorum, quod in Italia contigerat, homo Hiſpanus neſcire; primis enim illis temporibus tanti prodigii fama, uti diximus, unius ferme provinciæ fines non eſt prætergreſſa. Potuit denique Orator oratorio modo loqui, & non Oratoribus ſolum, ſed vulgo etiam ipſi uſitato. Qui Romæ fuit, hoc a me vere dici non ignorat. Quoties enim ad Conſtantinianam in agro Seſſoriano Baſilicam itur, toties ad Sanctam Crucem in Hieruſalem iri vulgo dicitur. Cur non eodem loqui potuit Vincentius modo? Ego ſane, cum Lauretum me contuli, Nazarethum ipſum adire mihi viſus ſum. Nam quid erat Nazarethi, de quo illud, ut ſacræ Litteræ tradunt, Nathanael pronunciavit; *a Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* quid, inquam, erat boni, quamobrem Nazarethum, hac una excepta ſacratiſſima domo, a peregrinis viſendum eſſet; hac translata in Italiam, Nazarethum ipſum, & quidquid ibidem boni erat translatum aliqua vera ratione dici potuit. Quare ſi hoc modo locutus eſt Vincentius, non incondite, non in-

inconcinne, ſed eleganter dici poteſt & vere locutus.

XL. Præterquamquod non admodum clare ſententiam videtur Vincentius enunciaſſe ſuam. Quid enim illa verba ſibi volunt? *Quolibet die poteſtis ire in Nazarethum*, perinde quaſi paucula conficienda eſſent Nazarethum uſque milliaria? Nonne, ut patet, interpretatione indigent? quibus quandoquidem interpretatio eſt adhibenda, quid prohibet, cur nos ea eam in partem interpretemur, quæ nobis faveat, & affirmemus, Vincentium aut ignoraſſe Nazarenæ ædis in Italiam adventum, aut de Laureto perinde ac de Nazaretho locutum eſſe, aut piæ aliquod peregrinationis votum auditoribus ſuis ſive Nazarethum, ſive Lauretum ſuaſiſse, aut etiam mendum aliquod ſententiæ ſanctiſsimi viri irrepſiſse, quæ fideliter exſcripta non fuerit, ut propterea neceſſario ſit declaranda.

XLI. Quanquam quid eſt, cur diutius & in unius Scriptoris ſilentio, & in alterius interpretatione immoremur? perinde quaſi veterum auctorum, qui de Lauretana æde in Italia jam conſtituta mentionem faciant, inopia laboraremus. Sunt, ſunt, inquam, Scriptores, qui clare, qui diſerte hoc de prodigio locuti interpretatione non indigent, atque ii quidem & nobiliſſimi & antiquiſſimi, quorum auctoritates, quandoquidem in hac cauſa, contra atque in aliis iſti ſoleant, auctoritatibus delectantur, afferam. De Lauretana domo honorificentiſſimum exſtat teſtimonium apud Flavium Blondum, virum ex Pon-

Pontificia Eugenii IV. familia doctiſſimum (*a*), &, quod præcipuum eſt, Antonino & Vincentio ferme æqualem. De eadem domo Leander Albertus (*b*) meminit ex eadem, qua Antoninus atque Vincentius, illuſtri *Prædicatorum* familia. Luculentam Lauretanæ ædis Hiſtoriam conſcripſit Jo. Baptiſta Mantuanus (*c*) vir doctiſſimus & Poe-

(*a*) Flavius Blondus Eugenii IV. *Secretarius* fuit, & de Lauretanæ Domus translatione egregium teſtimonium dedit in ſua, quam inſcripſit, *Italia illuſtrata*, Regione quinta.

(*b*) De Leandro Alberto vide Turſellinum lib. 2. cap. 28.

(*c*) Joannes Baptiſta Mantuanus ex ſacro Carmeli Ordine, vir doctiſſimus & Poeta nobilis, Hiſtoriam Lauretanam contexuit, & Cardinali Roboreo nuncupavit. Verba præſtantiſſimi Hiſtorici hæc ſunt; „ B. Virginis Lauretanæ venerabilis ac toto „ terrarum orbe celebratiſſimus locus, „ in quo manifeſtis, ac evidentibus „ miraculis quotidie divina virtus effulget, procul dubio in primis debet a „ cunctis fidelibus honorari; conſtat „ enim Sacellum illud ſacratiſſimum „ B. Dei Genitricis Mariæ, Cælorum „ Reginæ, Angelorum Dominæ, militantis Eccleſiæ Patronæ, peccatorum „ Advocatæ, fuiſſe cubiculum, in quo „ ipſa nata, & in gremio ac ſinu Annæ Matronæ Sanctiſſimæ dulciter educata, in quo ab Angelo ſalutata, „ in quo denique noſtræ ſalutis Ductor „ fuit enutritus. „ Hæc eadem eleganti carmine perſequitur lib. 5. *Agelariorum*. Quæ quidem omnia a ſe ex vetuſtiori monumento fuiſſe deſumpta confirmat.

Idem Joannes Baptiſta Mantuanus relatus a Turſellino lib. 2. cap. 6. egregium aliud ædi Lauretanæ teſtimonium dedit. „ Cum nuper, *inquit*, „ veniſſem ad ſacratiſſimæ Virginis Mariæ ſanctum domicilium; vidiſſemque, qualia & quanta Deus oſtendit „ in eo loco miracula, & ſuæ virtutis „ atque clementiæ ſigna manifeſtiſſima; „ me ſubito horror invaſit, & viſus „ ſum audire vocem Domini loquentis ad Moſen; *Non appropinques „ huc, ſolve calceamentum de pedibus „ tuis, locus enim, in quo ſtas, terrâ „ ſancta eſt*. Inde præfatus, legiſſe ſe „ in templo Lauretano tabulam parieti affixam, ſitu & carie corroſam, „ in qua unde & quonam pacto locus ille tantam ſibi vendicaſſet auctoritatem, conſcripta erat hiſtoria, „ hæc, inquam, præfatus adjecit. Hiſtoria igitur in tabella continebatur ejuſmodi; *Templum B. Dei Genitricis „ Lauretanæ quondam ipſius Virginis „ cubiculum fuit, in quo nata, nutrita, ab Angelo Gabriele ſalutata, „ & Spiritu Sancto fuit obumbrata*.

ta nobilis, quam Cardinali Roboreò nuncupavit. Si unus civis veſter, Florentini, ſiluit Antoninus, unius ſilentium Matthæus Villanus (*a*) civis item veſter, vir cl. & Hiſtoricus celeberrimus compenſare ſatis videtur poſſe. Quid? Paſconius *Minorita* (*b*) Terſactenſis Provinciæ *Definitor* multa ad hoc prodigium ſpectantia, publici juris fecit, quæ a Terſactenſi tabulario ab ſe deprompta fuiſſe confirmat. Quid? Ven. F. Petrus ex eodem ſacro Ordine Epiſcopus Maceratenſis *Legendam* quam vocant de Lauretana domo vulgavit jam inde ab anno cIↃ.ccc.xxx. Mitto Franciſcum Milietum (*c*), Bernardinum Cyrillum, (*d*) Victorium Brigantem, (*e*) Hieronymum Radiolenſem (*f*), Adricomium (*g*), alioſque, qui præclarum

(*a*) Matthæo Villano addi poteſt Arlottus Mainardus civis item Florentinus, qui tempore S. Antonini vixit, de quo Mannius tom. 3. Operis ſui, quod inſcripſit *Veglie piacevoli*, ſic ſcriptum reliquit. „ Da Fabriano „ ſi determinò egli l'anno 1449. con „ quattro Fiorentini di portarſi a *Loreto*, e ad Ancona. „ Multo vero expreſſius in libello etruſca lingua conſcripto, qui de ipſius Mainardi facetiis circumfertur, ſic legitur; „ Tornando da Fabriano, dove era fuggito Papa Nicolao inſieme con la „ Corte Romana riſpetto alla peſte, „ deliberò con quattro Fiorentini andare a *S. Maria di Loreto*, & Ancona. „

(*b*) De Paſconio & de Ven. Petro Epiſcopo Maceratenſi, vide Trombellium loco infra citato.

(*c*) Franciſcus Milietus Eremita S. Auguſtini ex antiquis membranis Hiſtoriam Domus Lauretanæ concinnavit.

(*d*) Bernardinus Cyrillus Commiſſarius Apoſt. Hiſtoriam Millieti luculentis annotationibus illuſtravit an. 1573.

(*e*) Victorius Brigantes Canonicus Anconitanus laudatiſſimam & veraciſſimam Hieronymi Angelitæ Hiſtoriam non parum locupletavit.

(*f*) Hieronymus Radiolenſis Vallis Umbroſæ Monachus in Opuſculo, quod inſcripſit; *Unde, & quomodo ædes S. Mariæ de Loreto initium ſumpſerit*. Floruit circa medium ſæc. xv.

(*g*) De Andricom. vid. Trombel. ut ſup.

His libet addere Beatum Joannem Feſulanum ex ſacro Prædicatorum Or-

rum de Lauretana domo teſtimonium & dederunt, & ediderunt.

XLII. Nam quid dicam de tot ſummorum Pontificum ampliſſimis litteris? quid de eorundem honorificentiſſimis decretis loquar? quibus ſuum erga Lauretanam domum ſingulare ſtudium ad memoriam pietatis ac religionis ſempiternam teſtatum eſſe voluerunt. Quid? tot ſummi Pontifices Benedictus XII. Urbanus VI. Bonifacius IX. Martinus V. Eugenius IV. Nicolaus V. Calixtus III. Pius II. Paulus II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Julius II. Leo X. Clemens VII. Paulus III. Julius III. Pius IV. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. (1) Clemens VIII. & alii deinceps fere omnes, auctoreſne idonei per iſtos ſunt, qui in medium prodeant, qui in conſpectum ſe dent, qui hac de re teſtimonium ferant? Exſpecto dum hos etiam omni auctoritate nudent, & perſcriptis eorum graviſsimis auctoritatibus contradicere audeant ac refragari.

XLIII. Sed jam non eſt, cur ſive doctorum hominum, ſive

Ordine, Pictorem egregium, qui Lauretanæ Domus translationem coloribus expreſſit, uti exprimi nunc vulgo ſolet. Floruit circa medium ſæculi xiv.

Dantis Aligherii in *Com. Parad. cant.* 21. *terz.* 4. auctoritas paſſim a propugnatoribus Lauretanæ Domus aſſertur, quæ etſi clara non ſit atque perſpicua tamen non videtur prorſus abjicienda. Hanc Renzolius a Martorellio relatus pluribus illuſtrat.

(*a*) Sixtus V., præter Equeſtrem Ordinem ſub auſpiciis B. Mariæ Lauretanæ anno 1587. inſtitutum, præcepit ut illis verbis Evangelii S Joannis, VERBUM CARO FACTUM EST, a Divinum Sacrificium in Lauretana æde celebrantibus præponeretur particula HIC. Idem Pontifex Lauretum Urbis titulo & jure donavit.

ſive ſummorum Pontificum de Lauretana æde nimis tenuiter, & ſingillatim teſtimonia colligam? qui graviſſimum hac de re, ac pleniſsimum auctoritatis orbis terræ judicium proferre poſsim. Nam, per Deum immortalem! quid nunc communi populorum omnium conſenſione confirmatum magis reperiri poteſt, quod cum hoc prodigio, de quo dico, & jamdiu dico, conferri poſsit? cujus fama non jam amplius anguſtis unius provinciæ finibus circumſcribitur ac continetur, ſed eo uſque pervaſit, ut ad ultimas terras disjunctiſsimaſque nationes pervenerit ac penetrarit. Ecquis enim hoc tempore eſt, vel in ultimis terris poſitus atque abditus, qui aliquid de Lauretano domicilio non audierit? quis, qui illud viſendi incredibili cupiditate non flagret? quis, qui, ſiquidem ei facultas ſuppetat, vel longiſsima ad illud periculoſiſſimaque itinera terra marique non ſuſcipiat? An putamus, tantam advenarum ac peregrinorum multitudinem, tantam vim, tam incredibilem ac prope infinitum numerum (a) ex tota Italia, Gallia, Germa-

(a) Numerum Peregrinorum ſingulis annis Lauretum confluentium Renatus Foreſtius Societ. Jeſu recenſet in ſua oratione, quam edidit Laureti an. 1765. ſuper Sanctæ Domus translatione. Maxima Peregrinorum frequentia Italorum eſt. Galli numerantur ad 2000. Germani ad 5000. Poloni ad 400. Hiſpani ad 300. Dalmatæ ad 400. Belgæ ad 300. Conjunctim omnes una cum Italis, quorum numerum maximum eſſe diximus, centum Advenarum millium ſummam conficiunt. Solemnioribus diebus Peregrini quinque, aut ſex millium numerum explent. Ex eodem Foreſtio diſcimus, eorum numerum, qui ad ſacram Synaxim accedunt; Menſe Majo 80. m. Auguſto 30. m. Septembri 100. m., & ali-

mania, Hungaria, Polonia, Lithuania, Servia, Dalmatia, Pannonia, Anglia, Hibernia, Belgio, Hiſpania, Luſitania, ex omnibus denique vel remotiſsimis orbis terrarum partibus quotannis Lauretum confluere potuiſſe, niſi omnium gentium animos altius impreſſa quædam, penituſque inſita ſanctiſsimi loci religio occupaſſet? atque ita occupaſſet, ut, cum in viam ſe dant, ac Lauretum veniunt, non tam ad Virginis domum, quam ad ipſam Virginem ſe venire ac proficiſci arbitrentur.

XLIV. Et ſane hac una cogitatione patriam, uxores, liberos, propinquos, amicos deſerunt, hac difficillima incertiſsimaque itinera ingrediuntur, hac ex ultimis portubus navigant, & vaſtiſsima infeſtiſsimaque maria tranſmittunt, hac omnia incommoda libenter ſuſtinent, omnia alacri animo perferunt, & tum demum ſe beatiſsimos fore, ac jucundiſsimum tot laborum atque incommodorum fructum laturos credunt, ſi poſt tot vitæ capitiſque diſcrimina divino eis munere conceſſum ſit, ut tandem aliquando Virginem ipſam domi ſuæ convenire poſsint, ejus incunabula videre, ipſamque in æde propria venerari. Hoc unum ſcilicet ob oculos habent, hoc ſpectant, hoc in-

aliquoties 105. & 115. millia. Reliquis anni menſibus, quibus non adeo affluens concurſus eſt, unoquoque menſe ad duo aut tria milia numerantur. Solemnioribus item diebus in Eccleſia fere 400. Sacrificia celebrantur; minus ſolemnibus 150. In ipſa autem ſacratiſſima Domo ſingulis diebus fere 30. Uſque adeo nihil ad Sacratiſſimi loci ſanctitatem augendam non conſpirat; ut certe *In toto non ſit ſanctior urbe locus.*

intuentur, hoc ſuſtentantur uno; atque hac una ſpe mirum in modum confirmati ac recreati ad optatam ſuſceptæ peregrinationis metam læti alacreſque feſtinant.

XLV. Quid vero? cum longe auguſti templi faſtigia apparere incipiunt, ut ſubito quodam gaudio atque inuſitata voluptate perfunduntur, ut venerabundi in genua procidunt, ut ambas ad cælum tendentes manus, & Virginis opem enixius implorantes, ipſam Virginem de via ſalutant? Quid? cum Lauretum ingreſſi magnificentiſſimum templum vident ſacro domicilio circumdatum; quid? cum domicilium ipſum in conſpectum ſe dat; quid denique? cum ejus ſacratiſſimum limen ſubeunt, atque in ſanctiſſimo totius terrarum orbis loco religioſiſſimoque pedem ponunt. Tunc enimvero videres eos attonitos hærere primo, & quod jamdudum optaverant, & quod ardentiſſime concupiverant, ſe tandem conſecutos ſibi met ipſos vix credere; mox ex illo veluti ſtupore paullatim ſe recipere, proſternere humi corpora, pectus tundere, vocem tollere, *Mariam*, *Mariam* ſæpius cum lacrymis inclamare, *Mariam* impenſius venerari, omnia ſuſpiriis gemitibuſque complere.

XLVI. Et revera quis unquam illam domum ſiccis oculis aſpicere? quis illam ſine fletu intrare potuit? Nemo ſane, qui plane ferreus atque inhumanus non fuerit. Etenim ea eſt loci forma, cultus, religio, ſanctitas, ut nullum toto terrarum orbe ſanctiorem eſse locum facile agnoſcas, immo vero experiaris. Sic enim ubi

vix

vix intra veſtibulum illud pedem intuleris, ſacro quodam horrore corriperis, ſic lacrymæ oculis ſponte erumpunt, ut eas cohibere non poſsis. Qui Lauretum acceſiſtis, hæc a me non confingi, neque exaggerandi cauſa dici, veſtro ipſi experimento edocti eſtis. Ego ſane cum illic fui, lacrymas certe non tenui, qui in harum ipſarum rerum commemoratione continere non poſsum. Recordor enim fani, loci, religionis; venit in mentem eorum omnium, quæ vidi, quæ animadverti, quibus ipſe interfui; hæc omnia nunc animo recurſant, & tanquam præſens mecum ipſe nunc recolo ac recognoſco. Videre mihi videor peregrinorum greges circa beatiſſimam illam cellam affuſos, alios ante aram Virginis provolutos preces effundere, alios parietibus affixos eos ſuaviſſime deoſculari, illos paſſis manibus ſacrum domicilium genibus obire totum, hos ſæpius intro referre pedem, nec a ſacra æde abſtrahi divellique poſse; omnes denique reſpectantes lacrymanteſque diſcedere.

XLVII. Hic vero quid nominatim de Dalmatis peregrinis dicam? qui ſingulis annis mare tranſeunt & turmatim Lauretum veniunt; quod tam magna certe frequentia non facerent, niſi ſe tantum olim bonum poſsediſse perſuaſum haberent. Quid? cum divinam Hoſpitem ad vetus deſertum hoſpitium illis vocibus acerbiſſimi luctus & triſtiſſimi deſiderii pleniſsimis non ſine lacrymis ac gemitibus invitant; *Revertere ad nos Maria, rever-*

vertere; & quanquam nunquam voti compotes facti fuerint; nunquam tamen ſingulis annis eaſdem iterare cum fletu ac ſuſpiriis voces deſinunt. Uſque adeo hæc opinio, fuiſse olim apud ipſos beatiſsimam hanc domum, atque adeo Deiparam ipſam, eorum non dicam inſedit atque inveteravit, ſed inolevit animis, ut evelli ac deleri tanta temporum diuturnitate non potuerit.

XLVIII. Cæterum tanta eſt hujus ſacratiſsimi loci religio, tantos ac tam repentinos introeuntium in animis affectus excitat, ut incoli etiamnum ab ipſa Sanctiſsima Dei Genitrice videatur (*a*). Quod quidem huic uni ædiculæ tam proprium eſt ac ſingulare, ut cum aliis ejuſdem Deiparæ celeberrimis ac nobiliſsimis templis commune non ſit. Ignoſcite, quæſo, Florentini, ſi nimius hoc in argumento ſum. De Deipara loquor, de mea, de communi parente loquor, cui quidem ego omnia, quæ hactenus conſecutus ſum, me debere profiteor, & reliqua etiam vel immerentem, pro ejus ſingulari bonitate & clementia, ab eadem in poſterum, ac præcipue, quæ ad æternam animi mei ſalutem pertinent, certo conſecuturum confido. Neque vero vos non

(*a*) Turſellinus in præfatione Hiſt. Laur. „Quicumque, *inquit*, ad Lauretanam Ædem accedunt, non tam „ad Ædem Virginis, quam ad ipſam Virginem adire ſibi videntur. „Et ſane hic Deus Deique Mater miro quodam modo præſentiam ſuam „declarant. Marianus vero Auguſtus citatus a Benedicto XIV. in ſuo de Feſtis B. V. Opere. „Non arbitror, „*inquit*, fuiſſe aut futurum tam ſceleratum, tam perditum, quem non „Lauretanæ Mariæ aſpectus ad aliquem pietatis ſenſum commoveat.„ Sed omni auctoritate certior ipſa quotidiana experientia eſt.

non eandem ſpem fovere credo. Uſque adeo amantiſſima Mater omnes, qui ad eam opis, præſidii, tutelæ fiducia confugiunt, materna pietate complectitur. Quo etiam mihi acerbius accidit, ita iſtos in cauſa, mitto certa, mitto explorata, mitto prope evidenti; ſed tam juſta, ſed tam pia, ſed tam religioſa ſe gerere, ut plane neſciam, de iſtis opinari quid debeam.

XLIX. Sed ut eo ſæpius redeam, poterone hanc talem ac tantam populorum omnium ac nationum conſpirantem ac pene conflatam conſenſionem unius alteriuſque Scriptoris ſilentio, aut clare parum enunciatæ ſententiæ tuto opponere? Poterone jure ab iſtis poſtulare, ut, quod non jam amplius ſoli Palæſtini, Dalmatæ, Picentes; quod non ſoli amplius Scriptores, Hiſtorici, Pontifices; quod non ſoli eruditiores Critici & ſapientiores; ſed quod gentes omnes, populi, nationes, regna, provinciæ, orbis terrarum univerſus firmiſsime credunt, de eo deſinant tandem aliquando dubitare. *Nemo unus unquam omnes feſellit, neminem unum omnes feſellerunt*. Poterone igitur, quod tanta auctoritate confirmatur, tanta conſenſione hominum, quanta vix ulla in re hactenus exſtitit, nititur, quod lacrymis, ſuſpiriis, gemitibus comprobatur, ab iſtis ſaltem obtinere, ne convellere amplius, atque in poſterum labefactare conentur? Quanquam vellem præterea aſſenſum etiam ipſum ab iſtis, quem tot hactenus a me allata argumenta & ſeparatim, & multo magis conjunctim ſibi conciliant, extor-

torquere, ſi poſſem; atque hunc ne deſperem illa cogitatio facit; Non tantam fere in hominibus judicii ac voluntatis perverſitatem reperiri, quæ claræ ac manifeſtæ veritati pervicacius obſtinatiuſque obluctetur.

L. Ego quidem nunquam non certiſſima hujuſce rei, de qua dico, argumenta exiſtimavi prodigia pene innumerabilia, quibus ad hanc uſque diem Lauretanam ædem Deus illuſtravit; quæ quidem talia ac tanta ſunt, ut nuſquam divinæ liberalitatis ac beneficentiæ fontes largius, quam hic, effluant atque uberius exundent ſive ad ægrotantium valetudinem, ſive ad ſolatium calamitoſorum, ſive etiam, quod caput eſt, ad perditorum hominum mentes in diverſa mutandas; ſed tamen illud multo certius argumentum, ad iſtiuſmodi præſertim genus hominum revincendum; mihi ſemper viſum eſt, quod ab incredibili omnium gentium conſenſione ducitur. Itaque ego hanc iſtis oppono, hanc objicio, hac ſum contentus una. Non prodigia in medium affero, non miracula prædico; quanquam hoc ab inſtituto meo non abhorreret, prodigia prodigiis adſtruere ac confirmare. Sed tamen dicant alii, per me licet, cæleſtes flammas (*a*) ſacro domicilio im-

(*a*) Prodigium hoc cæleſtium flammarum teſtatiſſimum eſt. Turſellinius ſæpius citatus Hiſtoriæ Lauretanæ lib. I. cap. 17. „ Viceſimus, *inquit*, circiter annus eſt, cum Recinetenſium plures non minus probitate, quam ætate conſpicui Raphaeli Rieræ, *unde ipſe accepi*; ita narrarunt. Sub natalem Virginis Deiparæ diem, nocturnos ignes de cælo ſuper Lauretanum tectum labi viſos ſua memoria, inſpectante Recine-

imminentes ſæpe viſas, præſentes debitaſque pœnas, ab iis, qui illud violare auſi ſunt, Deo vindice, perſolutas. Commemorent (*a*) lucis uſuram cæcis reſtitutam, ſurdis auditum redditum, deſperatiſsimis morbis medicinam adhibitam, optatam ſterilibus conjugibus prolem conceſsam. Addant tot hominum millia, partim certiſsimo naufragio liberata, partim duriſsimo ſervitio exempta, partim ab ipſis inſtantis jam lethi faucibus erepta. Adjiciant tot oppida Anicium, Lugdunum, Panormum, Utinam, Recinetum, diſcuſsa peſte, vaſtitatis ſolitudiniſque periculo liberata. Hæc ego omnia miſsa facio, iſtis largior atque condono; non in his me jacto, in quibus cæteroquin exſultare poſſet oratio mea populari quadam dicendi ratione, maximeque ad obtinendas cauſas accommodata; ſed, uti dixi, hæc omnia miſsa facio, atque in præſentia prætermitto. Ad populorum

„ cinetenſi Civitate univerſa; nec ſemel ab ipſiſmet cum incredibili animi lætitia eſſe conſpectos. Simul addebant, pridie ejus diei ſub noctem intendentibus ſe tenebris, Recinetenſes vulgo concurrere ſolitos ad tam gratum jucundumque ſpectaculum; ut ex mœnibus tectiſque, unde modo Lauretana ſedes conſpici poſſet, admirabili illa cæleſtis flammæ ſpecie oculos atque animos paſcerent. Tenet fama, anniverſarium hoc ſpectaculum ad Pauli III. Pont. Max. tempora duraſſe. Nec ferme ex Lauretanis rebus res eſt alia nobilior. „ Huc revocentur, quæ ſupra adnotavimus de litteris Pauli Eremitæ hac de re ad Carolum II. Regem Neapolitanum datis. Cæleſtibus flammis illuſtratam eſſe natalem Virginis Domum ſub ipſum ejus in Italiam adventum tempore Bonifacii VIII. teſtis eſt Hyeronimus Angelita ſæpius commemoratus. Vid. Turſellinum Art. Lauret. lib. 1. cap. 15.

(*a*) Prodigia, quæ hic indicantur, luculenter ſuis quæque capitibus expoſita invenies apud Turſellinum.

rum conſenſionem revertor, hanc apud omnes contendo gravem ac ſanctam eſse oportere; hic hæreo, hic habito; nec me profecto hoc loco dimoveri patiar, donec iſti aliquid afferant, quod hanc talem & tantam auctoritatem, quæ non dico in unius aut alterius opinione conſtituitur, ſed omnium gentium conſenſu, ac pene totius orbis terræ graviſsimo quodam ſanctiſsimoque teſtimonio conflatur, aut infringat omnino, aut ſaltem infirmet.

LI. Quanquam bonitate cauſæ confiſus, dum iſtis indulgere nimis volui, eo progreſſus ſum, unde mihi ſentio omnino eſſe regrediendum. Prodigia atque miracula, quæ innumerabilia in Lauretana æde patrata ſunt, & patrantur quotidie, nimis liberaliter iſtis condonavi; perinde quaſi hæc ad auctoritatem, in qua potiſsimum argumenti ſita vis eſt, & ad quam tota quæſtio adducta jam recidit, referenda non ſint. Imprudens non animadverti, in reliquis, quæ jam commemoravi, hominum; in prodigiis vero omnipotentis & veraciſsimi Numinis reſidere auctoritatem. Repeto igitur, quod conceſsi, nimiam liberalitatem meam damno, indulgentiam accuſo. Hos ego nunc meo jure ad hanc ipſam divinam auctoritatem provoco, huc eos vel repugnantes adigo, huc accedere compello; hac, hac, inquam, divina auctoritate hos conficere prorſus volo; niſi forte in animum induxerint, Gigantum more pugnare cum Deo. Neque enim veriſimile eſt, Deum ipſum

ſum tot prodigiis falſam in hominum animis perſuaſionem fovere ac confirmare voluiſſe, & turpi mendacio tantam ſuperinducere ſpeciem veritatis. Ac meo quidem judicio contrarium opinari, & ſentire, neſcio quid impietatis redoleret. Omnia igitur prodigia, quæ iſtis largitus ſum, repeto; ea ad auctoritatem revoco, ea iſtis oppono atque objicio. Humanæ auctoritatis vim experti jam ſunt; divinæ nunc pondus multo graviſsimum auctoritatis experiantur ac ſentiant.

LII. Neque vero eſt cur dicant, hujuſmodi prodigia ad unam *Fidem* (ſic enim loquuntur) referri debere, ac proinde ex allatis prodigiis facti hujus veritatem elici nequaquam poſſe. Ad *Fidem* utique, atque ad pietatem erga divinam Matrem referantur illa quidem; ſed ita, ut facti etiam, de quo inter nos contendimus, veritatem confirment. Qui Lauretum tanta frequentia adeunt, ſanctiſſimi loci fiducia adeunt; Lauretanæ nominatim Virginis opem, quotquot ad ejus natale tectum ſe conferunt, implorant, ea beneficiorum certo obtinendorum ſpe adducti, quia, quæ petunt, in ejus ſede ac domicilio petunt; & cum alibi id commodius poſsent, & nullo loco non præſens Mariæ Virginis ſincero eam animo invocantibus auxilium ſit; tamen illi loco ſua potiſſimum reſervant vota, quem ei maxime cordi eſſe certo ſciunt, & quem præ cæteris, ea de cauſa, quod ibi VERBUM CARO FACTUM EST, & ipſa Dei Mater effecta, a Deo & impenſius diligi, & longe ma-

joribus atque illuſtrioribus, quam uſquam gentium; di-
tari prodigiis ab eodem & cumulari.

LIII. Itaque eadem de cauſa referetur, contra atque jam ante de prodigiis deliberaveram, referetur, inquam, theſaurus ille longe locupletiſſimus, non ad vanam auri argenti ac gemmarum oſtentationem; ſed ad novum veritatis certiſſimum inviĉtiſſimumque argumentum. Quo in theſauro non tam collectas pene totius Catholici orbis videre opes mihi videor; quam miram quandam intueri atque admirabilem divinæ cum humana auctoritatis conjunctionem. Quid enim tot pretioſiſsima donaria? quid tot anathemata? quibus non dicam plenus theſaurus hic, ſed confertus ac ſtipatus eſt; quid tanta auri argentique vis? quid tanta gemmarum copia? quid, inquam, tot magnificentiſsima dona ſignificant? quid declarant? niſi ex hac una domo divinam beneficientiam ad tot Pontifices, Imperatores, Reges, Dynaſtas, Principes, Urbes, Nationes, Provincias, quorum omnium donaria exſtant, non ſolum pertinuiſſe; ſed etiam ad omne hominum genus, ubique gentium atque terrarum diſſeminatum, largiſsime effuſiſsimeque fuiſſe propagatam. Quid vero illa Lauretanæ Virginis in in prægrandi unione mirabiliter expreſſa effigies? quam ego ipſe vidi ac demiratus ſum; nonne & ipſa prodigium eſt & prodigia omnia hac in æde patrata novo prodigio confirmat? Ea enim unionis naturâ compactio eſt, ut, cum ex pluribus ſuperinductis cruſtis coaleſcat, ſcalprum re-

reſpuat, & ad artificis arbitrium incidi ac fingi omnino non poſsit. Quo miraculo videtur Deus, inter tot dona ab hominibus oblata, ſuum quoque conſpici ac ſuſpici voluiſse. In tanta autem divitiarum opulentia non dico homines liberalitate certaſse cum Deo, ejuſque divina Matre (quod enim certamen inter Deum & homines eſſe poteſt?); ſed dico, quæ iſti haberent pretioſa apud ſe, ea volenti ac libenti animo in acceptorum beneficiorum teſtificationem obtuliſſe; quod profecto non feciſſent, niſi votorum facti ſuorum compotes fuiſſent.

LIV. Jam vero quid iſti dicunt? quid habent, quod reponant? Satiſne ad rem, de qua egimus, iſtis acceſſiſſe videor? mihi quidem, niſi fallor, videor ſatis. Interea, dum nihil hujuſmodi, quod & divinam hanc & humanam infringat auctoritatem, iſti afferunt, nec vero afferre poſſunt, quis tandem mihi ſuccenſebit, ſi hoc loco dolentius conquerar, ſi vociferer, ſi iſtos vehementius accuſem, qui nec divina, nec humana veriti jura talem ac tantam religionem attentare, atque adeo convellere conati ſunt. Quid? nihilne vos omnium gentium conſenſus, nihil illa frequentia, quam dixi, nihil celebritas, nihil loci ipſius religio ac ſanctitas, nihil prodigia ac miracula pene innumerabilia, nihil humana, nihil divina teſtimonia, nihil utrorumque teſtimoniorum conjunctio vos a tanta violanda religione retardarunt ac deterruerunt? Nonne, quod in vobis fuit, & nos Itali pulcherrimum ampliſsimumque

monumentum amiſimus, & vos ſanctiſsimum atque omni veneratione digniſſimum Sacrarium nobis invidiſtis,& per ſummam injuriam tollendum auferendumque curaſtis ?

LV. Ego vero hac in re Heterodoxis hominibus aliquo modo ignoſco, ſi tam illuſtre ornamentum eripere nobis atque auferre conati ſunt. Vident enim, quantum inde Catholicæ Religioni decus, quantum auctoritatis pondus accedat; vident, & æquo animo ferre non poſſunt. Quare illis aliquo modo ignoſco; noſtris vero immoderatioribus Criticis, nullo modo poſsum ignoſcere. Etenim ſi hæc cauſa non omnem extra controverſiam poſita eſſet, uti certe eſt, quod hactenus demonſtravi, ſi in utramque partem agitari poſset, ſi paria hinc atque hinc rationum momenta haberentur; nonne Catholicum hominem deceret ab ea parte ſtare, quæ piæ opinioni favet atque adſtipulatur ? Hoc communis profeſsio Religionis, hoc communia Fidei vincula, hoc æquitas, hoc ipſum, quo Catholici omnes erga Deiparam eſse debemus, ſtudium & pietas ſuo a nobis jure expoſcerent ac flagitarent. Parumne bona Mater de nobis, parum de Religione Catholica, parum de univerſo hominum genere merita eſt, ut hanc ei vicem rependamus, & tam malam pro acceptis beneficiis gratiam referamus ? Ubi nam iſti, qua diſciplina, quo inſtituto officia diſtinguere ac penſitare didicerunt, qui tam inofficioſe, ne quid gravius dicam, erga hanc amantiſsimam Matrem ſe gerunt ? Quam iſtos

iſtos ſcientiam conſecutos putem, ſi, quid æquitas, quid pietas, quid gratus & beneficiorum memor animus ab homine requirant, ignorent?

LVI. Quid igitur attinuit hac in re tam certa, tam teſtata, tot argumentis rationibuſque demonſtrata potius cum Oſpiniano, Vergero, Caſaubono, Heterodoxis hominibus ſentire, quos iſti præclaræ ſententiæ ſuæ auctores habent, quam cum tot Catholicis ac doctiſsimis viris (a), cum Baronio, Caniſio, Turriano, Spon-

(a) Renatus Guillelmus Foreſtius S. J. in ſupra citata Oratione, ducentos & eo amplius ex omni natione Scriptores fuiſſe affirmat, qui unanimi conſenſione Lauretanam ædem aut ſcriptis ornarunt ſuis, aut ab oppugnatorum aggreſſionibus ſtrenue defenderunt ac propugnarunt; nos præcipuos nominabimus.

Baronius Hiſt. Eccl. anno 9.

Ven. Caniſius de *Deip.* lib.5.c.25.

Turrianus in *Reſp. Apologet.* ad Petrum Paullum Vergerium pro Domo Lauretana.

Roeſtius in *Apol. pro Deip. Mariæ Camera.*

Eraſmus, auctore Caniſio, orationem habuit de Laudibus Beatæ Mariæ Lauretanæ.

Hieronymus Richeomus Gallus librum edidit, quem inſcripſit, *Peregrinus Lauretanus.*

Georgius Hiſtæus Lauretanæ domus patrocinium ſuſcepit contra Calviniſtas ejuſdem oppugnatores.

Raynaudus contudit Launojum argumenti *negantis ſui* armis inſtructum, & nimis inſoleſcentem, T.4. in opere, quod inſcribit; *Antemurale adverſus fortia ingenia.*

Benzonius Epiſcopus Lauretanus ſacram Domum propugnavit contra Petrum Paullum Vergerium, qui per ſummam impietatem auguſtiſſimum hoc Sacrarium *Idolum Lauretanum* appellare non exhorruit.

Spondanus Turſellinum citat, cujus Hiſtoriam Lauretanam plurimi facit.

Petra-Sancta, cujus in hanc ſententiam auctoritatem affert Benedictus XIV. lib. 4. *de Canoniz. SS.* part.2. c.10. n.13.

Bzovius, cujus monita ex commentariis ad annum 1291. allegat Baſnagius.

Papebrochius, & Henſchenius in Actis Sanctorum tom.3.Martii die 25.

Brietius ad Annum 1291.

Digitized by Google

dano, Echio, Saliano, Gretſero, Raynaudo, Papebrochio, Henſchenio, Natali Alexandro, Raynaldo, Bzovio, Honorato, aliiſque quam plurimis hujus notæ ac magni nominis viris, addo etiam nobiliſſimis atque eruditiſſimis Criticis, ſiquidem ab iſtis digni exiſtimentur, qui in Criticorum ſubſellio una cum ipſis ſedeant; quorum omnium in eo maxime eluxit pietas & cura, ut Lauretanam domum contra ejuſdem oppugnatores acerrime defenderent ac propugnarent? Quid oportuit illis, quos nominavi, impiis hominibus ſe aſseclas præbere potius, quam tot ſummis Pontificibus,

Bailetus Turſellinum citat, eique non refragatur ad vigeſimum quintum Auguſti diem, part. 7. num. 37. Baileti hac in re auctoritatem plurimi faciendam eſſe eruditi quidem omnes non diffitebuntur; mihi vero inſtar omnium auctoritatum eſt.

Natalis Alexander Hiſtor. Eccleſ. ſæc. 13. „Pontificatus, *inquit*, Bonifacii PP. VIII. anno primo, Chriſti 1294. Sacra Deiparæ Virginis ædicula, in qua Filium Dei de Spiritu Sancto Angelo nunciante concepit, e Dalmatia in Picenum miraculo delata in Recinetenſis agri ſylva piæ Matronæ, cui Lauretæ nomen, propria conſedit. Inde Lauretanæ Domus B. Virginis eſt appellatio, quam & in ipſo Piceno ter ſedem infra annum mutaſſe repetito miraculo, memoriæ proditum eſt. Qua de re legendus Horatius Turſellinus Societ. Jeſu Scriptor elegans in Hiſtoria Lauretana.„ Huc uſque Cl. vir & nobiliſſimus Criticus.

(a) Honoratus a S. Maria Gallus ex ſacro Carmelitarum Diſcalceatorum Ordine, Criticus nobilis & egregius, in ſuis Animadverſionibus in regulas & uſum Critices.

(1) Chryſoſtomus Trombellius Abbas Exgeneralis Canonicorum Regularium Sancti Salvatoris Congregationis Rhenanæ; vir æque doctus ac pius omnium poſtremus, quod ego ſciam, *de Vita & geſtis Deiparæ Virginis* ſingulari diligentia, nec minori eruditione ſcripſit; & nominatim de Lauretana Domo pluribus agit, ac piam ſententiam & rationibus, & antiquis, quæ exhibet monumentis, & peti facile ab eo poſſunt, confirmat. Legatur tom. 6. part. 2. diſſert. 24.

bus, quorum de rebus divinum ad cultum pertinentibus, de ſacris, de ritibus, de cæremoniis judicium eſt, ac ſemper fuit, qui exemplo ſuo nobis præiverunt, & tot præterea honorificentiſſimis diplomatis editis, & decreto cultu, & imperatis precibus, & ſacroſancti Sacrificii oblatione indicta, quid tenere hac de re, quid ſentire debeamus, clare aperteque declararunt?

LVII. Sed nimirum iſti magnam ſibi eruditionis famam conciliari putant, cum quid vulgo receptum negant, præſertim ſi aliqua religione conſecratum ſit; nullam cum affirmant; perinde quaſi eruditionis fama alia parari via non poſset. Miſerum enimvero famæ atque exiſtimationis genus, ipſius famæ atque exiſtimationis jactura collectum. Verum quin iſti, quandoquidem Hæreticorum ſententiis tam facile ſubſcribunt, & eorum exemplis delectantur, eos in eam partem imitandos ſibi proponunt, qua ſine piaculo eos imitarentur? Illi, quidquid Catholicæ Religioni favet, ope omni conantur evertere; quæ vero pro ſe ſectaque ſua faciunt, omnibus ingenii nervis tueri contendunt; in hoc elaborant, in hoc vires omnes exerunt ſuas, & totam rimati ſunt antiquitatem, nec rimari deſinunt, ut aliquid ex vetere diſciplina colligant, unde & ſua confirment, & noſtra infirment. Quod illi in peſſima faciunt, cur nobis in optima cauſa faciendum non putabimus? Iſti vero contra. Student adverſariis, adverſantur ſuis; favent Hæreticis, Catholicis refragantur; il-

los adjuvant, nos oppugnant; quos etiam exſpecto, dum eo uſque progredi audeant, ut hanc ſacratiſſimam domum cum Paullo Vergerio per ſummam contumeliam *Idolum Lauretanum* appellent.

LVIII. Jam vero quid hic agimus Florentini? tantæne cauſæ indormiemus? in tanta re negligentes ac diſſoluti videri patiemur? Quin expergiſcimur tandem aliquando? quin nos ad priſtinam virtutem, atque ad majorum noſtrorum pietatem religionemque noſmet ipſi revocamus? quin Italiæ univerſæ communes partes ſuſcipimus? noſtra decora tuemur? noſtra ornamenta defendimus? & hos homines qua voce, qua ſcriptis inſectamur, & nullo loco quieſcere patimur atque conſiſtere? Soluſne in tanta opinandi licentia vocem mittam? ſolus communem cauſam ſuſtinebo? ſolus erepta nobis omnibus ornamenta repetam ac vindicabo? Ego quidem ſatis mihi videor feciſſe muneri, quod recepi, qui in hanc cauſam, quidquid in me ingenii, virium, facultatis fuit, non contuli ſolum; ſed in eadem curam omnem etiam meam, ſtudium, diligentiam contentionemque conſumpſi. Reſtat ut vos quoque ipſi vobis, ſtudio veſtro, pietati, religioni ſatisfaciatis; communem totius Italiæ cauſam ſuſcipiatis, eique mecum una ornamentorum omnium maximum ſanctiſſimumque vindicetis.

LIX. Quanquam non tam nos Patriæ amor atque Italiæ decus in hac cauſa excitare debet, quam, & multo

to magis, ipſius Virginis honos ac dignitas vehementius commovere. Quis enim non videt, quam Deiparæ ipſi præclarum atque honorificum fuerit, uſque adeo ejus natale tectum curæ fuiſſe Deo, ut illud non ſolum abjectum neglectumque inter Barbaros ſine cultu jacere noluerit; ſed etiam ſingulari inauditoque prodigio in cultiſſimas terras regioneſque Catholicas, atque adeo in ipſum Romanæ Eccleſiæ gremium, a fundamentis avulſum, integrum atque intactum, transferendum aſportandumque curaverit. Quod quidem huic uni ferme monumento contigit, cum interim reliqua monumenta vel ſanctiſſimis religionibus myſteriiſque conſecrata, & nominatim Chriſti Domini Reparatoris noſtri ſepulchrum, ſub impuriſſimorum ac barbarorum hominum relicta ſunt poteſtate; ut hoc etiam nomine hanc a Deo & impenſius præ cæteris ædem diligi, & diligentius cuſtodiri, & cum ipſa Virgine honorificentius actum eſſe pro certo habendum ſit. Hoc porro ſanctiſſimum ſacratiſſimumque domicilium nobis oblatum fuit, nobis traditum, noſtræ propemodum fidei commiſſum, & curæ demandatum. Nos cæteris gentibus, non humano, ſed divino judicio prælati ſumus, qui hoc religioſiſſimum monumentum tot annos, atque adeo ſæcula obtineremus, & quod in veteri Teſtamento Obededomus ille fuit, apud quem David Rex Arcam illam tot prodigiis illuſtrem collocavit, hoc nos in recenti eſſemus, apud quos nova hæc Arca maximis & ipſa inſigni-

ſignibuſque prodigiis longe clariſſima a Deo ipſo conſtitueretur, & una cum ea innumerabilibus maximiſque beneficiis Italia noſtra cumularetur. Itaque noſtrum ſit tantum donum, non merito noſtro, quod plane nullum eſt, ſed unice a divina liberalitate ac beneficentia in nos profectum tueri; atque illud pro eo, quo erga Deiparam ſtudio ſumus omnes, atque eſſe debemus, omni ope ab iſtorum injuria prohibere atque defendere.

Quæ haſtenus Orator perſecutus eſt, ea Horatius Turſellinus in præfatione Hiſtoriæ Lauretanæ his verbis plane dignis, quæ ex eo exſcribantur, quodam veluti epilogo complectitur. „ Res enim, *inquit*, „ quanvis admirabilis & antea inau„ dita; uſque eo tamen certa jam „ explorataque habetur, ut de ea „ ambigere, ac dubitare ſit nefas. „ Quippe ſumma cura, fide a ma„ joribus velut per manus accepta, „ deinceps traditur poſteris. Nec Il„ lyricis Recinetenſibuſque monu„ mentis ſolum, ſed Hiſtoricorum „ quoque Romanorumque Pontifi„ cum auctoritate nixa eſt. Ad hæc „ vetuſtam fidem conſtans tot æta„ tum conſenſus, concurſuſque om„ nium gentium affirmavit. Porro „ loci religionem incredibilis tum „ votorum copia, tum donorum „ opulentia inſignem facit. Nec ve„ tera magis, quam nova quotidie „ illuſtrant miracula, ut de tam „ teſtata explorataque re addubitare „ non poſſit niſi qui, aut de divi„ na vi ac providentia dubitare ve„ lit, aut eximere ex hominum ge„ nere humanam fidem.

Hæc Oratio, ſive Actio edita jam fuit an. 1770., cujus in fronte, quam hic ſubjicio, inſcriptio impreſſa legebatur.

DEIPARÆ VIRGINI LAURETANÆ
JOSEPHI MARIANI PARTHENII SOC. JESU
EJUS CLIENTUM MINIMI
ANAΘHMA.

DENT ALII GEMMAS, DENT MUNERA DIVITIS AURI,
QUOD MI UNUM, VIRGO, SUPPETIT HOC TIBI DO.
QUANQUAM, VIRGO, TUO HOC IPSUM DE MUNERE VENIT;
QUOD CUM DO, MUNUS DO TIBI, DIVA, TUUM.

DE

DE PRAVO

ARTIS CRITICÆ

USU

Actionis II. Liber III.

DIſpoſite ego iſtos accuſare ſi poſſem, ſummopere vellem, Florentini. Memini jam inde ab initio, cum de pravo Artis Criticæ uſu agere inſtitui, recepiſſe me, quoad in rebus maxime variis longiſſimeque inter ſe disjunctis adniti potuiſſem, aliquem in actionibus hiſce meis eſſe ordinem ſervaturum. Putabam, ſi minus id facile, ſaltem haud ita ægre ac difficulter aſſequi me poſſe, ſi, multis de accuſatione mea præcifis, ſumma tantum rerum capita, ac criminum genera perſecutus eſſem; in ſingulis autem generibus, ea ſolum, quæ aut præpoſtero intemperantioris artis criticæ uſu notarentur, aut monſtroſa quadam novitate opinionum præcipue eminerent, dedita opera elegiſſem. Verum

rum in ipſa electionis neceſſitate conſtitutus comperi, multo aliter ſe rem habere, atque a principio falſa perſuaſione deceptus exiſtimaveram. Etenim non in rebus modo unicuique generi ſubjectis, ſed in ipſis etiam rerum generibus tot ac tanta, eaque maxime inſignia, ac plane ſingularia objecta ſunt, quæ cum perdifficilem optionem fecerunt, tum effecerunt præterea, ut prorſus de ſervando ordine deſperarem. Neque vero aliter non ſolum propter res ipſas, ſed etiam propter ſummam iſtorum intemperantiam poterat evenire. Etenim cum iſti nova quædam atque inaudita in omni genere per ſe excogitarint, & multo etiam plura ab iis, qui ea ante ipſos jam excogitaſſent, liberrimis in opinando hominibus, & nullo Religionis vinculo, qui illos cohiberet, adſtrictis mutuati ſint; nihil propemodum in eorum Operibus occurrit, quod non inſigne, quod non eminens, quod omnino ab accurato ac diligenti accuſatore in judicium vocandum non ſit. Quamobrem ſentio bene multos non tam de ordine, quam de rebus multo magis ſollicitos, & eos quidem egregie erga Catholicam Religionem animatos, nec minus, quam ego ſim, iſtiuſmodi immoderatioris Criticæ generi infenſos, quorum ſenſus mihi noti ſunt, in concione non defuturos, qui multa a me omnino requirent, quæ ipſorum judicio nullo modo fuiſſent prætermittenda; quibus ego hominibus quomodo ſatisfacere poſsim, plane non video. Nam, ſi in ſumma rerum, qua

in

in hac cauſa circumfundor ac plane obruor copia, omnibus vel juſta petentibus ac debita flagitantibus aures præbere voluero, nullus actionibus hiſce meis eſſet modus, nullus terminus conſtitutus. Quare has in anguſtias conjectus cum ſim, ut & multa mihi neceſsario omittenda ſint, & ordo aliquis teneri a me in conſequentibus actionibus omnino non poſsit; nolite, quæſo, ſummo jure mecum agere, Florentini; nolite omnia ad exquiſitam & artis meæ rationem, & judicii formam exigere, ut, ſi minus ordini ſerviam, & ſi multa prætercam, id & oratoris vitio, & accuſatoris negligentiæ tribuendum exiſtimetis. Remittite igitur primum mihi aliquid in hac cauſa de ſumma rerum, quod cum dabitis, non tam mihi dabitis, quam ipſis adverſariis condonabitis. Non enim ii, ut opinor, in hoc repugnabunt; cum ſua ipſorum maxime intereſse debeat, non omnia crimina ab accuſatore in judicium vocari, & multa etiam, immo vero pleraque ab eodem compellente neceſsitate prætermitti: tum vero ſic audite me, ut aliquem quidem rerum delectum poſtuletis, ordinem vero non magnopere requiratis. Ego quidem, quo muneri meo aliquo modo ne deſim, &, qua ratione poſſim, omnibus morem geram, electiſsima quæque, quoad mihi in magna copia facultas ſuppetet, conſectabor; ordini autem hoc pacto medebor; Catholicam Religionem, quæ potiſsima ratio fuit, cur ad hanc cauſam acceſserim, tanquam ſcopum

pum aliquem mihi proponam, hanc unice ſpectabo, in hanc unam aciem obtutumque defigam. Quocunque tandem ordine ſagittæ emiſsæ ſint, non admodum mihi videtur eſse laborandum, dummodo electiores e pharetra expromantur, & omnes ad certum ſcopum præſtitutumque dirigantur. Itaque, ne vos pluribus morer, egregia duo iſtiuſmodi intemperantioris Criticæ, quam reprehendo, documenta nunc habetote, exquiſitiore cura e multis a me delecta, ac plane digna, in quibus exponendis tota hæc noſtra actio impendatur. Videbitis in his, & non ſine ſtomacho atque indignatione videbitis, repudiatam totius Antiquitatis auctoritatem, neglectum doctiſsimorum vetuſtiſsimorumque Scriptorum judicium, læſam graviter ſanctorum Patrum exiſtimationem, ipſis ſanctis Patribus turpiſsimam credulitatis inuſtam notam, ereptum denique, quod caput eſt, Catholicæ Religioni graviſsimum honorificentiſsimumque teſtimonium.

II. Fontes, ſpecus, arbores, lucos, ſigna præſertim ac ſimulacra exſtitiſſe quondam, ex quibus Oracula vulgo ac paſſim ederentur, res fuit prope ad noſtra uſque tempora æque omnibus cognita, atque omnem extra controverſiam poſita. Quis enim quercum illam Dodonæam Jovi conſecratam Poetarum celebrari carminibus non audivit? cui vel leviter erudito Jovis Ammonis nomen ignotum? quæ quidem Oracula ſive Jovis Dodonæi, ſive Ammonis longe antiquiſſima perhiben-

hibentur, tantaque olim in exiſtimatione habita ſunt, ut, iis per certos homines prius non conſultis, nihil pene a veteribus Ethnicis, quod paullo majoris momenti eſſet, neque terra, neque mari ſuſciperetur. Nam quid hic ego illa commemorem ea ipſa ætate toto terrarum orbe clariſſima Oracula? Serapidis Alexandriæ, Apollinis Clarii prope Colophonem, ejuſdem Apollinis Delphi, Eſculapii Romæ, quo de Oraculo nominatim antiqua inſcriptio a Grutero relata nos docet. Mitto alia minus vulgo nota, ſed certa non minus, de quibus graviſſimi doctiſſimique ſcriptores meminerunt; cujuſmodi illa ſunt Fauni commemorata a Virgilio, Herculis a Statio, Martis a Dionyſio Halicarnaſſæo, Apollinis Aquilejenſis ab Herodiano, Clitumni a Plinio juniore, Dei Vaticani ab Aulo Gellio, Fortunæ Antiatis a Svetonio, Gerionis ab eodem Svetonio, & alia ſexcenta, quæ ab aliis paſſim ſcriptoribus prodita reperiuntur. His addi poſſunt Cumana antra, & Præneſtinæ ſortes, ſpecus, luci paſsim & arbores; Uſque adeo totus prope terrarum orbis Oraculis refertus erat, quæ ab Ethnicis & ſumma religione colebantur, & ſummo ſtudio (*a*) conſultabantur.

III. Hæc porro Oracula de more conſulentibus reſponſa reddere fuiſſe ſolita, auctores ſunt cum Ethnici ſcri-

(*a*) Legantur Ovid. Metam. Svet. in Neron. cap. 40. Tacitus in Annal. lib. 2. Sveton. in Calig. & Tib. Val. Max. lib. I. cap. 8. Laert. in Diog. Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 23. Spart. in Adr. Herodian. lib. 5. Liv. Dec. 1. lib. 5. & alii paſſim ſcriptores Ethnici.

ſcriptores omnes, tum Catholici, ac præſertim veteres illi ſanctiſsimi doctiſsimique Eccleſiæ Patres. Ex Ethnicis quidem Cicero in ſuo Topicorum libro, ex eo ipſo diſerte affirmat Oracula fuiſse appellata, quod in illis *Deorum ineſſet oratio*. Sancti vero Patres tantum abeſt, ut idem de Oraculis non ſenſerint, ut etiam, qua potiſsimum ratione reſponſa ab illis reddi potuiſſent, inveſtigarint, & explicandum declarandumque ſuſceperint. Placet hac ſuper re in medium afferre Auguſtinum & Cyprianum, non quo horum potior hoc loco auctoritas ſit, aut eſſe debeat; ſed quia ipſos præ cæteris placet afferre, quos cum auditis, vos & Hieronymum *(a)*, & Joannem Chryſoſtomum *(b)*, & Cyrillum Alexandrinum *(c)*, & Gregorium Nyſſenum *(d)*, & Athanaſium *(e)*, & Origenem *(f)*, & Tertullianum *(g)*, & Theodoretum *(h)*, & Athenagoram *(i)*, & Minutium Felicem *(l)*, & Prudentium *(m)*, & Lactantium *(n)* audire putatote; tantus eſt in unam eandemque ſententiam omnium Patrum conſenſus, tanta tamque mirifica conſpiratio.

Augu-

(a) In Commentariis ſuper Iſaiam Prophetam.

(b) In Pſal. 44. item Hom. 29. in c. 12. ad Corinth.

(c) Comment. in Iſaiam lib. 4.

(d) Περὶ τῆς ἐγγαστριμύθου id eſt, de Pythoniſſa, quæ Dæmonem in ventre habens vaticinaretur.

(e) In tract. de Incarnat. Filii Dei.

(f) Lib. 7. contra Celſum.

(g) In Apologetico.

(h) In Pſal. 113.

(i) In Apologia.

(l) In Octavio.

(m) In Apotheoſi.

(n) De Orig. error. lib. 2. cap. 17.

IV. Auguſtinus igitur lib.viii. de Civit. Dei cap.xxiv. *Quid ſunt*, inquit, *idola, niſi quod Scriptura dicit, oculos habent, & non vident, & quidquid tale de materiis, licet affabre elaboratis, tamen vita ſenſuque carentibus, dicendum fuit. Sed immundi ſpiritus iiſdem ſimulacris arte illa nefaria colligati cultorum ſuorum animos miſerabiliter captivaverant*. Hæc Auguſtinus. Cyprianus vero lib. de Idol. vanitate; *Ibi ergo*, inquit (immundi videlicet ſpiritus,) *ſub ſtatuis atque imaginibus conſecratis deliteſcunt. Hi afflatu ſuo Vatum pectora inſpirant, fibras animant, avium volatus gubernant, ſortes regunt, oracula efficiunt, falſa veris ſemper involvunt*. Quos porro hi duo Sancti Doctores *immundos Spiritus* vocant, alii *Dæmones*, alii *Spiritus humano generi infenſos*, alii *Dæmonia*, alii demum *Spiritus dæmoniacos* appellant, ut omnes iiſdem prope verbis mentem ſuam aperuiſſe, ſententiamque declaraſſe videantur.

V. Hic vero nolite exſpectare, dum iſti tanta tamque incredibili tum Ethnicorum ſcriptorum, tum vero præſertim omnium Sanctorum Patrum conſenſione perterriti, aut hanc ipſam conſenſionem inficientur, aut aliquid excogitent atque moliantur, quo ſummam auctoritatis vim, qua plane obruuntur, aliqua ſaltem ex parte declinent ac ſubterfugiant. Certe difficile videtur robuſtis adeo ac firmis cervicibus hominem reperiri, quem tam immane hoc auctoritatis pondus non deter-

reat, & qui ſubire illud ac ſuſtinere ſe poſſe confidat. Sed tamen, ut dixi, nolite exſpectare, dum iſti tantæ auctoritatis pondere commoti illud ſubterfugere conentur ac declinare. Procedunt in medium alacres, onus ultro ſubeunt ac tollunt; & tanta objecta difficultate ne vel minimum quidem animo perturbantur. Nihil agunt obſcure, nihil callide, nihil diſſimulanter. Fatentur ſincere id, quod eſt; ultro atque aperte concedunt, Patres ad unum de Ethnicorum Oraculis idem ſenſiſſe, idem affirmaſſe, idem omnes de iiſdem uno prope ore fuiſſe locutos. Obſepto hoc aditu penituſque intercluſo, qui unus honeſto cuidam effugio patere videbatur, nunc quam viam ſingulari illi, cujus auctores dici cupiunt, ſententiæ muniant, videte, quæſo, Florentini; &, dum licet, novi hujus Criticæ generis ſpecimen capite, quæ quam temperans ſit, quam moderata, vel ex hoc uno facto cognoſci poteſt.

VI. *Quid prohibet*, inquit unus ex iſtis paullo cæteris promptior atque animoſior, *quo minus hac in re, quæ magis arridet, ſententiam poſſimus eligere?* Quid eſt hoc? *Quid prohibet, quominus hac in re ſententiam poſſimus eligere?* Multa in primis, ſi neſcis, prohibent. Prohibet ratio, de qua videbimus poſtea; prohibet totius antiquitatis auctoritas; prohibet ſcriptorum omnium tum Ethicorum tum Catholicorum conſenſus; prohibet præcipue ſanctorum Patrum mire conveniens hac in re conſpiranſque ſententia; & cum hoc tot ac tanta prohibeant,

beant, ab homine ſanæ mentis quæri poteſt, quid ſit, quod hoc ipſum vetet atque interdicat? Deinde utrum ſerio res agitur, an in cauſa gravifsima doctiſſimis ac ſanctiſſimis viris illudendi occaſio captatur? Si, ut docuimus, una omnium ſcriptorum hac de re opinio ad hoc uſque tempus fuit; neque vero tu id negas, ſed ultro fateris atque concedis; ſi omnes ſancti Patres idem ſenſerunt, idem affirmarunt, idem diſerte, idem uno ore pronunciarunt, per Deum immortalem! qui locus unquam eligendæ ſententiæ reliquus eſſe poterit? Ecquod genus electionis illud appellandum exiſtimabimus, ubi optio nulla ſit, nulla eligendi poteſtas ſiat? niſi forte hoc tu loco illam optionem appellare malis, quæ te in eas conjiciat anguſtias, ut aut idem atque omnes dicas, quod certe non vis, aut omnibus, quod velle non debes, aperte contradicas.

VII. Nam illud, quod additur, dari facultatem eligendi ſententiam, *quæ maxime arridet*, cujuſmodi eſſe dicam? Quid? in re tam gravi, tam certis auctoribus probata, tot ſententia, quæ conſignata teſtimoniis, *potiſſimum arrideat*, eligi poterit? Non igitur amplius in ſententiarum delectu certum judicium, non probabiles rationes, non firma ad perſuadendum argumenta, non auctoritatem, ſed unam libidinem tanquam arbitram noſtrarum opinionum ſequemur ac ducem? Cujuſmodi autem opiniones prodituras in lucem exiſtimabimus, quas non ratio gubernet, ſed una temeritas moderetur; quas non

 ad

ad rationem exigere, ſed ad arbitrium confingere, & perperam excogitare cuique permiſſum ſit? Præclara enim vero dux & opinionum noſtrarum moderatrix diſceptatrixque libido! ſi nos ei ſemel regendos gubernandoſque dediderimus. Et mirabimur, hoc tam gravi in re conſtituto veluti principio, ſi novæ non dicam opiniones, ſed nova opinionum monſtra atque prodigia ad ipſius Catholicæ Religionis perniciem quotidie erumpant, & majora in dies eruptura ominari poſſimus?

VIII. At *hoc*, inquit, *ad dogma non ſpectat*. Video. quid igitur? illudne ſtatim conſequetur, rem hanc eſſe hujuſmodi, ut de ea cuique liceat impune ac pro libito opinari? Nunquam profecto te tam acutum ac ſubtilem Dialecticum exiſtimaſſem, niſi te hoc novo more ratiocinationes concludentem audiſſem. Præclare enim vero hiſtoricis monumentis conſultum eſſet, ſi hæc tua ratio valeret, & cujuſque arbitrio ea, *quæ ad dogma non ſpectant*, ſive admittere ſive reſpuere conceſſum foret. Quam multa ſunt, quæ ad dogma non pertinent, quæ quidem aut ſi negaris, aut ſi etiam tantummodo in dubium adduxeris, næ tu amens eris, atque omnium judicio non reprehendendus ſolum, ſed in cuſtodiam tradendus. Ad dogma certe non pertinet extitiſſe olim Romulos, Remos, Numas Pompilios, Tullos Hoſtilios, Ancos Martios, Scipiones, Metellos, Marios, Cæſares atque Pompejos; eoſdem porro alios clariſſimos fuiſſe Reges, alios fortiſſimos Impertaores, alios alia laude com-

commendatiſſimos; hos igitur, quandoquidem iſto tuo ratiocinandi genere delectaris, negato exſtitiſſe, & illa inania ac commentitia fictorum Heroum nomina eſſe dicito.

IX. Hic autem non, opinor, aut ad omnium Hiſtoricorum auctoritatem, aut ad communem perſuaſionem confugies, quam quidem reſponſionem cæteroquin optimam, tua tibimet ipſe licentia intemperantiaque præcidiſti. Nam quid aliud tibi nunc a me objicitur, niſi hæc ipſa totius antiquitatis perſuaſio, niſi communis ſanctorum Patrum auctoritas, niſi unanimis veterum ſcriptorum omnium tum Ethnicorum tum Catholicorum conſpiranſque conſenſus? Etenim utram tandem in partem tanta hæc tamque incredibilis conſpiratio valere debet? Nonne, cum nulla potior occurrat ratio, & nihil, quod contrarium manifeſte perſuadeat, afferatur, nec vero afferri poſſit, eadem utrobique ratio eandem ad vincendum & convincendum vim debet obtinere? ut, ſi propter auctoritatem & communem perſuaſionem, quos clariſſimos commemoravi viros exſtitiſſe fateri adigeris, ſimiliter id, quod contendo, & eadem evincitur auctoritate & perſuaſione, non diffiteri cogaris?

X. Præterea, tametſi hoc ad dogma nequaquam pertinere concedam, non tamen liberum hoc ipſum uſquequaque velim tibi fingas ac ſolutum, ut cum ipſo dogmate non ſit aliquo modo implicitum & cohærens.

Non aperte quidem in ſacris Scripturis enunciatur, Dæmones inſediſſe ſtatuas, unde ab impuris ſpiritibus reſponſa conſulentibus redderentur. Sed ſi hoc ipſum Divina volumina diſerte non enunciant, tacite ſaltem indicant. Quid enim frequentius in ſacris Litteris occurrit, quam Gentium Deos eſſe Dæmonia (a)? quæ vero a Gentibus ſacrificia Idolis offerebantur, ea oblata eſſe Dæmonibus? Quid? cum Iſraelitæ ipſi redarguuntur eo nomine, quod, quas infames victimas Ammonitarum Idolis mactaſſent, eas Dæmonibus obtuliſſent. Quid? quod eadem Scriptura tradit, certos ab Ocozia Rege miſſos eſſe homines, ut Oraculum Accaron conſulerent, & reſponſa fideliter renunciarent. Quorſum Legati miſſi? quorſum conſultum Oraculum? quorſum exſpectata reſponſa? ſi mutum, ſi elingue fuiſſet Oraculum; ſi nulla dabantur reſponſa; ſi fruſtra conſulebatur. Quod Oraculum cum aliud non eſſet a Beelzebub; Beelzebub autem non Dæmonium fuiſſe ſolum ex Matthæo diſcamus, ſed etiam *Principem Dæmoniorum*, conſequitur Oraculum illud & inſeſſum fuiſse a Dæmone, & per eundem reſponſa conſulentibus reddita. Non igitur res hæc, etiamſi dogmate non contineatur, eſt hujuſmodi, ut

(a) *Pſal.*. 95. *v.* 5. Omnes Dii gentium Dæmonia. *Pſal.* 105. *v.* 37. Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas Dæmoniis. *Deut.* c. 32. *v.* 27. Immolaverunt Dæmoniis, & non Deo. IV. *Reg.* c. IV. 2. Ite conſulite Beelzebub Deum Accaron, num vivere queam de infirmitate hac, & *v.* 3. Numquid non eſt Deus in Iſrael, ut eatis ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron? *Matth.* 12. *v.* 24. Hic non ejicit Dæmonia, niſi in Beelzebub principe Dæmoniorum.

ut quivis impune prorſus de ea ac libere poſſit opinari. Catholicum enim hominem non expreſsam ſolum, ſed tacitam etiam revereri ſacrarum Scripturarum auctoritatem omnino decet, & vero etiam oportet.

XI. Verum præſtat tandem aliquando graviſſimi viri hac ſuper re audire ſententiam. *Non eſt*, inquit, *cur*, *quod Antiſtitum & Sacerdotum aſtu ac fraude fieri potuit, illud Dæmonibus immundiſque ſpiritibus tribuamus*. En præclara ſapientis & moderati Critici ſententia; en inventum ſingulare; en novum pulcherrimumque cogitatum. Quid hoc loco dicam, Florentini? quandoquidem res eſt hujuſmodi, nihil ut in eam, quod quidem gravius ac vehementius dici poſſit, non convenire videatur. Quid? Idcircone a communi tot ſapientiſſimorum ac ſanctiſſimorum Patrum ſententia, a graviſſima totius antiquitatis, ac veterum ſcriptorum omnium auctoritate recedere oportuit, ut non dicam novam aliquam opinionem, ſi minus probabilem, at tolerabilem ſaltem, ſed opinionis monſtrum quoddam atque prodigium in medium afferres? Vide porro ac perſpice, quid oſtendendum ſuſceperis; vide, quid oneris tibimet ipſe impoſueris, cui haud ſcio an ferendo eſſe poteris; ut præſtabilius ſane fuerit illud non ſuſcepiſse, quam ſemel ſuſceptum cogi cum ignominia deponere atque abjicere. Illud enim docere debes, atque adeo demonſtrare, ſi fidem aliquam ſententiæ iſti tuæ conciliare velis; Tantum aſtu, dolis atque menda-

ciis Ethnicos Sacerdotes valuiſse, ut non uni vel alteri ſæculo, ſed duobus, ſed tribus, ſed quatuor, atque adeo eo amplius annorum millibus; non uni aut alteri nationi, ſed nationibus univerſis; non in una ſolum aut altera orbis parte, ſed ubique gentium atque terrarum, tota nimirum Europa, Africa, Aſia, & incomperta antiquis, nunc vero nobis cognita America; non barbaris tantum incultiſqe populis, ſed cultiſſimis & nobiliſſimis gentibus; non ſolum credulis ſenibus, non rudi vulgo, non imperitis mulierculis, ſed omnibus omnium ordinum præſtantiſſimis doctiſſimiſque viris, Regibus, Ducibus, Imperatoribus, Philoſophis, Oratoribus, Hiſtoricis, Poetis, omni denique hominum generi, Ægyptiis, Syris, Caldæis, Hircanis, Parthis, Medis, Perſis, Arabis, Indis, Gallis, Britannis, Germanis, Hiſpanis, præſertim vero Græcis, & Latinis, a quibus in omne hominum genus omnis humanitas ac ſapientia effluxit & derivata eſt, nullo non tempore flagitioſiſſime turpiſſimeque, addam etiam ad majus orbis terrarum univerſi dedecus atque infamiam, feliciſſime impoſuerint.

XII. O rem novam! o rem prorſus inauditam atque incredibilem! Tantumne aliquot Sacerdotes cogitare potuiſse? tantumne eſse auſos? tantumne fuiſse aſsecutos, ut omne hominum genus deceperint, fefellerint, in fraudem induxerint? Paucorumne hominum aſtu ac dolis omnes homines illuſi? paucorum mendaciis

çiis orbis terrarum deceptus univerſus? Et hoc quiſquam credet? quiſquam ſibi perſuaderi ſinet? quiſquam erit tam patulo gutture, qui talem ac tantam abſurditatem uno eſu deglutiat? cujus guttur, ut profundiſsimus gurges ſit & immenſa vorago quædam, tamen arbitror tam immane atque horrendum capere monſtrum non poſse. Tu vero id docere? tu id oſtendere? tu planum facere? tu demonſtrare poteris? ut omnes undique rationes conquiras, ut omnia argumenta colligas, ut omnes locos ad conciliandam fidem a Rhetoricæ artis magiſtris inventos adeas, ſcruteris, effodias, egeras, ut ingenii tui vires omnes nervoſque contendas. Age ſis, vide, quære, perveſtiga, ſi quid forte, occurrat, quod commode poſſis dicere. Refer te ad illos ipſos tuos Sacerdotum dolos atque fallacias, eaſque in ſubſidium voca, & experire an; ut illi toti orbi feliciter impoſuerunt, ſic tu quoque nobis æque feliciter poſſis imponere. Illud enim docere ac demonſtrare neceſſario debes, aut aliquot Sacerdotes ita aſtutos fuiſſe & callidos, ut omnes homines ſoli circumvenerint, aut contra omne hominum genus ita ſtupidum fuiſſe ac ſtolidum, ut ab aliquibus tantum Sacerdotibus facile potuerit circumveniri. Unum ex his duobus, quandoquidem tantopere, ut paullo ante vidimus, optione delectaris, eligere nunc adigeris, unum de duobus docere cogeris ac demonſtrare. Eligito igitur, quod libet; utrum elegeris contra te futurum, opi-

opinor, vides; de neutro autem non eſt cur cogites. Quamobrem quem in locum, ubi nullus patet exitus, unde honeſte poſſis evadere, progreſſus ſis, non dubito, quin ipſe intelligas ac plane ſentias. Quid igitur attinuit in re vetere novum figmentum comminiſci? Quid veterem repudiare, & novam adoptare opinionem? niſi ut, dum nimium Sacerdotum calliditati tribuis, tibi ipſe, nomini tuo exiſtimationique detraheres.

XIII. At inquies, hoc eſt Idolorum Antiſtites improbiſſimos homines ac nequiſſimos omni improbitate nequitiaque abſolvere. Immo vero hoc eſt tot ſapientiſſimos Ethnicos, Ægyptios præſertim, Græcos, & Latinos, qui illis ſæculis ingenio, doctrina, eruditione, ſapientia, omnium bonarum artium ſtudiis ſupra omnes gentes floruerunt, viros & ad excogitandum ſagaciſſimos, & ad ſuſpicandum acutiſſimos turpiſſimæ credulitatis ſtoliditatiſque damnare; hoc eſt eandem ſtoliditatis calumniam ſapientiſſimis Eccleſiæ Patribus inferre, eiſque graviſſimam injuriam irrogare, quorum hac in re auctoritas negligitur, ſapientia contemnitur, teſtimonium repudiatur. Hoc primum; deinde ſi recte attendis, ego non Idolorum Sacerdotes improbitate nequitiaque abſolvo, ſed te dementiæ ſtultitiæque condemno. Do, uti te velle intelligo, Ethnicos Sacerdotes impuriſsimos fuiſſe homines, do nocentiſsimos, do avariſsimos, furaciſsimos, do omni ſcelerum genere coinquinatos; do etiam, quod tu maxime expetis, ab ipſis aſtus & fraudes

des ad animos hominum pervertendos adhibitas. Quid tum? Vide, quid dicam, ſemperne eoſdem fraudibus? ſemperne aſtu? ſemperne mendaciis uſos fuiſſe dicemus? Hoc dici non poteſt. Dico igitur, ad fraudes atque fallacias confugiſſe; ſed non ſemper, ſed interdum, ſed tantum cum eis ſe dexter locus & commoda offerebatur occaſio. Addo etiam præterea has ipſas fraudes fuiſſe nonnunquam ſummo cum ipſorum dedecore vulgatas ignominiaque detectas. Notum eſt illud, quod Beli Sacerdotibus contigiſſe ſacræ Litteræ (Dan.XIV.) tradunt, qui noctu clam per pſeudothyrum in templum ſubeuntes, quos cibos quam lautiſsime magnificentiſſimeque apparatos Aſſyriorum Rex Belo apponendos curabat, abligurirent; quorum quidem fraus ſubtiliſsimo Dianelis conſilio detecta fuit, eorumque improbitas a Rege merita morte ſupplicioque mulctata. Quare quod ab impuriſsimis & edaciſsimis Beli Sacerdotibus factitatum fuit, hoc idem non alienum a reliquorum etiam Sacerdotum moribus fuiſſe concedo.

XIV. Sed, ſi recte animadvertis, in hoc noſtra quæſtio non vertitur; neque hac in re ego a te diſſentio, immo vero mihi tecum convenit. Igitur ad id, quod dico, animum aureſque erigito. Dico te, ut id, quod poſuiſti, aliqua ratione confirmes, docere omnino debere Idolorum Sacerdotes nunquam non fraudibus eſſe uſos, Oracula omnia Antiſtitum aſtu ac dolo fuiſſe reddita. Quod ſi aliquando malos Dæmones, aut in partem flagitioſiſſimi

ſimi operis fuiſſe vocatos, aut ſua ſponte veniſſe conceſſeris, non eſt, cur neges Oraculorum reſponſa Dæmonum præſtigiis, non quidem ſingillatim, quod non eſt neceſſe, ſed univerſe ac generatim eſſe tribuenda. Quo ſemel conceſſo, omnis iſta tua machinatio corruit, & ita corruit, ut in machinatoris ipſius recidat caput, & ſua Architectus ipſe obruatur atque obteratur machinatione.

XV. Quanquam quid eſt, quod diutius diſsimulem? Dicam id, quod eſt, Florentini, dicam clare, dicam aperte; nec de re graviſsima & maxima, quæ unumquemque noſtrum commovere ſummopere debet, reticebo. Quo quidem loco non jam amplius ego te, ſed illum potius alloquar, cujus ſententiæ, ſanctorum Patrum auctoritate neglecta, ſubſcripſiſti, cujus etiam libellum pene totum exſcripſiſti, qui, ut tute ais, ingenii, ut ego ſentio, intemperantiæ tibi palmam præripuit, illum inquam Hæreticum Anabaptiſtam appellabo, cui cum ob eam, quæ mox indicabitur, cauſam Dæmones illi atque immundi ſpiritus vehementer incommodarent, idcirco eos omni ſtudio ac contentione ab Idolorum ſimulacris, ab arboribus, a ſpecubus, a fontibus omni contentione arcendos removendoſque curavit. Non hòc illi ſententia Patrum diſplicebat, quod aut eſſet falſa, aut minus rationi conſentanea; neque enim credibile eſt, eum in re clara atque perſpicua tam parum vidiſse; ſed, quod Hære-

ticum hominem Catholicæ Religioni infenſum, torquebat maxime ac diſcruciabat, illud erat, quod, qui Patres Dæmonum arte atque præſtigiis fundi Oracula affirmaſſent, iidem hos ipſos Dæmones poſt ſalutarem ac vivificum Chriſti Domini Reparatoris noſtri adventum a Deorum ſignis ac ſimulacris pulſos exterminatoſque, & tunc primum loquaciſsimis ac mendaciſsimis fuiſse Oraculis ſilentium indictum uno ore ſimiliter affirmarent. Non ignorabat ille quidem, hac ſuper re inter cæteros ſententiam ſuam declaraſſe Athanaſium (a), Cyrillum Alexandrinum (b), Tertullianum (c), Hieronymum (d), Lactantium (e), Minutium Felicem (f), & omnium elegantiſſime Prudentium (g) illis carminibus;

Delphica damnatis tacuerunt ſortibus antra;
Perdidit inſanos mendax Dodona vapores;
Mortua jam mutæ lugent Oracula Cumæ,
Nec reſponſa refert Libycis in ſyrtibus Ammon.

XVI. Neque vero ad ejuſdem notitiam teſtatiſsimum illud pervenire non potuit, atque adeo debuit, quod Juliano Apoſtatæ accidiſſe narratur, cum ejus facti locupletiſsimos teſtes haberet Jo. Chryſoſtomum (h), Theodoretum (i), Sozomenum (k), Socratem (l), & omnium noviſsime Baronium (m). Nam cum Julianus Apollinem con-

(a) De Incarnat. Verbi Dei.
(b) Comment. in Iſ. & Orat. 2.
(c) In Apologetico.
(d) In cap.41. Iſaiæ.
(e) Lib.4. Div. Inſtit. c.27.
(f) In Octavio,
(g) In Apotheoſi.
(h) De S. Babyla Ep. & Mart.
(i) Hiſt. lib.10.
(k) Hiſt. lib. 5. cap. 19. 20.
(l) Hiſt. lib 5.
(m) Anno 362.

conſuleret, & Oraculum de more expeteret, Apollinem ipſum miratus elinguem, non aliud reſponſum tulit, niſi ſibi a Babyla Sanctiſsimo Epiſcopo Antiocheno & invictiſsimo Martyre os eſſe obſtructum. Quo quidem facto nihil illa ætate illuſtrius fuit, nihil magis omnium linguis ſermonibuſque celebratum. Julianus vero tantum abfuit, ut ſanctiſsimo Martyri, qui loquaciſſimo Dæmoni linguam præciderat, iraſceretur, ejuſque ſacros cineres perderet, ut potius ejuſdem Martyris reliquias contra Ethnicorum omnium exſpectationem atque adeo voluntatem, ipſis nequidquam reclamantibus ac contradicentibus, eo quidem loco movendas, ſed in veterem ejus nomini Antiochiæ conſecratam Baſilicam transferendas honorifice aſportandaſque curaverit. Quo in facto omnipotentis Dei numen maxime eluxit & poteſtas declarata fuit, qui tanto prodigio & vim ſuam oſtendit, & præclariſsimum Catholicæ Religionis æque a malo Dæmone, atque ab homine nequam & ipſi Dæmoni amico & ejuſdem Religionis acerrimo hoſte luculentiſsimumque teſtimonium extorſit.

XVII. Hæc, aliaque hujuſmodi, quæ hic commemorare non eſt neceſſe, homo non ineruditus ignorare non poterat; ſed, quod Catholicum nomen oderat, & hæreſi pertinaciſsima implicitus erat, hoc, inquam, tale ac tantum Catholicæ Religioni teſtimonium invidit. Uſsit nimirum hominem Heterodoxum ac

ac pupugit, ipſis Dæmonibus internunciis pateſieri veritatem, quam, ſi quomodo poſſet, ſuis ipſe cogitatis obruere conabatur; cui quidem neminem, qui ſano ſenſu uteretur, adſtipulatorem præbere ſe, ſubſcriptoremque oportebat; hominem vero Catholicum nullo modo decebat. Hinc illæ Sacerdotum fraudes, hinc illi doli perperam excogitati, hinc inepti aſtus illi atque fallaciæ, hinc vel ipſi Dæmones ſcelere nequitiaque abſoluti, hinc denique præclara iſta, de qua ſatis multa dixi, contra omnium veterum ſcriptorum opinionem, contra ſanctorum in primis Eccleſiæ Patrum auctoritatem perperam excogitata, & tandem poſt tot ſæcula nova plane ac monſtroſa derepente exorta ſententia (*a*).

XVIII. Verum an hoc ſolum Catholicæ Religioni teſtimonium auferendum iſti eripiendumque curarunt? Quid illud longe luculentiſſimum nobiliſſimumque de Sibyllis? At quemadmodum! Deus immortalis! quam licenter! quam intemperanter! quam nulla, non dicam aliquo modo probabili, ſed ne tolerabili quidem ratione! Etenim ſi ſententiam de Oraculis Ethnicorum, de qua jam audiſtis, cum hac de Sibyllis, de qua nunc dicturus ſum, conferre volueritis, hanc præ illa multo ſuperiorem licentia intemperantiaque reperietis.

Ve-

(*a*) Qui plura ſuper Ethnicorum oraculis deſiderat, legat Joan. Franc. Balthus S. J. in Reſponſione adverſus Hiſtoriam Oraculorum ab N.N. conſcriptam. Hoc opus eximium & eruditiſſimum duobus tomis comprehenſum prodiit in lucem Straſburgi anno 1707.

XIX. Vetus eſt opinio, quæ antiquiſſimis litterarum monumentis continetur, Ethnicas quaſdam exſtitiſſe Virgines, quas ferunt divino Numine afflatas futura præſenſiſſe, ac multa præſertim de Chriſto Domino Reparatore noſtro Jeſu Chriſto, ejuſque Sanctiſſima Genitrice Virgine Maria fuiſſe vaticinatas. Propter hujus opinionis vetuſtatem, propter rerum prædictarum ſanctitatem opinio iſta uſque ad ſæculum ſextum decimum viguit; & tanto temporis intervallo nemo exſtitit tam effuſe intemperans, qui rem tam certam atque teſtatam, tanta tamque diuturna atque inveterata tot ſæculorum auctoritate roboratam, non dicam infringere, ſed ne attentare quidem auſus ſit. Res igitur fuit hæc olim omnino certa, & ante tempus illud, quod indicavi, a nemine negata, a nemine in dubium, aut vero etiam in minimam dubitationis ſuſpicionem adducta. Conſtat enim Sibyllinos libros, cum ab Ethnicis omnibus, tum etiam, quod noſtra maxime intereſt, a Sanctis Patribus magno ſemper in pretio fuiſse habitos. Nam & ab hiſce libris firmiſsima ad Catholicæ Religionis adſtruendam veritatem confirmandamque teſtimonia ſumpſerunt; & in iis tantum ineſse auctoritatis pondus exiſtimarunt, ut Ethnicos ipſos vehementer hortari, atque adeo impellere non dubitaverint, ut eos libros adirent, eos legerent, eos attentius inſpicerent, & quid demum de Catholica Religione ſtatuendum eſset, etiam atque etiam conſiderarent;

quæ

quæ teſtibus adeo certis atque idoneis ad eos revincendos uteretur, quos nimirum non ipſa de ſinu ſuo apponeret, ſed de ipſorum numero daret atque produceret. Hos minime ipſis ſuſpectos eſſe debere, hos ab ſe corrumpi, hos ad tempus accommodari omnino non potuiſſe; viderent proinde, quid agerent, quid ſibi conſilii in negotio ſummi momenti capiendum exiſtimarent. Quæ quidem ſi ita ſe res haberet, ut in controverſiam vocari nullo modo poſſet, neque de ejus veritate dubitari, ſi in hoc negotio bona fide ageretur, ſi omnis mala fraus & dolus abeſset; darent tandem aliquando manus, nec veritati diutius, quam a ſuiſmet popularibus aſſertam ac confirmatam viderent, pugnacius obſtinatiuſque obluctarentur.

XX. Hæc de libris Sibyllinis ſenſiſſe Patres, his ad convincendos Ethnicos fuiſse uſos, & ad hos libros, tanquam ad certos & incorruptos veritatis teſtes, Ethnicos ipſos rejeciſſe adeo exploratum eſt, ut id ne vel ipſi quidem adverſarii inficientur, qui neſcio quo pacto fieri dicam; ut, cum fere omnia aut negare, aut in dubium revocare ſoleant, ſæpe tamen cum ad auctoritatem venitur, non inſtitutum tenent, & his nominatim in rebus, in quibus univerſi conſenſerunt Patres, unanimem eorum fuiſſe ſententiam, ſponte ſua atque ulla ſine tergiverſatione concedant. Quod quidem utrum honorificæ, quam de Patribus habent exiſtimationi, an ſingulari cuidam modeſtiæ tribuendum putem, non

facile dixerim. Ipſorum verba recitabo, quo vos & rem definire, & præclaram, quam de ſanctiſsimis illis doctiſsimiſque viris modeſtiſsimi ac temperantiſsimi homines foveant opinionem, per vos ipſi liquido cognoſcere poſsitis.

XXI. *Non eſſe*, inquiunt, *quid Patres de libris Sibyllinis ac vaticinationibus ſenſerint, magnopere laborandum*. Quid hoc eſt? Male enim vero exordiuntur. *Quid de libris Sibyllinis Patres ſenſerint, non eſſe magnopere laborandum?* Non igitur, iſtis auctoribus, Patres idonei erunt, qui audiantur, quorum ſententia exquiratur, & auctoritas plurimi facienda in hujuſmodi controverſia exiſtimetur? Cur? qua de cauſa ſanctiſſimorum doctiſſimorumque virorum in re, quæ Catholicam Religionem maxime attingit, negligendum erit contemnendumque judicium? Qui erunt per iſtos idonei, qui audiantur, his ſi in rebus ſententia Patrum teſtimoniumque repudietur? Sed præſtat audire reliqua, quæ principio concordant & mirifice conſonant. *Patres*, inquiunt, *vulgi rumores plus nimio aucupari, & res non ſatis accurate ad recentis Criticæ trutinam exigere fuiſse ſolitos, compertum exploratumque eſt; eos videlicet illud unum habuiſſe propoſitum, ut Catholicam Religionem propagarent, de ratione autem ac via, qua id potiſſimum aſſequerentur, non admodum fuiſſe ſollicitos*. Hæc iſti; omnino illi, ut videtis, quo uſi ſunt, exordio conſentanea.

Quid

XXII. Quid hoc loco primum? quid poſtremum reprehendam, Florentini? Quæ verba ſatis idonea ad caſtigandam tantam coercendamque licentiam reperire me putem poſſe? Moderabor mihimet ipſe quidem, quoad potero, in verbis; & illa audaciæ, improbitatis, temeritatis, petulantiæ, impudentiæ, aliaque hujuſmodi ad tantam importunitatem reprimendam facta vocabula, de mea oratione tollam prorſus atque præcidam, ne ejus temperantiæ, quam ab iſtis flagito, oblitus videar, & in eo peccem, in quo iſtos reprehendo. Sed tamen quî facere poſſum, quin dolori meo tam pia præſertim ac juſta de cauſa ſuſcepto paream, & in ſumma animi ægritudine vehementius conquerar atque vociferer? Quid? ſanctiſſimoſne Patres? doctiſſimoſne Viros? Eccleſiæne Antiſtites? Catholicæ Religionis Doctores, Propagatores, Propugnatores tam ſuperbe ac licenter appellari? At a quibus? Ab Heterodoxis, credo, hominibus, qui, ejurata Catholica Religione, Catholicæ ipſius Religionis vindicibus atque aſſertoribus nefarium perpetuumque bellum indixerunt, qui quorum Orthodoxam oderunt Fidem, eorum contemnunt ſapientiam, & quorum premi ſe atque opprimi ſentiunt auctoritate, eorum modis omnibus minuere exiſtimationem contendunt? Immo vero, o rem miſeram ac maxime luctuoſam, & nunquam ſatis deplorandam! ab iis ipſis, qui minime omnium debuiſſent, qui in Eccleſiæ ſinu

S 2 nati,

nati, alti, atque inſtituti nobiſcum ſunt, & ſe Catholicos dici volunt ac profitentur. Iſtis porro tot ampliſsimos graviſsimoſque viros prope ludibrio eſſe; Catholicæ Eccleſiæ Patres non, uti par eſt & pietas flagitat, obſervari, quis tandem æquo animo ferendum putet? Etenim, amabo vos, Florentini, in tanta indignitate atque atrocitate injuriarum lenti ac diſſoluti, ſi cupiamus, eſſe quî poſſumus? Ego certe, quoad ſpiritus & vita ſuppeditabunt, tantam ſine merita reprehenſione elabi intemperantiam, non patiar, non feram, non ſinam. Non committam ut in graviſſima cauſa, apud Catholicam concionem, apud Catholicæ Religionis ſtudioſiſſimos Judices remiſſioris ac diſſolutioris animi nomine merito coarguar atque condemner. Præſtat quaſcumque ſubire inimicitias, quæcumque adire diſcrimina, quam nullam in tanta ſanctiſſimis ac doctiſſimis viris obloquendi libertate vocem mittere, vocem, inquam, teſtem cum doloris mei, tum etiam meæ erga veteres Patres & Eccleſiam univerſam obſervantiæ.

XXIII. Nam, per Deum immortalem! quæ voces? quæ verba ſunt iſta? *Patres plus nimio vulgi rumores aucupari ſolitos*; *Patres res accuratius expendere non conſueſſe*; *Patres recentis Criticæ regulas ignoraſſe*; *Patres de modo amplificandæ Catholicæ Religionis non laboraſſe*. Quid intereſt, utrum iſta dicatis in Patres, an eos nullius ingenii, nullius conſilii, indoctos, imperitos

tos, vecordes fuiſſe affirmetis ? nihil recte examinare, nihil expendere noviſſe, nihil certo definire judicio? Quid? voſne igitur ſoli rerum momenta penſitare ? ſoli artis criticæ leges ? ſoli jura ? ſoli præcepta noritis ? Ingens, ſuperba, immoderata, & non ferenda gloriatio. Ecquid unquam, lutei homines, in litteris atque doctrina tantum profeciſtis, ut non dicam mortalium ominum ſapientiſſimis anteponendi, ſed cum iis aliqua vel minima ſaltem ex parte aut ingenio, aut bonarum artium ſtudiis, aut etiam iſta ipſa, qua tantum ſubnixi ambulatis, arte critica comparandi eſſe videamini ? Quis veſtrum Auguſtino (*a*) ſubtilior ? quis Hieronymo (*b*) ingenioſior ? quis Origene (*c*) doctior ? quis Theophylo (*d*) Antiocheno, Clemente Alexandrino (*e*), Juſtino (*f*) Proſpero (*g*) Lactantio (*h*) ſapientior ? Atqui omnes hi vaticinationes iſtas, de quibus dico, unanimi conſenſu Sibyllis adjudicarunt, vos contra intoleranda licentia abjudicatis.

XXIV. Quod vero addunt, *Patres rumores vulgi plus nimio aucupari ſolitos, & de modo amplificandæ Religionis non laboraſſe*, ad quem tandem intemperantiæ gradum pervenire dicam ? Quid ? graviſſimos & ſanctiſſimos viros *de modo amplificandæ Religio-*

(*a*) De Civit. Dei lib.18. cap.46. & 47.
(*b*) Contra Jovinianum.
(*c*) Lib.7. contra Celſum.
(*d*) Lib.2. ad Autolycum.
(*e*) Lib.6. Stromatum.
(*f*) In Apolog. 2. ad Antoninum Pium Imp.
(*g*) De Prædeſt. par.2. cap. 19.
(*h*) Lib.4. de ver. ſap. cap.15.

ligionis non laboraſſe ? eam ad illum finem obtinendum rationem adhibuiſſe, ut *vulgi rumores plus nimio aucuparentur* ? hos adverſariis ſuis opponerent ? his eos adorirentur ? his denique eoſdem ſibi eſſe convincendos exiſtimarent ? Præclara enim vero propagandæ Catholicæ Religionis ratio, ſi hanc Patres tenuiſſent, ab ipſis fuiſſet inita; perinde quaſi Catholica Religio vulgi auctoritate niteretur. Multum ſane apud Ethnicos profeciſſent, ſi ſe cum iis iſto geſsiſſent modo, a quibus etiam irrideri, & magno cum dedecore ignominiaque repelli potuiſſent. Si igitur his, de quibus dicimus, teſtimoniis ad Catholicam veritatem confirmandam Patres uſi ſunt, ſi ea Ethnicis objecerunt, ſi ad eadem Ethnicos ipſos adegerunt, reliquum eſt, illa rumores vulgi neque Patres exiſtimaſſe, neque vero pro vulgi rumoribus ab Ethnicis ipſis fuiſſe habita. Cur igitur ? quam ob cauſam ? quem ad finem tot in Patres jactatæ contumeliæ ? cur eorum nomini, famæ, ſapientiæ, auctoritati, ſanctitati irrogata injuria tam gravis, & tam atrox illata calumnia ?

XXV. Abjudicatis hoc, quo audiſtis, modo a Sibyllis vaticinationibus his, de quibus loquimur, cui potiſsimum eas adjudicarint, videamus. *Cæterum*, inquiunt, *non dubium, quin hæ vaticinationes purum merumque commentum ſint Chriſtiani neſcio cujus primis Eccleſiæ ſæculis otio & litteris perperam abutentis*. Audio. Verum, quî hoc probatis ? quî docetis ? qua ratione

ne oſtenditis ac planum facitis? Quis tandem iſte *Chriſtianus* fuit, cujus nomen ignoratis? ubi natus? ubi inſtitutus? ubi græcis litteris eruditus? quæ provincia? quæ regio? quæ urbs? hominem hunc ſine nomine in lucem edidit. Nonne vos hæc omnia non indicare ſolum, ſed etiam clare, aperte & diſtincte proferre deberetis, ut aliquam ſaltem veritatis ſpeciem huic veſtræ ſententiæ inducere, & eam aliquo modo credibilem reddere poſſetis? Singularis iſta veſtra ſententia eſt, ut vos ipſi fatemini; quapropter vobis non facio injuriam, ſi ſingularis ſententiæ ſingularia documenta requiro ac flagito. Vos autem ſola enunciatione contenti eſtis; perinde quaſi vobis affirmantibus aliquid, & non docentibus fides illico adjungenda foret, &, quod dicitis, tanquam Oraculum habendum ſtatim eſſet ac venerandum. An obliti eſtis, Oracula omnia a vobis paullo ante de medio fuiſſe ſublata? An idcirco ea Dæmonibus & immundis ſpiritibus eripuiſtis, ut vobis ea ſolis propria faceretis?

XXVI. Sed inquirendo pergamus ulterius. Quæro igitur, quandoquidem commentum hoc *Chriſtiani*, ut dicitis, hominis fuit, ecquando commentum hoc ipſum vulgari, legi, in manibus hominum eſſe cœperit? *Primis Eccleſiæ ſæculis*. Audio. Verum, quo? primone? an altero? an tertio? an quarto denique? Quid? hæretis, hæſitatis, & quid de tempore, quo præclarum hoc opus publici juris factum ſit, certi ac definiti

conſtituatis, non habetis. Miror ſane, vos, qui tempora ſollerter inquirere, acute diſtinguere, & accurate ſignare gloriamini, miror, inquam, nihil certi de tempore, quo præclarus hic harum vaticinationum auctor floruit, proferre poſſe. Ubi nunc illi veſtri, quos toties appellatis, *Synchroni* auctores? ubi illa *autographa*? ubi prima *apographa*? aliaque hujuſmodi, quæ ſoletis tanta importunitate ab aliis expetere atque efflagitare? Hic nihil horum profertur, nihil occurrit, exhibetur nihil. Non tempus, non locus, non ipſum nomen deſignantur. Nonne vos hæc omnia, quibus illuſtrari veritas ſolet, & ad rerum, quarum diſquiſitio inſtituitur, caput certo perveniri, indicare, docere, demonſtrare; appellare perſonam, notare genus, patriam, locum, regionem, urbem oſtendere, definire tempus oporteret; ut fidem aliquam ſingulari huic veſtræ ſententiæ conciliare poſſetis?

XXVII. At res eſt vetuſtior atque ab omni memoria remotior, quam ut hæc tam exilia atque minuta ſciri atque indicari a quoquam poſſint. Quid? Minuta atque exilia vobis ea videntur eſſe, ſine quibus tanta illuſtrari veritas nullo modo poteſt? Non ego, ſi recte attenditis, minuta a vobis quæro, non exilia flagito; ſed ea, quæ neceſſario afferri debent ab iis, qui novam, ſingularem, & hactenus inauditam contra omnium ſæculorum auctoritatem confirmare aliquo modo ſententiam veliat. Novitas ipſa ſententiæ facit, ut ego

iſta

iſta ipſa a vobis flagitem, quæ in alia controverſia prætermittenda exiſtimarem. Cur igitur, ſi res vetuſta eſt, uti dicitis, tantum vobis ſumitis, ut ejus cognitionem vobiſmet ipſi tanto poſt tempore arrogetis? cur vetuſtiſsimæ rei vetuſtiſsima, quæ ego profero, & vos proferre non poteſtis, teſtimonia repudiatis? Quid eſt, quod de illa tanquam de recenti judicium inſtituitis? quid eſt, quod in re vetere non veterum teſtimonia accipitis; in re vetere novum commentum confingitis; in re vetere omnium veterum Patrum auctoritatem negligendam putatis? Ego ſcilicet veſtro recenti judicio in re vetere mihi ſtandum eſſe arbitrabor? & vetera ipſa Patrum teſtimonia præ nova veſtra opinione negligenda ducam? Patrum, inquam, quos conſtat illis ipſis ſæculis, quibus Sibyllæ floruerunt, multo proximiores, quam vos, vixiſse, & magna cum doctrinæ laude, & ſanctitatis commendatione vixiſſe; quos Sibyllinos libros in manibus habuiſſe, legiſse, pervolutaſse ex ipſorum teſtimonio compertum eſt, qui in iis nihil falſi, nihil ſimulati, nihil commentitii deprehenderunt, qui denique eos libros, uſque adeo illorum veritas explorata erat, Ethnicis legendos exhibere, ad eoſque tanquam ad certiſsimos Catholicæ Religionis teſtes provocare Ethnicos ipſos non dubitarunt.

XXVIII. Dicunt, hujuſmodi libros tanta cura a Romanis fuiſſe cuſtoditos, ut eos nemo adire, nemo legere, nemo inſpicere potuerit. Quid? eos nemo le-
ge-

gere ? nemo inſpicere ? nemo adire ? Excipient opinor multos ex Ethnicis, & Catholicis (*a*), qui eos libros & vidiſſe ſe, & legiſse, & inſpexiſse diſerte teſtantur. Doceant iſti Sibyllinos libros ab Ethnicis & adiri & legi potuiſse, a Patribus vero non potuiſse. Doceant, ſi ipſa *autographa*, propter diligentem cuſtodiam adiri, legi, inſpici non potuerint, quid cauſæ fuerit, cur deſcripta ab iis exemplaria & haberi & legi & commode inſpici ac conſiderari nequaquam potuerint.

XXIX. At hi libri eodem, quo Capitolium conflagravit, incendio abſumpti ſunt. Si igitur incendio abſumpti ſunt, ii certe ante incendium exſtiterunt. Si enim nulli fuiſsent, conflagrare profecto cum Capitolio non potuiſsent. Verum eſto, abſumpti fuerint, conflagrarint. Quid igitur? Nullane toto terrarum orbe eorundem reliqua fuiſſe exemplaria cenſendum erit? quibus aliquo modo tanta reparari jactura potuerit. Exſpecto quid dicant. Si concedunt; non eſt, cur nobis hoc Capitolii incendium ac flammas opponant. Si negant; quid fuit? quamobrem Auguſtus Legatos in Aſiam, in Africam, atque Erythram hos ipſos libros quæſitum mitteret, & ubique terrarum ſummo ſtudio

(*a*) Non deſunt, qui ad confirmandum hoc ipſum Virgilianos illos verſus Eclogæ quartæ a Poeta Salonino Poliionis filio accommodatos a Sibylla Cumana deſumptos contendunt, alii autem negant, & ab Heſiodo fuiſſe deſcriptos volunt. Cæterum Conſtantinus Auguſtus in Oratione, ut eſt apud Euſebium, habita ad Sanctorum cœtum meminit Sibyllæ Erythrææ, ejuſque nonnullos verſus refert, in quibus nominatim Jeſus Chriſtus deſcribitur. Vid. Nat. Alex. tom.3. ſæc.1. Diſſ.1.

dio conquirendos ac Romam aſportandos curaret? Exſtare igitur exemplaria putabantur, ſi tanta diligentia conquirebantur. Studium vero inquirendi ipſum, magno ſemper in pretio libros iſtos fuiſſe habitos, ac proinde, ne prorſus interirent, ſæpius fuiſſe deſcriptos clare aperteque demonſtrat.

XXX. Jam omnibus excluſi rationibus ad neſcio quæ ipſis incredibilia confugiunt. *Quis credat*, inquiunt .... Nemo ſane, qui uti vos, nihil credere, omnia in dubitationem adducere, negare omnia in animum induxerit. Verum age, quid hoc rei eſt, 'quod omnem adeo fidem ſuperet, ut credi non poſsit? Quis credat, inquiunt, Virgines Ethnicas (*a*) divino numine afflatas tantorum fuiſſe conſcias myſteriorum? Primum credent omnes, præter vos, qui pene nihil credere, omnia tanquam falſa reſpuere conſueſtis. Credent deinde quotquot ſacrorum Codicum non ſunt ignari, & aliquid de Balaamo impio homine legerunt, cujus pervulgatum illud de Chriſto Vaticinium exſtat; *Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget Virga de Iſrael*. Credent præterea, qui Theologiam vel primoribus, ut ajunt, labiis attigerunt, qui non ignorant Prophetiæ, quæ vocatur, donum non eſſe

(*a*) Sibyllas Prophetiæ donum Virginitatis merito conſecutas, auctor eſt Hieronymus lib. I. adverſus Jovinianum. Hieronymo Criticus quidam refragatur, & tanti Doctoris inanem hanc eſſe commentationem affirmare non dubitat. Hujuſmodi annotationibus totum hoc opus explere potuiſſem, niſi lex, quam mihi met jam ab ipſa hujus præfatione operis indixi, ſive verius Auctor ipſe Editori indixit, vetaret.

eſſe hujuſmodi, quod hominem Deo conciliet & amicum reddat; qua de cauſa homini nequam, ſine divinæ ſanctitatis injuria, tribui poteſt. Hoc Theologi unanimi ſententia docent; *Prophetiam* nimirum, ut loquuntur, *eſſe donum non gratum faciens, ſed gratis datum*; unde recte colligit S. Thomas a ſanctitate morum eſſe poſse ſejunctum; quod ſummus ille Doctor ac plane *Angelicus*, ſed bonus videlicet vir, qui ex iſtorum ſchola non prodierat, nec recentibus novæ hujus artis criticæ præceptis inſtitutus erat, allato Sibyllarum exemplo confirmat. Hoc autem, quod a tam multis creditur, non eſt cur ego magnopere angar, ſi iſti diutius negare pergant, & credere obſtinatius recuſent.

XXXI. Eſtne aliud, quod iſtis incredibile videatur? Immo vero eſt. Sibyllinas ajunt vaticinationes contra atque vaticinationum ipſarum natura ferat, apertas eſſe nimis atque perſpicuas. Sed hoc eſt hujuſmodi, ut de rebus, quas Sibyllæ prædixerunt, non perinde, ac de futuris, ſed de præteritis iſti judicium inſtituant. Præclare in hanc rem more ſuo Lactantius de Vera Sapientia cap. xv. *Non dubito*, inquit, *quin illa carmina prioribus temporibus pro deliramento habita ſint, cum ea nemo intelligeret. Denunciabant enim monſtroſa quædam miracula, quorum nec ratio, nec auctor, nec tempus deſignabantur*. Non perinde igitur de vaticinationibus ante eventum, ac poſt eventum judicandum eſt. Multa hujuſce generis exſtant in Scripturis, quæ, clara nunc

nunc atque aperta ſunt, obſcura tum erant & prorſus retruſa atque abdita, cum primum fuerunt a Prophetis enunciata. Sed fingamus has ipſas vaticinationes obſcuras etiamnum eſſe, fingamus, vocum & ſententiarum ambagibus involutas; nonne tunc vel maxime, atque hoc potiſsimum nomine illas iſti rejicerent ac repudiarent. Igitur hæ vaticinationes iſtis non placent, quia perſpicuæ ſunt; diſplicerent profecto, ſi eſſent obſcuræ. Quid tandem eſt, quod iſtis placere poſſit? illud unum, mihi credite, Florentini, refragari omnibus, adverſari, contradicere, repugnare.

XXXI. Quæ cum ita ſe habeant, quemadmodum demonſtravi, non eſt cur iſti in hac noſtra controverſia me provocent ad numerum Sibyllarum, neque ad earundem edendum nomen, neque ad ea carmina, quæ in Bibliotheca Patrum leguntur, neque ad carminum ipſorum genus; acroſtichane fuerint, an alterius cujuſque generis, neque ad alia hujuſmodi, quæ ad rem non pertinent, & in quibus noſtræ diſputationis ratio non vertitur. Non ego hic laboro de numero Sibyllarum, non angor de nomine, carminum genus non moror, cujuſmodi fuerit, non quæro; qui circumferuntur Sibyllini verſus quanti faciendi ſint, non inquiro; hæc omnia miſſa facio, nec in præſentia inveſtigo. Non eſt, cur in his mihi negotium iſti faceſsere meditentur. Itaque animadvertant, quemadmodum totam hanc controverſiam circumſcribam, & quid dicam, & quomodo dicam diligenter attendant,

dant. Dico igitur, Ethnicas quaſdam exſtitiſse Virgines, quo tandem cumque nomine fuerint appellatæ, qui tandem cumque earum numerus fuerit, quod tandem cumque carminum genus adhibuerint, dico has fuiſse fatidicas, dico multa de Chriſto Domino, dico multa de ejus Virgine Matre prædixiſse, dico has prædictiones Ethnicis fuiſse notas, dico has ipſas prædictiones ab antiquiſsimis Eccleſiæ Patribus fuiſse perlectas, dico nihil in iis falſi, nihil ſimulati, nihil commentitii eoſdem deprehendiſse, dico his prædictionibus contra Ethnicos fuiſse uſos, quod certe non feciſsent, ſi fabuloſa illa carmina fuiſsent, dico ad Sibyllinos libros tanquam ad certiſsimos veritatis teſtes a Patribus Ethnicos fuiſſe rejectos; dico eoſdem Patres id minime facturos fuiſse, niſi res hæc teſtatiſsima fuiſset & vulgatiſsima, ut neque negari, neque ignorari ab Ethnicis poſset. Addo præterea, ab iis, qui ſecus, atque hactenus demonſtravi, ſentiant, non ſolum ſcriptoribus Ethnicis, quibus, quando conſentiunt, abroganda fides non eſt, ſed etiam, & vero præſertim graviſsimam Patribus irrogari injuriam, quorum auctoritas in re tanta contemnitur, quorum integritas, fides, religio, doctrina, ſapientia, fraudis, falſitatis, ignorantiæ, ad minimum nimiæ credulitatis nomine arceſsitur. Addo etiam & dico, contrariam opinionem nullo prorſus niti fundamento, nullo modo probabilem eſse, ſingularem, inauditam, falſam denique, atque idcirco merito ab omnibus repu-

pu-

pudiandam. Hæc ego dico, quibus, ut opinor, nemo, niſi qui averſus a vero ſit, contradicat.

XXXII. Satis jam mihi videor, Florentini, quæ duo iſtorum intemperantiæ maxime inſignia atque illuſtria propoſui documenta, luculenter explicaſſe, ex quibus vos ſimiliter intellexiſſe arbitror, quomodo duo item illuſtria ac maxime luculenta ab iſtis erepta teſtimonia ſint Catholicæ Religioni, quæ tametſi ſe per ſe ipſa tuetur, & externa ſuffragatione non indiget, hoc tamen ipſi præclarum eſt, atque honorificum ſemper fuit, quod ad domeſticos teſtes externi quoque veritatis ſuffragatores accederent. Verum unde nam harum tam ſingularium ac novarum opinionum originem repetendam exiſtimabimus? Audiſtis jam, cum de Oraculis ageremus, ejus opinionis Hæreticum Anabaptiſtam principem a me appellari, hujus autem de Sibyllinis libris ſententiæ Calvinianum hominem ſcitote fuiſſe auctorem. En Florentini ſaluberrimi fontes, quos iſti adeunt; neque vero aliter eſſe poſſe apud me jam inde conſtitueram, cum tam monſtroſas ab iſtis atque adeo Catholicæ Religioni adverſantes proferri opiniones animadverterem. Ex his, ex his inquam fontibus, ſive potius lacunis iſti ebibunt, quod poſtea in circulis ad captandam paſſim novæ cujuſdam ac reconditioris eruditionis famam, atque animos imperitorum ſollicitandos eructent.

XXXIII. Et mirabimur, iſtos, qui ſe hujuſmodi magi-

giſtris in diſciplinam dederint, de ampliſsimis Eccleſiæ Patribus tam male ſentire, tam licenter detrahere, & quorum ſingularem ſapientiam admirari ac revereri deberent, eorumdem graviſsimam reſpuere ac negligere auctoritatem? O tempora ſane miſera & calamitoſa! Jacent in tenebris abdita & conſepulta præclara Auguſtini, Hieronymi, Ambroſii, Cypriani, cæterorumque Eccleſiæ Patrum volumina, &, ſi quid ad nos aut tranſalpinis, aut tranſmarinis prælis excuſum defertur, hoc ſtatim nullo delectu arripitur; & quod uſuvenire in mercibus ſolet, ut illæ pretioſiores habeantur, & ingenti ſumptu comparentur, quæ peregrinæ ſunt atque adventitiæ, hoc uſu ſimiliter venire in libris editis quotidie non ſine ſummo animi dolore videmus. Quotus enim quiſque nunc eſt, qui hujuſmodi libros magno ſtudio non conquirat, ſummo pretio non coemat, aſſidue in manibus non habeat, avidiſſime non legat, &, cum ex iis aliquid excerpſerit, quod alicui jam receptæ opinioni adverſetur, tum demum ſibi tanquam de ſingulari ac recondita eruditione placeat atque blandiatur. Cautum nimirum eſt ſaluberrimis Tridentini Concilii decretis, ne quis hujuſmodi libros Catholicæ Religioni & bonis moribus peſtiferos ac noxios abſque legitima facultate legat, neque apud ſe retineat; cautum utique; verum huic tanto malo magis in dies magiſque gliſcenti non uſquequaque proviſum. Quæ neceſſaria cautio eſt, ea jam a quibuſdam ſupervacanea

nea quædam diligentia prædicatur. Itaque ſanctiſſimis hujuſmodi decretis quam nulla prope religione ſe quidam intercedere poſſe arbitrentur, quid me attinet dicere? Verum iſti, ſi me audient, quid agant, quo progrediantur, & quibus ſe graviſſimarum pœnarum vinculis adſtringant, ſerio conſiderabunt.

XXXIV. Et hic a me quiſquam quæret, cur hujuſmodi libris, qui jam prope ſoli bibliothecas iſtorum occuparunt, uſque adeo non delecter, ut eorum etiam auctoribus maxime infenſum me præbeam atque inimicum? Quid? Qui veterum Eccleſiæ Patrum auctoritatem tueri velit, qui traditas a majoribus noſtris, ſapientiſſimis mortalibus, opiniones retinere, qui mores integros, qui ſinceram Fidem, qui Religionem ſalvam eſſe cupiat atque incolumem, poterit his libris delectari? poterit horum librorum auctoribus inimicum ſe atque infenſum non profiteri? qui id unum omni contentione agere videntur, id unum omni ope ſtudere, ut a qua ſanctiſſima Religione turpiter ipſi ac flagitioſe deſciverint, ab eadem nos turpiter æque ac flagitioſe deſciſcamus. Nam quid aliud iſtos velle? quid aliud ſpectare? quid moliri exiſtimabimus novis his excogitandis diſſeminandiſque opinionibus, niſi ut ſenſim ac veluti per cuniculos Catholicæ fidei fundamenta ſubruant atque convellant? Demus hoc illis, quod ſolum dari ſibi in præſentia poſtulant, ut omnia, quæ teſtatiſſima ac prope luce ipſa clariora non ſunt, repudiemus,

 ut

ut pias quaſdam traditiones tanquam imperitorum hominum ac vulgi rumores aſpernemur, ut ſanctiſſimos illos Eccleſiæ Doctores, eo, quo par eſt, in numero non habeamus, tum denique, mihi credite, illud etiam dabimus, atque ii ſine dubitatione a nobis auferent, ut deſertis ac relictis Catholicæ Religionis ſignis, transfugæ in ipſorum caſtra veniamus. Hoc funeſta eorum, qui a Romana Fide olim defecerunt exempla docent, quorum exitus luctuoſiſſimos cum recordamur, quæſo de noſtra, quæſo de communi ſalute cogitemus. Porro hæc qui videat planeque perſpiciat, ac prope certo eventura præſentiat, poterit his tantis malis inſtantibus jam atque imminentibus graviter non commoveri? poterit in eos homines, quos tantorum futuros malorum auctores pertimeſcat, non vehementiſsime concitari?

XXXV. Ego vero nunquam Heterodoxorum hominum odi induſtriam, nunquam deſpexi doctrinam; laudo etiam, ſi quid operis, & eos quidem multum poſuiſse fateor, in id contulerunt, ut bonas artes liberaleſque diſciplinas excolerent ac propagarent. Magni atque adeo plurimi facio eorum Mathematicos, Aſtronomos, Geometras, Phyſicos, Philoſophos, Philologos, quibus his maxime temporibus abundant, & quorum tota Europa propter ſingularem atque excellentem eruditionem nomina prædicantur, & quoad bonæ artes vigebunt, prædicabuntur. Nam quod a Romana communione diſtracti diſsociatique

tique ſunt, hoc ego ipſis petulanter non exprobro; immo vero doleo & vehementer angor, tot ac tanta doctrinæ lumina falſis de Religione opinionibus, quaſi quibuſdam tenebris, obnubi atque obſcurari. Quare illud a Deo Opt. Max. iis ex animo apprecor, ut denſiſſima illa errorum, qua miſerandum in modum circumfunduntur, diſcuſsa caligine tandem aliquando, divina bene juvante gratia, ad Catholicæ veritatis lumen aſpirent. Deferbuit ardor ille, quo olim acerrime concitati in nos eorum animi erant, ut a nobis tanquam ab infenſiſſimis hoſtibus abhorrerent atque refugerent. Detumuit æſtus ille, qui eos e ſinu communis Matris tanquam e tutiſsimo portu abripuit, & in medium turbulentiſsimarum tempeſtatum diſcrimen abſtraxit. Quid reliquum jam nunc eſt, niſi ut æquitatem ac veritatem ſequentes ducem antiquam exquirant Matrem, in ejuſque gremium tandem aliquando ſe ab diuturno errore ac jactatione recipiant. Hæc eos blande invitat, modis omnibus allicit, paſsis ulnis exſpectat, qui quidem ſi redierint, omnibus maternæ benevolentiæ ſignificationibus reduces certe excipiet ac complectetur. Hoc ſperare nos & commodi mores, & ſingularis humanitas, & illa ipſa, qua nunc maxime florent, doctrina jubet, & confidere plus apud illos & æquitatem & veritatem, quam qualecumque propriæ perſuaſionis defendendæ ſtudium, momenti habituras.

XXXVI. Verum, ut eo redeam, unde digreſſus

 ſum,

ſum, quod nunc bene multi e noſtris a rectiſsimis Catholicæ diſciplinæ inſtitutis ſe ab Heterodoxis hominibus abduci ſinunt; quod eorum libris, quibus facile perverti poſsunt, & ad prava, quæ in iis partim aperte & palam propugnantur, partim clam & latenter animis improvidorum infunduntur, dogmata perduci; quod iis unice delectentur, unice eos legant, pervolutent, ediſcant, hoc ego, pro eo, quo erga Catholicam Religionem ſtudio ſum & eſse debeo, ſine merita reprehenſione elabi atque abire pati nullo modo poſsum. Itaque dico iſtiuſmodi libros aut omnino non legendos, aut certe non paſsim ac vulgo ab omnibus legendos, aut ſi facta legitima poteſtate legantur, ne nobis nocere poſsint ſumma cura diligentiaque eſse providendum. Addo etiam, quæ in hos ipſos libros decreta lata ſunt, hæc ſanctiſsime obſervanda, in re graviſsima Eccleſiæ obtemperandum, nec temere ab ejus edictis præſcriptiſque diſcedendum. Hæc ſunt, quæ in hanc rem ex intimo animi mei ſenſu ac dolore dicenda exiſtimavi, quæ quidem quam in partem accipi poſsint, nihil curo; dummodo & ita ſentire Catholicum ſit, & ita loqui, in tanta præſertim licentia, neceſsarium.

DE

DE PRAVO

ARTIS CRITICÆ

USU

Actionis II. Liber IV.

QUI ſemel effrænata quadam impotentis animi cupiditate abrepti præſtitutos æquitati ac temperantiæ fines tranſilire non dubitarunt, Florentini, ægre admodum continere ſe poſſunt, quin acrioribus ejuſdem cupiditatis incitati ſtimulis in multo majora, quam ipſi ab initio ſuſpicari potuiſſent, atque in dies graviora prolabantur. Etſi enim a natura ita comparatum eſt, ut, ſi quando ab officii ratione declinemus, ad eandem naturæ ipſius admonitu revocemur; ita tamen ingenio noſtro in vitia proni ſumus, ut naturæ bonitas animi pravitate perſæpe vincatur. Neque vero cum lubricam inſiſtere viam cœperimus, fines quoſdam nobis conſtituere poſſumus, quos temere non

tranſgrediamur, nec ita noſmet ipſos ſuſtinere, ut in certo aliquo nequitiæ gradu conſiſtamus; ſed invaleſcente magis ac magis illa ipſa cupiditate, quæ nos primum de recta virtutis ſemita deduxit, plerunque flagitia flagitiis addimus, ſcelera ſceleribus cumulamus. Quare illud ſapienter præcipitur; ut, quantum poſſumus, initiis conemur obſiſtere, & dum res aut in integro adhuc ſunt, aut non ita deteriores effectæ, ut reſtitui non poſſint, nobis tum maxime, ſi nos ſalvos eſſe cupimus atque incolumes, provideamus. Qui ſaluberrimum hoc conſilium neglexerunt, quantum in eo opis, quantum præſidii ad vitam ſancte integreque ducendam contineretur, proprio ipſi experimento edocti ſunt. Voluiſſent ii quidem, poſteaquam proclives in vitia, atque adeo præcipites ferri cœperunt, ſe in priſtinum ſtatum revocare, & ad bonam, ut ajunt, frugem reverti; ſed partim rei difficultate deterriti, partim prava conſuetudine irretiti, partim peſſimo ſui ſimilium exemplo confirmati in iis vitiis fere miſerabiliter hæſerunt, quæ facile a principio aut vitare omnino, aut ſaltem ab iiſdem non ita difficili negotio emergere potuiſſent. Hoc ego immoderatioribus Criticis noſtris eveniſſe ſi dixerim, non me aberaſſe longius a vero arbitrabor. Non enim dubito, quin etiam iſti, cum lubricum Criticæ genus primum ingreſſi ſunt, non dubito, inquam, quin certos ſibi conſtituerint fines, ultra quos non temere ac facile progrederentur. Verum

rum ne ipſi quidem in eo gradu, quem ſibi ab initio præſtituerant, conſiſtere procedente tempore potuerunt. Quare a contempta, uti demonſtravimus, venerandæ Antiquitatis auctoritate, a repudiatis ſanctorum Patrum teſtimoniis, a deſpecta vetuſtiſſimarum ſanctiſſimarumque rerum Traditione, eo ſenſim devenerunt, quo ne ipſi fortaſſe quidem unquam ſe perventuros, & vero prolapſuros cogitarunt. Hinc porro effectum eſt, ut ſuperiorem intemperantiam nova ſemper ac majori intemperantia cumulantes, mihi quoque novam uberioremque criminum copiam ſuppeditarint, unde acriorem in eos inquiſitionem inſtituerem, eoſque vehementius accuſarem. Itaque non jam amplius de ſublatis piis quibuſdam Traditionibus, non de Oraculis Idolorum ſimulacris iſtorum judicio abrogatis, non de vaticinationibus a Sibyllis abjudicatis, aliiſque ſimilibus Catholicæ quidem Religioni aliquo modo, ſed fortaſſe tolerabili adverſantibus opinionibus agemus; ſed novæ res, & eæ multo ſane graviores, quam quas hactenus perſecuti ſumus, agentur, ac plane hujuſmodi, quæ Catholicam ipſam Religionem propius attingunt, & hac ipſa de cauſa Catholicum quemque commovere acrius debent ac vehementius. Vos igitur me diligenter attendite; quem non recuſo quin ſic in conſequentibus actionibus audiatis, ut, quo magis accuſatio noſtra progredietur, eo etiam majora hujus ipſius, quam accuſo, intemperantiæ documenta, & ejuſdem quoſ-

dàm quaſi proceſſus atque incrementa poſtuletis.

II. Illud ad Catholicæ Religionis ſingulare decus atque ornamentum non pertinere ſolum, ſed ad ipſam etiam Catholicam Religionem ſpectare propius, nunquam non ſanctis abundaſſe viris, qui rebus præclare geſtis eximiiſque virtutibus eandem mirum in modum illuſtrarunt, nemini non compertum eſt, Florentini. Horum nomina ritu a majoribus tradito ſacris Faſtis inſcribuntur, iis aræ dedicantur, excitantur delubra, eorumque non tam imagines ad venerandum publice exhibentur, quam virtutes Catholicis omnibus ad imitandum proponuntur. Qui hoc apud nos jure ſunt, nemini fas publica veneratione privare, quam cum ſemel legitime adepti fuerint, eadem perpetuo gaudere debent. Itaque colendi ſunt, & non colendi ſolum, ſed divina aſpirante gratia etiam imitandi. *Imitatores mei eſtote*, Gentium Apoſtolus ad Corinthios ſcriptum reliquit, *ſicut & ego Chriſti*. Primum exemplar, & omnium certe quidem abſolutiſſimum Chriſtus eſt, in quod præcipue animum debemus intendere, & unum conari in nobiſmetipſis, quantum poſſumus, exprimere. Verum ut hanc virtutum omnium abſolutionem, quoad uſque humana infirmitas patitur, aſſequamur, non dubium, quin plurimum propoſitis etiam ſanctorum virorum exemplis juvemur. Id enim habent domeſtica præſertim exempla, ut iiſdem incredibiliter non commoveamur ſolum, ſed ad rectc

ſtæ ſacta admotis veluti quibuſdam calcaribus acriter etiam vehementerque incitemur. Atque hoc præcipuum Eccleſiæ conſilium eſt, ſemperque fuit, cum ſanctos viros nobis ad venerandum proponit; nimirum, ut *quos celebrare delectat*, eoſdem *imitari non pigeat*.

III. Hæc clara ſunt atque perſpicua, & apud omnes Catholicos rata ac definita. Quapropter hac de re nulla controverſia eſſe debet, neque vero poteſt. Sed Ars Critica, quæ de rebus omnibus ſibi judicium ſumpſit, de ſanctis quoque viris cognoſcendi poteſtatem uſurpavit. Quo jure, qua facultate, quo exemplo, quo more, neſcio, Florentini; ſed tamen harum etiam rerum ſibi cognitionem artem criticam vindicaſſe certum eſt. Exorti ſunt iſti ſacrorum Faſtorum inſpectores in primis acuti, & vero correctores animoſi, qui a re tam ſancta manus cohibere non potuerunt. Quo jure id præſtiterint, iterum dico, neſcire me. Sed nunc de jure non diſputo, neque hoc iſtis objicio, neque in crimen voco; quod unice in præſentia reprehendendum condemnandumque ſuſcipio, illud eſt, quod hac ipſa in re plura ſingularis intemperantiæ exempla conſtituere, ſuique ſimilibus imitanda proponere ac relinquere non dubitarunt.

IV. Ne vero hoc a me accuſatorie magis jactatum in iſtos, quam vere dictum quiſquam ſuſpicetur, afferantur in medium ſacri ipſi Romanæ Eccleſiæ Faſti, in quibus, quemadmodum dixi, ſanctorum virorum no-

nomina veteri conſuetudine perſcribi ſolent, circumferantur, legantur, inſpiciantur. Videtiſne ut pluribus in locis frequentis lituræ veſtigia appareant? ut plura nomina in ipſa litura demerſa prorſus jaceant atque depreſſa? Jam quid iſtæ ſibi lituræ volunt? quid indicant? quid ſignificant? Quid erat iſthic antea ſcriptum, quod poſtea inductum fuit? quæ tandem menda lituræ iſtæ tam crebræ, tam ſpiſſæ, tam perſpicuæ correxerunt? Ego quidem nihil dico. Faſti ſunt in medio; codices proſtant, qui adiri facile ab omnibus & conſiderari commode poſſunt. Nonne, vel tacente me, codices ipſi loquuntur, & ſe corruptos, interpolatos, interlitos, & fœde ab iſtis mutilatos clamant? nonne hujus ipſius, quam nunc coarguo, intemperantiæ crimen accuſant, docent, condemnant? Quid? Iſtine tantum ſibi ſument ac vindicabunt, ut levibus de cauſis, inanibus conjecturis, futilibus argumentis, quæ de ſacris Faſtis nomina ipſis libuerit, expungere ſibi jure conceſſum arbitrentur, & re ipſa licenter hoc jure atque intemperanter abutantur? Atqui ita eſt, uti dico; neque vos de mea fide in re tam gravi dubitare velim, nec vero ullo modo patiar.

V. Itaque ſcitote exſtitiſſe hominem, non Italum illum quidem, ſed externum, qui in hac licentia ita libere intemperanterque verſatus eſt, ut ab hac cognomen dignum re, dignum facto, dignum prava, qua laborabat, conſuetudine apud populares ſuos invenerit.

Nam

Nam cum ſanctos viros Criticus nimis acer paſsim in operibus ſuis alios alia de cauſa inſectari, & de ſacris Faſtis conſueſſet eximere, hoc adeo viſum eſt popularibus ipſis ſuis indignum & nullo modo ferendum, ut inde, quemadmodum dixi, proprium ei ac ſingulare cognomen adhæſerit. Quod? quodnam? Verbum latinum ad id explicandum quam vellem idoneum non reperio; ſi vero circumlocutionem adhibeam, vereor ne vocabuli vis corrumpatur, & quod intelligi volo non apte ſatis atque aperte ſignificetur. Vocabulo igitur utar italo, quod domeſticæ hujus, de quo dico, auctoris linguæ omnino reſpondet; *Snicchia Santi*. Non quia ſanctós viros e loculis, quibus eorum veneranda populo ſimulacra proponuntur, re ipſa exturbaret; ſed quia, ſi, quæ in ipſos ſcribere ſolebat & vulgare, rata habenda eſſent, exturbari omnino debuiſsent. Quo vocabulo, ut videtis, & mala hominis conſuetudo oſtenditur, & facti indignitas juſto meritoque convicio notatur.

VI. Hic vero tantæ rei atrocitate commoti & vehementer perturbati exſpectare mihi videmini, Florentini, dum hunc hominem, qui tantum audere & conari potuit, proprio nomine appellem. Verum ego, quod hactenus præſtiti, neque hujus, neque huic ſimilium hominum nomen unquam adducar, ut edam. Perſtringam intemperantiam, quod unum mihi propoſui, quam in hujuſmodi auctoribus deprehendero; auctori-

bus vero ipſis parcam, & eorum famæ atque exiſtimationi nominis ſubductione conſulam. Novi qui ſim, apud quos loquar; quid a me dici conveniat, quid vos a me audire deceat non ignoro. Sic ergo habetote. Intendo vocem, ut etiam ii, qui extremi in concione ſunt, exaudiant. Ego neminem, niſi cum laude nominavi, neque nominabo; ſi quem autem reprehenſione dignum judicavero, rem notabo, hominem præteribo. Quare vulgatum illud a me recte uſurpari poſſe video; *Nemo mihi iraſci poterit, niſi qui de ſe ante voluerit confiteri*. Vos autem, quæ veſtra modeſtia eſt & temperantia, ulterius inquirendo progredi ne velitis, quos ſolo, quod enunciavi, cognomine contentos eſſe decet.

VII. Ac ne illud quidem ego velim vos a me poſtuletis, ut tale ac tantum, quod dixi, crimen, longe lateque pertinens, & fere per omnes Sanctorum hiſtorias diffuſum ſingillatim agam, & ſanctos quoſque viros ab iſto tam inſigni affectos injuria commemorem, & qua quemque de cauſa ex ſacris Faſtis ſuſtulerit, vos doceam. Poſſem utique, ſi vellem, *Liturgicos* codices, quibus inſignis Eccleſia utitur, vobis oſtendere, & deletos ex iis expunctoſque ſanctos viros nominatim indicare. Sed cum id ipſum præſtitum ante me a Critico docto atque idoneo jam fuerit, non ego nunc tantum mihi negotii imponam, ut explicandum in præſentia exponendumque ſuſcipiam, quod circumſcriptior actionum noſtrarum modus non patitur. Ita ſimiliter nolim, a me exſpectare vos,

dum

dum hunc ego hominem meritis verbis reprehendam atque caſtigem, qui in hac licentia aut ſingularis omnino fuit, aut certe neminem habuit ſuperiorem. Video, nihil eſſe, quod quidem gravius ac vehementius dici poſſit, quod in tantam licentiam intemperantiamque non conveniat; ſed hac etiam me cura Romana ipſa Eccleſia moleſtiaque liberavit. Auctoritatem enim interpoſuit ſuam; Hominem merita affecit cenſura; & quid de eo judicare vos ac ſentire debeatis ſuo ipſa judicio ſententiaque præivit.

VIII. Verum ne ſine peculiaris alicujus expoſitione facti, noſtra hæc, præter inſtitutum jam morem, elabatur actio, unum nunc maxime inſigne ſigillatim afferam, de quo ſic vos me audire conven it, quandoquidem in ſingulis exponendis inſiſtere, vel etiam percurrendo ſingula tantummodo commemorare non poſſumus, ſic, inquam, vos audire me convenit, ut de reliquis, quæ prætermittere neceſſitas cogit, conjecturam capiatis. Hilarionem eremi incolam celeberrimum fuiſſe ſcitis, eundemque ſanctiſſimum hominem, qui vita caſte integreque in ſumma rerum abſtinentia atque aſperitate traducta, cum ad extremum deveniſſet, illud de ipſo pervulgatum ac prope nemini non auditum ſæpius uſurpabat; *Egredere, quid times? Egredere anima mea, quid dubitas? ſeptuaginta prope annis ſerviſti Chriſto, & mortem horres?* Ita ſe in ſupremo agone conſtitutum ad mortem alacriter conſtanterque obeundam

dam vir ſanctiſſimus confirmabat. Hilarionis vitam accurate ſcripſit Hieronymus, auctor omnium certiſſimus & locupletiſsimus, de cujus ingenio, ſapientia, eruditione, cognitione linguarum & artium, quid ego poſsim dicere, quod vobis cognitum non ſit planeque perſpectum? qui inter cæteras, quibus floruit, præclariſsimas laudes tantum in ſacris Scripturis partim interpretandis, partim recognoſcendis ſtudio ſuo doctrinaque perfecit, ut unius prope interpretis ore Spiritus Sanctus locutus eſſe videatur. Itaque, tametſi multi in Eccleſia Doctores, præſtantiſſimi illi quidem & ſacrarum litterarum peritia eximii, exſtiterunt, adeo tamen unus Hieronymus ingenio valuit, adeo facultate cæteris antecelluit, ut ſibi *Doctoris Maximi* nomen proprium fecerit ac ſingulare.

IX. Jam vero cum, de qua dicere inſtituo, Hilarionis vitæ Hieronymum auctorem tam certum, tam locupletem, tam religioſum habeamus, quis unquam de ejus veritate ambigendi locus fuit, aut eſſe potuit? quæ dubitatio de tanti viri diligentia, fide, integritate ac religione ſuboriri? Mihi quidem hoc in facto videtur omnis omni non dubitationi ſolum, ſed vel ipſi etiam ſuſpicioni obſeptus eſſe aditus ac prorſus interclusus. Ita quidem mihi videtur; nec dubito quin vobis quoque idem videatur, qui pro veſtra æquitate ac ſapientia ſuis momentis atque ponderibus res expendere, non levia quæque atque incerta conſectari indicia con-

conſueſtis. Verum iſtis non ita; qui tanquam venatici canes omnia ſagacius odorantur ac perveſtigant; & uni præ reliquis nominatim, qui tantum abfuit, ut hiſtoriam hanc veram judicarit, ut etiam fictam eſſe totam & commentitiam, atque ab Hieronymo exercendi ſtyli cauſa fuiſſe conſcriptam affirmare non dubitarit.

X. O rem prorſus novam atque inauditam! Quid hoc eſt? utrum hanc nos opinionem dicemus? an potius ſingulare quoddam opinionis monſtrum atque portentum appellabimus? Igitur non ſanctus re ipſa Vir in Eccleſiam ab Hieronymo, ſed novus quidam Heros, tanquam a Poeta in ſcenam Hilarion inducitur, fictus omnino & commentitius, atque ad effervefcentis ingenii arbitrium excogitatus. Sed ſi hoc eſt, quid hic agimus, Florentini? quid hic ſtamus? quid ſedemus? quin repente conſurgimus? quin imus? & noſtris ipſi manibus Hilarionis templa diruimus, aras evertimus; ſimulacra diſturbamus? quin tantam ſuperſtitionem a delubris, ab aris, a templis, ab Eccleſia univerſa avertimus ac prohibemus? quin denique Hieronymi ſcripta, quæ hoc tantum ac tam inſigne mendacium continent, æternis tenebris oblivionique mandamus? Etenim ſi hoc vere ab iſto affirmatur, ſi Hilarionis vita ficta eſt, ſi commentitia, ſi ab auctore ſuo exercendi tantum ſtyli cauſa conſcripta, neceſſario, ut videtis, illa conſequuntur, & ſunt omnino intemperantiſſimi hujus, de quo dico, Critici judicio conſentanea.

At

XI. At non hoc certe de hoc ſancto eremi cultore Eccleſiæ judicium fuit, non hæc Eccleſiæ ipſius de Hieronymo opinio, non hæc de hac ipſa nominatim hiſtoria ſententia. Etenim, ut te potiſſimum novæ hujus ſententiæ ſive auctorem, ſive exſcriptorem appellem, harum rerum cognitionem ad Eccleſiæ ſpectare judicium, opinor, dabis. Audi ergo, quid de vitis ab Hieronymo conſcriptis in LXX. Epiſcoporum Concilio ſenſerit Gelaſius Pontifex auctor graviſſimus. *Exiſtimo*, inquit, *Hilarionis hiſtoriam, ut & cæteras, quas ſcripſit Hieronymus, cum omni honore ac reverentia ſuſcipiendas*. Dicam iterum, ut cum rubore quo intemperantia progreſſus ſis tua cognoſcas, & te tuimet ipſius pudere incipiat; *cum omni honore ac reverentia ſuſcipiendas*. Nihil profecto ad veritatem oſtendendam illuſtrius, nihil ad ſanctiſſimi Scriptoris fidem vindicandam præclarius, nihil ad tuam licentiam coercendam neque gravius dici potuit neque vero opportunius.

XII. Vide porro nunc ac perſpice, quid inter tuam & ſapientiſſimi Pontificis opinionem interſit. Gelaſius hiſtorias omnes ab Hieronymo conſcriptas veras dicit, & ab omni falſitatis ſuſpicione liberat, tu contra in falſitatis ac mendacii ſuſpicionem vocas; ille certa de cauſa id ipſum affirmat, tu neſcio qua inductus ratione inficiaris; ille re cognita ſententiam pronunciat ſuam, tu vero incognita opinionem obtrudis tuam; ille de ſapientiſſimi Concilii auctoritate æquiſſimum decretum in-

ter-

terponit, tu unam ſecutus opinandi licentiam ſapientiſſimo & æquiſſimo decreto intercedis; denique ille Hilarionis nominatim hiſtoriam ſuſcipit, tu rejicis; ille *omni cum honore ac reverentia* ſuſcipit, tu cum inſigni contumelia rejicis. Quem ad gradum tantam evadere intemperantiam exiſtimabimus?

XIII. Sed quid tandem cenſori noſtro diſplicuit in hac vita, aut diſplicere potuit, ut & ipſa tanquam falſa traduceretur, & Hieronymus tantus Scriptor turpiſſimi mendacii inſimularetur? Gravis enim vero ratio eſſe debuit, quæ hunc hominem eo adegerit, quo ne vel ipſa quidem licentia progredi potuiſſe videatur. Itaque, ſi placet, Florentini, hanc ipſam Hilarionis vitam parumper ſumamus in manus, eamque paullo diligentius conſideremus. Ac primo quidem ejus exordium gravius eſſe non poteſt, nec ad conciliandam rebus, quæ narrandæ ſunt, fidem accommodatius. Religioſiſſimus Scriptor Spiritum Sanctum invocat, ut ſibi de ſancto viro ſcribere inſtituenti adſit, quo ejus vitam & fideliter narret, & luculenter exponat. En ſancti Hiſtorici ipſa ipſiſſima verba. *Scripturus vitam beati Hilarionis habitatorem ejus invoco Spiritum Sanctum, ut qui illi virtutes largitus eſt, mihi ad narrandas eas ſermonem tribuat, ut facta dictis exæquentur.* Jam ſi aliquid fictum & commentitium mandare litteris Hieronymus habuiſſet in animo, quî hoc uti exordio potuiſſet? Tantumne flagitium admiſiſſe Hieronymum exiſtimabimus, ut

ut Spiritus Sancti opem in re falſa imploraret ? ejus in re commentitia interponeret auctoritatem ? falſitatis ac mendacii teſtem Spiritum ipſum Sanctum adhiberet ? Horret animus, refugit mens hoc non dicam de tanto viro & Scriptore ſanctiſſimo affirmare, ſed vel tantummodo ſuſpicari.

XIV. Ab hoc exordio reliqua profluunt, & quam ſincere narrata ſint, quanta fide, quanta integritate, quanta religione conſcripta, legenti manifeſte apparet. Et vero in tota narratione nihil occurrit, quod veriſimile non ſit, nihil, quod incredibile videatur. Omnia ab initio ſuo deducta, & uſque ad finem perpetuo ac non interciſo filo perducta. Deſignantur ſancti viri, ortus, natio, patria, inſtitutio, & prima adoleſcentiæ diſciplina, tum omnium rerum terrenarum abdicatio exponitur; conſequitur ſeceſſus in eremum, in eaque diuturna commoratio; deinde ſanctæ, ut ajunt, *converſationis* ſtudium, & vero ſummus etiam in omni virtutum genere profectus; ad extremum ſancti viri obitus accurate luculenterque deſcribitur. Ubique elucet veritas, ubique Scriptoris fides, ubique religio. His accedit, quod ſanctus Scriptor, quo majorem ſibi conciliet fidem, adſtipulatotem adhibet, & teſtem citat eorum, quæ narrat, ſanctum Epiphanium Salaminæ Cypri Epiſcopum, qui plurimum Hilarione uſus fuerat, eumque pro familiaritate, quæ inter ipſos intercefferat, intime norat, cujus virtutes brevi etiam commen-

mentariolo, quod tunc legebatur, comprehenderat. *Quanquam*, inquit, *Sanctus Epiphanius Salaminæ Cypri Epiſcopus, qui cum Hilarione plurimum verſatus eſt, laudem ejus brevi epiſtola ſcripſerit, quæ vulgo legitur, tamen*, & reliqua. Jam, ut videtis, non uno res teſtimonio nititur, ſed duplici graviſſimo teſte certiſſimoque fulcitur; prorſus ut nihil appareat, quod dubium quenquam facere poſſet, ut aliter de hac vita, quam par erat & æquitas poſtulabat, tantorum virorum auctoritate contempta ſentiret.

XV. Ego vero, ut hoc loco qualecunque judicium interponam meum, quoties eam legi, legi autem ſæpe, toties in ea nihil offendi, quod non dicam dubitationem, ſed ne dubitationis quidem ſuſpicionem injicere poſſet; immo omnia reperi ad priſcorum *Anachoritarum* morem, inſtitutionem, diſciplinam perfecte exacta, omnia denique ita a ſancto Scriptore digeſta, uti re ipſa geſta erant, & probabiliter, vere, fideliterque narrata. Non dubito, vobis idem videri, ſi eam legiſtis, & viſum iri, ſi eam legere volueritis. Quid igitur cauſæ fuit, cur hac tanta calumnia hæc hiſtoria dehoneſtaretur, & non uni ſolum, ſed duobus ſanctiſſimis & doctiſſimis viris tam gravis injuria uno tempore irrogaretur? Cur tibi Critico in primis acuto & ſollerti aliter de hac vita, atque omnibus, qui illam legerunt, aut in poſterum legent, viſum eſt?

XVI. Dicis, *exercendi ſtyli cauſa ab auctore ſuo ſuiſ-*

fuiſſe conſcriptam. Fuerit; non abnuo, non repugno. Quid igitur? idcircone continuo falſa, & ad arbitrium confiɛta exiſtimanda erit? Novum ſane conſecutionis genus, quod hactenus Dialectici ignorarunt; perinde quaſi ſtylus non, niſi in re ficta, poſſit exerceri. Dic, amabo te, quid eſt, quamobrem in re ficta ſtylus exerceri poſſit, in re geſta non poſſit? cum idem in utraque æque facili ratione præſtetur. Cujus quidem rei exemplum ſi flagitas, non longe petendum eſt, & tibi Hieronymus ipſe ſuppeditat. Hoc enim ipſum præſtitit in altera hiſtoria, quam *de Muliere ſepties icta* conſcripſit. Excuſat initio narrationis, epiſtola ad Innocentium data, ſtyli deſuetudinem, &, *Otium*, inquit, *quaſi quædam ingenii rubigo parvulam licet facultatem priſtini ſiccavit eloquii*. Quare ut remiſſum ac deſueſcentem ſtylum acueret ac renovaret, & eloquii venam, quo iterum exuberantior efflueret, ſollicitaret, hanc ſcribere eſt aggreſſus hiſtoriam, qua in ſcriptione duo præſtitit, & ſtylum exercuit, & vera narravit. Potuit igitur, quod fecit in hac, ſimiliter facere in vita Hilarionis, quin ulla prudens ſuſpicio de Hieronymi fide anxios nos reddere debeat atque ſollicitos. Hæc clara ſunt, atque perſpicua.

XVII. Sed nos hebetes nimirum ſumus, noſtri caligant oculi, iſti ſoli acuta, qua pollent, oculorum acie, ea vident, quæ præter eos videre nemo neque potuit, neque vero poteſt. Exſpectemus igitur lippi, dum oculis

lis noſtris novæ hujus artis criticæ, ut ita dicam, iſti collyrium illinant, ut tum demum aliquid videamus, & aliquid his de rebus judicemus. Quanquam, ut quod ſentio, dicam, quamlibet novus hic Hieronymi cenſor ſibi de acumine mentis, & de acuta oculorum acie vehementer placeat, ut, quod nemo ante ipſum viderit, ſolus ipſe ſe vidiſſe arbitretur, dubitare ſubit utrum quas Hieronymus ſcripſit vitas unquam legerit ac pervolutarit. Si enim eas attente legiſſet ac diligenter pervolutaſſet, quandoquidem calumniari in animo habebat, ex iis ſaltem aliquam elegiſſet, cui aliquo modo tanta hærere calumnia potuiſſet. Nam, cum vitam Hilarionis vita Malchi Monachi captivi ſtatim conſequatur, miror ſane, cur illam potius optarit, quam commentitiam eſſe diceret, hanc prætererit, quæ propter rerum, quæ exponuntur, admirabilem quandam ſeriem adornandæ componendæque calumniæ aptior videri poterat, & re ipſa erat accommodatior. Mirabilis enim in ea deſcribitur captivitas, & multo admirabilior non multis ſine prodigiis e captivitate inſperato conſecuta narratur libertas. Quid igitur cauſæ fuit, quamobrem tam pulchram occaſionem elabi ſibi iſte pateretur? Si in hac Malchi vita elaboraſſet, & aliquid ſaltem ſtudii poſuiſſet, aliquid fortaſſe profeciſſet, nec ſe prope orbatum oculis oſtendiſſet. Sed nimirum ſua nimia iſtum opinandi licentia fefellit, & quæque ſine delectu arripiendi conſuetudo excæcavit; niſi forte illud affirmare

velimus, iſtum ea de cauſa, præterita vita Malchi Monachi, Hilarionis vitam optaſſe, ut, cum eo honore, quo Hilarion gaudet, qui ſanctus & habetur & colitur, Malchus non gaudeat, ejus idcirco intemperantia inſignior eſſet, atque exſtantior emineret.

XVIII. Sed quod tandem cumque hac in re hujus hominis conſilium fuerit, quod nunc non inveſtigo, illa certe ex ejus opinandi licentia Catholicæ Religioni vehementer incommoda conſequuntur. Etenim ſi Hilarionis vita, quæ auctorem tam gravem, tam idoneum, tam ſanctum habet, falſitatis inſimuletur, quid, obſecro, in hoc ſcriptionis genere reperiri poterit, quod veridicum, quod ratum ac certum habendum ſit? Hiſtorias omnes expungamus licet, omnes omnium Sanctorum vitas tanquam falſas & commentitias inducamus. Ego ſane non video, quæ major auctoritas reſideat in Athanaſio, qui Antonii Magni, in Gregorio Magno; qui Benedicti, in Ennodio, qui Epiphanii, in Gregorio Nazianzeno, qui Gorgoniæ, in Joanne Chryſoſtomo, qui Philogonii, in Petro Damiano, qui Romualdi, in Bernardo, qui Malachiæ, in Bonaventura, qui Franciſci, & in aliis hujus notæ, exiſtimationis, ſapientiæ, ſanctitatis Scriptoribus, qui ſive vitas, ſive elogia Sanctorum ſcriptis mandarunt ſuis, non, inquam video, quæ major reſideat auctoritas, quam in Hieronymo Doctore Maximo, ut, ſi ejus ſcripta hoc in genere repudientur, non ſint aliorum ſimiliter ſcripta eodem in ge-

genere repudianda. Itaque non egó hic reliquos inferioris notæ auctores commemorabo, qui præclaram operam in conficiendis ſanctorum virorum hiſtoriis & magno Catholicæ Religionis ornamento, & ſummo Chriſtianæ pietatis incremento poſuerunt. Perculſa enim atque abjecta principum illorum, quos nominavi, auctoritate, reliquorum etiam omnis omnino auctoritas, ut videtis, concidat neceſſe eſt.

XIX. Quare non alia hic ego amplius hujus intemperantiæ documenta afferam, nec plura hac de re exempla congeram, ne & me dicendo, & vos audiendo fatigem. Dixi jam, ita vos me audire oportere, ut ab uno alterove crimine reliquorum in eodem genere, quæ explicari ab accuſatore per tempus non licet, conjecturam capiatis. Et ſane utinam, Florentini, crimen hoc, de quo dico, ad unum tantum alterumve Criticum pertineret. Utinam de iſtiuſmodi Criticorum paucitate lætaremur potius, quam de eorundem multitudine quereremur. Verum multo latius, quam ut & ego poſſim oratione mea comprehendere, & vos aſſequi cogitatione veſtra poſſitis, peſtifera hæc diffuſa contagio eſt, atque pervaſit. Quem enim iſtorum invenias, qui ſe hujus Criticæ generi dediderunt, quibus aliquis hoc in genere auctor probetur; qui numeris omnibus per ipſos abſolutus ſit; quem iidem ſive nimiæ credulitatis non inſimulent, ſive falſitatis non arguant, ſive aliis nominibus non criminentur; quorum etiam nonnullos uſque

adeo deſpectui habent, ut eorum objectam auctoritatem una mollitie cervicis atque argutia digitorum ſatis elevare ſe putent; vero nomen cum riſu excipiant, & modeſti ac temperati audire velint, ſi cachinnis ac ſubſanationibus parcant. Horum ego nunc ſcriptorum cauſam non ſuſcipiam, quæ ſuſcepta jam fuit ab viris doctiſſimis (*a*) atque idoneis, qui temperantia ac moderatione uſi ea norunt diſtinguere ac ſeparare, quæ acervatim iſti confundunt atque permiſcent.

XX. Nam quid præterea hoc loco commemorem ab iſtis non in Scriptores ſolos, ſed in ipſos etiam ſanctos viros intemperantius inquiri, omnia ſingulorum prope Sanctorum dicta ac facta ad acerrimam cenſuram revocari, pene omnia infinitis dubitationum ambagibus involvi, pene omnia in falſitatis ſuſpicionem adduci. De nomine, de ortu, de patria, de peregrinationibus, de rebus mirabilibus patratis quæſtiones nullo fine inſtituuntur, dubitationes ſine numero commoventur, ſuſpiciones ſine modo coacervantur. Quid illos nominatim appellem? qui ab iſtis propter rerum geſtarum ſimili-

(*a*) Legenda omnino eſt Præfatio, quam Actis Sanctorum premittit Joannes Bollandus plenam judicii, plenam moderationis, & vero ac ſapiente Critico dignam; quæ duæ virtutes moderationis & judicii toto hoc immenſo in opere ab Heriberto Roſveido adumbrato, ſuſcepto a Joanne Bollando, Godefrido Enſchenio, Daniele Papebrochio, tum ab aliis ſubinde egregii laboris conſortibus & ſociis continuato, & ſi non adhuc ad exitum poſt tot annorum contentionem perducto, ſaltem valde producto elucent ſic, ut in illo lector nihil requirat, quod ad abſolutum boni ac probabilis Critici officium implendum pertineat.

militudinem quandam omnino rejiciuntur, perinde quaſi in tot Sanctorum millibus aliqua ſive in cultu vitæ, ſive in peregrinationibus, ſive in perpetratis prodigiis ſimilitudo eſſe non potuerit. Alii quidem aliam fere tenuerunt viam, ſed cum omnes eodem, ad cæleſtem nimirum patriam, tenderent, quid eſt, cur in eadem veſtigia eorum nonnulli aliquando non incurrerint? Quid denique illa referam? quæ paſſim in *Liturgicis* ipſis codicibus (a) iſti condemnant, aſpernantur, deſpuunt, quaſi apocryphis & commentitiis referti eſſent narrationibus. In his aliiſque hujuſmodi infinita iſtorum diſquiſitio ſe jactat, in his iſtorum labor verſatur aſſidue, quæ ſi vellem ſingula colligere, nullum modum habitura eſſet oratio.

XXI. Atqui aliquis certe modus tantæ intemperantiæ meo quidem judicio eſt conſtituendus. Nam quod Criticæ genus iſtud eſſe dicam? quod exlex, ſine modo, quo libet impune vagetur, & ſacratiora ipſa adyta pervadat atque perrumpat? Non jam tentatur ſolum, quod ille *expertus vacuum aera pennis non homini datis*, ſed *cælum ipſum petitur ſtultitia*; ut ego ſane, qui voca-

(a) Melchior Canus de Loc The. lib. 11. cap. 5. „ Eſto in publicis Ec- „ cleſiæ precibus habeantur quædam „ etiam falſa; num idcirco hiſtoriis „ Eccleſiæ omnibus fidem abrogare „ perges? . . . Mihi quidem illud „ Gelaſii conſilium placet, ut cum „ hujus generis hiſtorias Catholici „ legerint beati Pauli ſententia præ- „ cedat; *Omnia probate, quod bonum eſt tenete* . . . Maneat Di- „ vorum geſta, quæ in Eccleſia le- „ gi ſolent, deſpici nullo modo o- „ portere.

cabula omnia poteſtatis, imperii, dominationis, licentiæ, intemperantiæ jam conſumpſerim, quo potiſſimum nomine artem hanc, ut ab iſtis exercetur, appellem, non inveniam, niſi forte illud in eam quadrare exiſtimetur inauditæ cujuſdam proſcriptionis, qua illius cæleſtis patriæ coloni ex illis ipſis ſupernis ſedibus, quas ſibi vigiliis, jejuniis, laboribus, ſudore multo, & fuſo etiam non raro ſanguine acquiſiverunt, iniquiſſimo jure propemodum exturbandi exterminandique denotentur.

XXII. At enim multa in Sanctorum hiſtorias irrepſerunt, quibus cenſura non parcat, & quæ merito ab eorundem hiſtoriis removeantur. Audio; atque in hoc non repugno, non contradico. Potuit, ego quoque concedo, interdum humana Scriptorum ipſorum infirmitas labi, potuit credulitas decipi, potuit *ſimplicitas captivari*; potuit his in rebus ſe vulgus immiſcere, & , ut eſt natura ad rerum admirabilitatem augendam proclive, nonnulla depravare, potuit denique verum admixto falſo corrumpi. Quid igitur? projiciamne aurum, quod fere purum non eſt, & multa ex diverſis inferioris notæ metallis, & vero etiam luti ipſius ac terrenæ fecis concreta habet? Sanctorum hiſtoriæ non plus fere quam humanam ſibi vindicant fidem, non ſolidiori, quam quod humana ſubſternat fides, fundamento nituntur. Sed hoc ipſum fundamentum ab iſtis ſubrui, humanam hanc fidem iis abrogari, hoc ego dico, & ſæpius dicam, & ſine intermiſſione dicam nullo modo eſſe feren-

ferendum. Itaque per me licet Hiſtoricorum, qui hæc vel illa de ſanctis viris poſteritati tradiderunt, ingenium, gravitas, eruditio, probitas, fides exquirantur; hiſtoriarum ipſarum veritas expendatur, omnia ſuis ponderibus examinentur, vera a falſis ſecernantur; &, ſi quod eſt aliud, omne boni cenſoris officium expleatur. Sed adſit modus, adſit æquitas, adſit ſobrietas, adſit aliqua præſcriptio, & illa præſertim, quam ſæpius appellavi, & qua una virtutes omnes, quæ a Critico requiruntur, comprehendiſſe mihi videor, temperantia adhibeatur.

DE

Digitized by Google

DE PRAVO

ARTIS CRITICÆ

USU

Actionis II. Liber V.

Credo ego vos ſuperiore actione vehementer eſſe miratos, Florentini, eo uſque iſtorum in opinando evaſiſſe licentiam, ut ſanctiſſimis viris, quorum memoriam venerari ac revereri ſanctitatem maxime debuiſſent, non modo non pepercerint; ſed eoſdem etiam in ſupernis illis ſedibus conſtitutos, in quibus cum Chriſto beati regnant ac vivunt, propemodum adoriri novo atque inuſitato more non dubitaverint. Verum, ut, quod ſentio, libere dicam, tametſi hoc indignum valde & effuſæ cujuſdam intemperantiæ eſt, mihi tamen neque novum in iſtis, neque inuſitatum, neque vero magnopere pro cætera intemperantia mirandum videtur. Dixi antea, ſemel iſtos præcipi-

cipitem nimium lubricæ artis ingreſſos viam nequaquam futurum, ut ſe intra præſtitutos cujuſdam moderationis terminos continerent, quin in deterius ruerent, & ſuperiorem intemperantiam nova ſemper eaque majori intemperantia cumularent. Quod jam fore certo prædixeram, hoc ut demonſtravi, & novis a me documentis confirmabitur, non ſine Catholici nominis probro, nec minore Catholicæ ipſius Religionis detrimento evenit. Atque utinam ſecus, atque ante denunciaram, accidiſset; utinam a me graviora iſtis, quam quæ hactenus objecta ſunt, opponi non poſſent, & interceptus nunc actionum mearum conſiſtere hic neceſſario curſus atque hærere cogeretur. Mihi ſane moleſtum hoc (ita me Deus adjuvet, ut ex intimo animi ſenſu loquor, & quod latet in pectore vere ſincereque expromo) mihi, inquam, moleſtum hoc ac grave non eſſet; immo vero gauderem maxime, & pro eo, quo erga Catholicam Religionem amore ſum atque eſſe debeo, addo etiam, pro meo erga iſtos ipſos ſtudio, mihi in præſens ademptam ulterius in accuſando progrediendi facultatem incredibiliter vehementerque lætarer. Non enim me ad hanc accuſationem privatæ ullæ ſimultates inimicitiæque, quæ cum his intercederent, pertraxerunt; quæ quidem ſi interceſſiſſent, facile eas ego cum ipſis, tum præcipue Religioni remiſiſſem, libenterque condonaſſem. Verum iſta ipſa Religio, quæ me, quod ſæpius profeſſus ſum, ad hanc cauſam ſuſcipien-

piendam impulit, dies noctesque ſtimulat, quietum eſſe non ſinit, & non ſolum ad perſtandum in inſtituto, ſed ad idem acrius etiam ac vehementius urgendum impellit. Quo quidem loco non dubito, quin iſti ægre admodum laturi ſint, & deteriorem fortaſſe in partem accepturi odioſi accuſatoris in incœpto perſeverantiam. Sed, præterquamquod privata incommoda publicæ utilitati ſunt anteponenda, ſciant me bono animo agere cum ipſis, nec tam communem in hoc judicio reſpicere, quam peculiarem ipſorum ſpectare utilitatem, illudque habere propoſitum, & pro viribus contendere, ut, ſi quo modo poſſim, ipſis proſim, & ita proſim, ut in poſterum meliore conditione ſint, quam hactenus fuerint, & ipſi fortaſſe eſſe volunt. Etenim non ego ex eorum condemnatione ulla mihi ſpolia flagito atque depoſco; neque vero ullam nominis famam atque exiſtimationem quæro, unde creſcere mihi liceat, qui in noviſſimo loco recumbens ad altiores gradus aſcendere nec laboro nec volo, ſed ſatis amplum qualiſcumque hujus contentionis meæ præmium me reportaſſe arbitrabor, ſi eos ab immoderata opinandi licentia ad certam quandam temperantiam ac moderationem, a pravo Artis Criticæ uſu ad rectum ejuſdem artis uſum Deo bene juvante traduxero. Quapropter, quamcumque tandem in partem ea, quæ dicturus ſum, accepturi iſti ſint, non magnopere laborabo, & nihilo ſecius perſequar inſtitutum, urgebo propoſitum, obſequar ſtudio erga Catho-

licam

licam Religionem meo , obſequar veſtro , & pergam , quantum aſſequi potero , bonorum omnium votis ſatisfacere . Ita mihi favor veſter atque humanitas , quam hactenus expertus ſum , adſit , & me ad exitum uſque proſequatur , ut ego hujus ipſius , quam accuſo , intemperantiæ progreſſiones , quod jam recepi , vobis non oſtendam ſolum , ſed etiam , quoad per vires licebit , efficiam , ut vos quoque , quos ſumma de nimia iſtorum in opinando licentia admiratio cœperat , novis iiſque gravioribus de eadem ipſa licentia edocti exemplis mecum una in poſterum mirari deſinatis .

II. Sancti viri , quorum de hiſtoriis jam egimus , non ſolum rebus præclare geſtis eximiiſque virtutibus , quibus , dum viverent , floruerunt , ſed etiam admiranda illa a Deo ipſis tradita poteſtate, qua multa ſupra humanæ naturæ modum facere poterant , & re ipſa conſueverant, quam maxime celebrantur . Hoc autem ipſum Chriſti Domini denunciatum fuit Oraculo , qui diſertiſſimis verbis affirmavit ; Diſcipulos ſuos non ſolum mirabilia, quæ feciſſet ipſe , facturos , *ſed horum etiam majora facturos* . Eventus porro ipſe , ut in Sanctorum ipſorum monumentis paſſim legitur , tantæ prædictionis veritatem confirmavit . Jam qui prodigia ſanctis viris aliqua ratione adimere conatur , is non tam in eos criminoſus oſtenditur , quam in Deum ipſum , cujus omnipotentiam quodammodo videtur circumſcribere , injurioſus eſſe convincitur . Nihil enim eſt , quod Dei Opt. Max. numen

men clarius evidentiuſque declaret, quam prodigia, quæ a ſanctis viris vulgo & paſſim perpetrata dicuntur. Hæc immoderatiores Critici noſtri non negant ea quidem; ſed, quod in hujuſmodi rebus factitare conſueverunt, quantum aſſequi vel commovendis ſuſpicionibus, vel congerendis dubitationibus, vel ſiqua alia ratione poſſunt, convellunt, ut ex hoc capite major, ut videtis, eorum ſemper ac major intemperantia, quod demonſtrandum ſuſcepi, convincatur.

III. Atque ut ſine cunctatione, & a me inſtituto jam more ad hoc ipſum docendum veniamus, Hiſtoriam ſcitote quandam, quæ ſanctorum virorum res geſtas complectitur, in lucem fuiſſe editam. Hæc autem ab auctore ſuo homine externo tanta tamque exquiſita diligentia, tanto artificio, tanta ſollertia contexta fuit, ut ab ea, quæ hic vel ille ſanctus vir patraſſe fertur, ſublata miracula ac præciſa inveniantur. Sed præſtat facti tam ſingularis ab ipſomet auctore exquirere & audire rationem, quam ſane gravem fuiſſe neceſſe eſt, quæ hominem eo adigere potuit, ut prodigia contra omnium Eccleſiaſticorum Scriptorum conſuetudinem atque auctoritatem ex hiſtoria ſua expungeret atque deleret. Excogitate, Florentini, rationem, quam poteſtis, acutam, novam, ſingularem; vincam tamen exſpectationem veſtram. Hunc igitur auctorem, qui Sanctorum vitas tam fœde, ut dixi, circumciſas ac mutilatas edidit, tantum abfuit, ut facti ſui puduerit, ut excuſandum

dum etiam defendendumque ſuſceperit. Accipite rationem peracuto ac religioſo homine dignam. Ait *ſe noluiſſe ea ſcribere, quæ homines admirarentur; maluiſſe, quæ imitarentur, litteris conſignare.*

IV. O rem novam atque hactenus inauditam! O cogitatum plane incredibile! quo id agitur ac molitur, ut, ſi quo modo fieri poſſit, omnis prorſus admiratio de mundo tollatur. Hic ego miror vehementer, miramini vos, Florentini, & omnes, qui hiſtoriam hanc in manus ſument, non minus, quam ego, quam vos, profecto mirabuntur, quid cauſæ fuerit, cur auctor hic adeo admirationi infenſus extiterit, ut eam in lectoribus ſuis ſibi nequaquam excitandam putarit; nec vero animadverterit, ſe, dum omnem comprimere admirationem conatus eſt, hoc ipſo magnam de ſe, magnam de ſuo ſingulari facto omnium admirationem commoviſſe. Quanquam, ut caſtigatius loquar, ſtomachor ego, ſtomachamini vos, & omnes, quotquot hoc opus legent, profecto ſtomachabuntur; ut re ipſa non iſte quidem admirationem ſui excitarit, ſed omnium & moderate, & recte, & pie ſentientium in ſe indignationem concitarit.

V. Sed quid tandem vitii in admiratione deprehendit iſte, aut deprehendere potuit, ut eam in lectoribus commovere refugerit, ac propemodum exhorruerit ſuis? Atqui Deus ipſe tantum abfuit, ut ab admiratione refugeret, ut eam etiam in condenda pulcherrima

hac rerum univerſitate dedita opera induſtriaque quæſierit, Quorſum enim tantopere ornatui indulſit? quorſum cælum tot luminibus, ſignis, planetis, ſyderibuſque diſtinxit? quorſum terram tanta tamque admirabili arborum, herbarum, ſtirpiumque varietate conveſtivit? quorſum, inquam, tantus in tanta molitione rerum ordo, varietas, ſpecies; copia, venuſtas? *Perfecti*, inquit, *ſunt cæli & terra*, (Gen. II. 1.) *& omnis ornatus eorum*. Tantam, credo, ſpeciem jumentis & brutis animantibus ſpectandam Deus admirandamque propoſuit, & non potius expoſitam eſſe voluit hominibus, quibus & omnipotentiam oſtenderet ſuam, & in eorum animis juſtam ac debitam tot admirandis ab ſe conſtitutis operibus admirationem conciliaret.

VI. Neque vero in tam admirabili rerum condenda ordinandaque varietate admirationem quæſivit ſolum, ſed eam etiam, ac præcipue quidem, & nominatim ab hominibus requiſivit. Nam quid frequentius in ſacris Scripturis occurrit? quam illa; *Recordor mirabilium tuorum*, & *Laudans altiſſimum de mirabilibus ſuis*, & *Narrate omnia mirabilia ejus*, & *Conſidera mirabilia Dei*, aliaque hujuſmodi ſexcenta, quibus paſsim Deo ipſo hortatore atque adeo impulſore ad ſupremi numinis, ejuſque operum admirationem erigimur atque excitamur. Quid? Deus *mirabilia* ſua ſuſpici vult, conſiderari vult, laudari, narrari, prædicari vult; iſte nimirum ſeſe interponet, &, ſi qua admiratio in hominum animis excitari

tari cœperit, eam comprimere, atque in ipſo exortu ac ſemine elidere prorſus non dubitabit? Iſto ſcilicet auctore ac ſuaſore tantam pulcherrimarum rerum varietatem, ſpeciem, venuſtatem, tantum ornatum, quo perfecti ſunt cæli & terra, non admirabimur, nec tenue ſaltem hoc munificentiſſimo ac magnificentiſſimo Domino tot nominibus debitum admirationis tributum exſolvemus?

VII. Jam qui in condendis rebus inanimis ſenſuque carentibus tam admirabilis fuit, multo ſane admirabilior idem exſtitit in ſervis ſuis, non ſolum propter eximias, quibus illi excelluerunt, virtutes, ſed etiam propter ſigna atque miracula, quæ patrarunt; ab eodem enim fonte & eximiarum virtutum copia, & patrandorum miraculorum poteſtas in eoſdem redundavit. Verum, quanquam virtutes merito ſuo prodigiis ſint anteponendæ; tamen neſcio quomodo hæc præ illis vehementius homines commovere ſolent,& acrius eorum animos percellere atque ad ſui admirationem excitare. Quos igitur tanta collata poteſtate Deus admirabiles effecit, & in quibus ipſe admirabilis exſtitit, & ſe admirari profecto voluit, nos iſto auctore nequaquam eos ſuſpiciemus atque mirabimur? & quo omnis admirationis occaſio tollatur, novo more atque exemplo prodigia ab eorum hiſtoriis removebuntur?

VIII. Veteres certe illi ſanctiſsimi ac ſapientiſſimi Eccleſiæ Patres, quibus novum hoc conſilium

ignotum prorſus erat, nec vero ingenio ipſi ſuo aliquid hujuſmodi excogitare poterant, non ita ſeſe profecto geſserunt, nec ſibi a referendis ſanctorum virorum prodigiis abſtinendum eſſe exiſtimarunt. Hoc inter cæteros, ut de Cypriano, Athanaſio, Ambroſio, Hieronymo, aliiſque Patribus bene multis ſileam, præſtitit Auguſtinus lib.xxiI. cap.viii. *de Civit. Dei*, ubi narrat miracula, quæ ad Aquas Tibilitanas, quæ in Caſtello Synicenſi, quæ Calamæ, quæ alibi paſſim ea ætate beatiſſimi Protomartyris Stephani implorato auxilio copioſa atque illuſtria patrabantur. Quid illa, quæ ſermone cccxxiii. ex iis, quos *de Sanctis* inſcribit, ab eodem beatiſſimo patrata Stephano fuſe luculenterque perſequitur? Quid illa, quæ leguntur in ejus Confeſſionum libris, ubi illius nominatim prodigii meminit, cui ipſe, Mediolani cum eſſet, interfuit, & quod Deus oſtendit, cum ſanctorum Martyrum Gervaſii & Protaſii corpora recenti reſperſa ſanguine, ac ſi eo ipſo die martyrio affecti fuiſſent, a Sancto Ambroſio reperta ſunt. Miracula, credo, doctiſſimus ac ſanctiſſimus vir & ſcribendo, & concionando perſequebatur, ut nimirum lectores auditoreſque ſuos minus de imitatione ſollicitus, vana quadam atque inani admiratione defixos ac ſuſpenſos teneret.

IX. At enim fortaſſe ſterilis, & bonæ frugis prorſus expers exiſtimanda admiratio eſt, ut propterea iſte ei ſe jure iniquum adeo infeſtumque præbuerit. Sterilis

lis admiratio! Bonæ frugis expers! O noſter oſor admirationis huc ades, ac paulliſper adſta, & vide, quam multa quamque excellentia ab admiratione, quæ in noſtram ntilitatem derivari poſſint, bona proficiſcantur. *A magnitudine*, inquit, (Sapient. xiii. v.) *ſpeciei, & creaturæ*, quæ utique ſui admirationem excitant, *cognoſcibiliter poterit Creator horum videri*; neque videri ſolum, ſed etiam divinæ ejus perfectiones aliquo modo intelligi poſſunt atque cognoſci. *Inviſibilia enim*, ut ait Paulus Apoſtolus, (ad Romanos I. xx.) *ipſius a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas*. Jam, ſi ex admiratione hoc ſolum boni proveniret, ut ſpecie ac magnitudine *creaturarum* objecta ad Creatoris cognitionem erigeremur, parumne utilis ac frugifera admiratio exiſtimanda eſſet? Nam quid homini in hac vita expetendum eſt magis, quam conditorem ſuum auctoremque cognoſcere? Atque hac fere via, multi Gentiles & conſiderando opera Dei & admirando ad Dei ipſius notitiam evaſerunt. Niſi forte eam fingis admirationem, quæ ſtupida ſit, & quam nulla conſideratio conſequatur. Beſtiæ enim admiranda videre poſsunt, admirari non poſſunt, quia carent intelligentia. Porro ex cognitione Dei illa proveniunt; niſi prava voluntas obſtet, ut eum colat, diligat, ei pareat, & fidelem ſe præſtet in hac vita, quoad uſque illum in altera tanquam finem conſequatur. Spe-

cies rerum admirationem commovet, admiratio conſiderationem gignit, conſideratio cognitionem Dei, cognitio Dei & cultum, & obedientiam, & amorem parit, ex quibus illa demum ſuperna ac ſempiterna emergit beatitudo. Hæ ſane bonæ fruges ſunt, quæ ex hoc, veluti admirationis agro, quem tu inanem ac ſterilem videris exiſtimare, copioſæ atque uberes efferri poſſunt, & vero efferuntur.

X. Nam quid de prodigiis nominatim dicam? quot, & quanta bona ex iis proveniant; quantæ erumpant utilitates, quid commemorem? Prodigiis nutrimur, atque alimur ad Fidem. Prodigiis in ipſa Fide confirmamur. Prodigiis Catholica olim Religio longe lateque per totum terrarum orbem diffuſa fuit ac propagata. Prodigiis etiamnum propagatur; quod recentiſſima utriuſque Americæ & Indiarum exempla declarant. Prodigiis ad fiduciam erga Deum, & Sanctos ipſos excitamur, ut ea etiam, quæ ſupra naturæ modum ſunt, nos ſimiliter, atque alios, quos aut legimus aut audivimus, aliquo in diſcrimine ſive animi, ſive corporis conſtitutos, conſecuturos eſſe confidamus. Prodigiis ſæpe terremur, & propoſita Dei vindicis in ſceleſtos animadverſione a vitiis ad bonam frugem revocamur. Prodigiis & Sanctorum cultus augetur, & debita Deo prodigiorum auctori veneratio incrementum capit. Tolle prodigia, jam uno eodemque tempore tot ac tanta bona ſuſtuleris. Nunc quid vis amplius? ut

cum

cum admiratione in gratiam redeas, nec eam pergas bonæ frugis vacuam atque inanem criminari.

XI. Dicis, *te uni imitationi ſtudere voluiſſe, & ea ſcribere, quæ homines non admirarentur; ſed quæ imitarentur*. Audio. Sed primum, quomodo doces, admirationem cum imitatione componi non poſſe? Meo quidem judicio admiratio nunquam imitationi impedimento fuit, quominus proficere propoſitis Sanctorum virorum exemplis poſſemus, etiam ſi conjunctim cum prodigiis virtutum exempla proponantur. Niſi forte tu pertimuiſti, ne lectores tui cum miracula legerent, poſthabitis virtutibus, ea ſibi tantum imitanda arbitrarentur; ut exempli cauſa qui mortuum ab inferis excitatum legerit, ſibi ſimiliter imitandi cauſa excitandos eſſe ab inferis mortuos exiſtimaret. Facile quivis lector, quæ admiranda, quæ vero imitanda ſint, ſeparare novit atque diſtinguere. Cur igitur ea tu, quæ copulari inter ſe poſſunt, dummodo ad diverſa referantur, diſſocianda exiſtimaſti? Deinde, quî oſtenditur a te, prodigia ipſa ad imitationem, hoc eſt ad mores noſtros componendos, & vitam recte inſtituendam nihil conferre poſſe. Atqui, ut inquit Apoſtolus (ad Romanos xv. iv.) *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*. Jam in Scripturis ſanctis quam multa a Moyſe & Joſue clariſſimis populi Iſraelitici Ducibus, quam multa ab Elia & Eliſeo celeberrimis Prophetis, quammulta a Chriſto Domino Reparatore noſtro in Evan-

gelio, quam item multa ab Apoſtolis in Actis Apoſtolorum patrata illuſtria prodigia narrantur? Hæc nimirum omnia tibi, qui idcirco admirationem excluſeris, ut certius imitationem obtineres, fortaſſe a ſacris codicibus removenda videbuntur, ne forte Spiritus Sanctus, cujus aflatu ſacri codices conſcripti ſunt, minus de imitatione ſollicitus unam captare legentium admirationem voluiſſe arguatur. Prodigia igitur illa cum *ad noſtram doctrinam ſcripta ſint*, exiſtimandum ſane eſt, multum ad ipſam etiam morum inſtitutionem plurimumque conferre; quod ſi illa, cur non ea quoque ſimili ratione, quæ paſſim in Sanctorum hiſtoriis referuntur? Hæc autem aliaque hujuſmodi ſi ante tibi propoſuiſſes, & attentius conſideraſſes, quam operi tuo manum admoveres, te multo profecto aliter in conficiendo illo ipſo opere tuo geſſiſſes.

XII. At inquis, te excepiſſe prodigia Divina auctoritate conſecrata. Credo equidem; ſed iſta ipſa præclara exceptio parum tibi ſuffragatur. Etenim ratio illa tua, ſi recte animadvertis, cum omnia æque afficiat prodigia, inde conſequitur neceſſario, ut ſi propter imitationem, cui admirationem officere videris exiſtimare, ab Eccleſiaſtica, propter eandem cauſam etiam a divina Hiſtoria miracula omnia removenda ſint. Tu vero, qui ſacram reveritus auctoritatem ea admittis prodigia, quæ in Scripturis enunciantur, cur ea reſpuis, quæ in ipſis Scripturis divina inter-

terpoſita auctoritate eſſe in poſterum perpetranda diſertiſſime apertiſſimeque affirmatur. *In nomine meo*, Chriſtus inquit (Marc. xvi. xviii.) *dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit; ſuper ægros manus imponent & bene habebunt*. Quorſum tam ampla ac magnifica promiſſio? ſi nullus poſt ipſam promiſſionem nullus inquam fuiſſet aut dæmon ejectus, aut æger ſanatus, aut ſerpens ſublatus, aut mortifera veneni ſublata vis. Prodigia igitur, præter ea, quæ in ſacris codicibus leguntur, multa fuiſſe conſequentibus ab hac promiſſione temporibus patrata, univerſe ac generatim negari non poteſt. Quod ſi ita eſt, cur ea tu omnino ab hiſtoria tua removenda exiſtimaſti, perinde quaſi omnia ſuſpicioſa eſſent, & omni prorſus auctoritate deſtituerentur?

XIII. An, ſi tu aliquam vel mediocrem diligentiam adhibuiſſes, fieri poterat,ut in collectione tot prodigiorum atque acervo unum alterumve ſaltem non invenires,quod probares, quod dignum, cui aliquis in hiſtoria tua locus eſſet, arbitrarere? Quid? nullum igitur auctorem reperire potuiſti, cui fidem haberes? Nullum prodigium, quod certum exiſtimares? prorſus nullum? Non illa, quæ paſſim a ſanctis Patribus referuntur; non illa, quæ a graviſſimis auctoribus commemorantur; non illa, quæ ab ipſis Conciliis rata habentur; non denique illa tanto tamque exquiſito ſtudio examinata, de quibus Romana nunc Eccleſia, cum ſanctis viris publicam veneratio-

tionem decernit, judicium interponit ſuum. Magnum videlicet aliquid erat, & intolerandi, credo, laboris, illam, quam dixi, diligentiam adhibere, aliquem habere delectum, &, ſi aliqua adhibita diligentia nullum probabilem auctorem, quem ſequereris, ſi nullum habito delectu prodigium, de quo dubitari non poſſet, inveniſſes, tum demum, quod tibi viſum eſſet, faceres, tuum inſtitutum teneres, & novo more atque exemplo omnia ab omnibus omnium Sanctorum hiſtoriis miracula prorſus tolleres atque præcideres. Quid igitur cauſæ fuit, cur in re tam certa atque explorata, in qua nullum eſſe poterat, dummodo aliquam in referendis prodigiis certam rationem tenuiſſes, errandi periculum, in qua Sancti Patres, in qua Scriptores omnes, qui Sanctorum res geſtas vulgarunt, immo ipſe Spiritus Sanctus exemplo ſuo tibi præiverunt, quid, inquam, cauſæ fuit, cur tu ſolus hac in re tam diligens, tam religioſus, tam cautus & acutus, tam denique ſingularis eſſe volueris, cum præſertim tibi conficiendi operis, quod ad fovendam pietatem maxime conduceret, provinciam ſuſcepiſſes?

XIV. Sed quid ego longius hunc hominem inſequar? perinde quaſi ſolus eſſet in crimine; nec hujus ipſius, quod nunc redarguo, criminis ſocios haberet multo fortaſſe pernicioſiores, qui contra atque hic, de quo diximus, præſtitit, cum miracula omnia verbo tenus admittere videantur, nullum reſpuere, re ipſa nullum admit-

mittunt, omnia reſpuunt. Eos enim veritati, certitudini, probabilitati, veriſimilitudini conſtituunt terminos, tam preſſe definitos, tam arcte circumſcriptos, ut prope miraculo habendum ſit, ſi aliqua inter hujuſmodi cancellos prodigia locum inveniant, & intra illos per vim compingi poſſint, quin loci anguſtiis excludantur. Etenim ſi miracula, quæ paullo inuſitatiore modo naturæ modum ſuperant, ea incredibilia exiſtimentur, jam de omnibus pene miraculis actum eſſe, nemo eſt quin videat. Quid vero illi multo prioribus perniciosiores? qui in re ſancta male ſalſi, ne dicam impii, *viſiones*, quas vocant, *raptus*, *extaſes*, aliaque hujuſmodi per corporeas ſpecies ſanctis viris oblata contemnere ſolent atque ridere; perinde quaſi ſimilibus corporeis refertæ ſpeciebus Scripturæ non eſſent, quibus aliud oſtenditur, aliud indicatur. Præclare Auguſtinus generatim atque univerſe de prodigiis omnibus; quæ acriorem ſui excitant admirationem, animoſque hominum vehementius percellunt, præclare, inquam, Epiſt. LXIV. *Si hoc*, inquit, *quod de Jona ſcriptum eſt, Apulejus Medaurenſis, vel Apollonius Thyanæus feciſſe dicerentur, quorum multa mira nullo fideli auctore jactant, non jam in buccis creparet riſus.*

XV. Sed pergant porro iſti de re Catholica iſto modo bene mereri; pergant criminari prodigia; pergant eorum, qui ea narrant, elevare auctoritatem. Magnam profecto gratiam ſe ab infenſis Catholicæ Religio-

gioni hominibus inituros certo ſciant, quibus certiſſima Fidei noſtræ indicia remittunt atque condonant. Ecquando enim ipſis prodigia, quæ paſſim in Eccleſia Catholica perpetrantur, objecta ſunt, ut iis ſe vehementiſſime oppugnatos non ſenſerint? Cum huc pertrahuntur inviti, quid dicant ignorant, quid reponant non habent; hoc convicti argumento obmuteſcunt, & Catholicam Religionem præ ſua veram & unice veram taciti coguntur agnoſcere. Quod quidem *credibilitatis*, uti vocatur, argumentum tanti ſemper ipſi fecerunt, ut cum veris prodigiis deſtituerentur, falſa confingerent, quo errores ſuos populo perſuaderent, qui hujuſmodi veritatis teſtimonia, quibus fere unicis convincitur ac tenetur, flagitat atque repoſcit. Nunc vero hac cura, quæ eos ſemper maxime torſit, per iſtos liberati ſunt. Aculeus hic, qui eos nunquam non acrius pupugit, de eorum animis ſublatus eſt. Jam minime in poſterum ad aſtus, quibus falſa miracula confingant, confugere neceſſe habebunt. Jam noſtrorum liberalitate cenſorum utentur; nec ſibi profecto deerunt, quin hanc tantam & defendendi ſui, & nos oppugnandi oblatam a Catholicis ipſis opportunitatem arripiant, ex eaque ad Catholicæ Religionis damnum exitiumque proficiant.

XVI. Hic jam, quod propoſui, cum ſatis docuerim, actioni huic meæ modus a me imponi poſſet. Sed ignoſcite, quæſo Florentini, ſi ulterius progrediar, & date mihi hanc veniam, ut, quandoquidem de prodigiis agi-

agimus, peculiari cuidam meo ſtudio obſecundem, & unius nominatim eximii hoc ipſo in genere Scriptoris cauſam contra iſtos defenſionemque ſuſcipiam. Veſtra in me audiendo ſingularis humanitas fortaſſe facit, ut ego iſta ipſa veſtra humanitate, & vero etiam patientia abutar, ac longius, quam par eſt, producam orationem meam; ſed iterum quæſo vos, date hoc mihi, quod enixius poſtulo; quo, quam breviſſime fieri a me poterit, tranſacto, perorabo.

XVII. Quam multa Gregorius ille cognomento Magnus, quam omni doctrina referta, quam toti Eccleſiæ ſalutaria ſcripſerit, nemo eſt, qui ignoret, cum luce ipſa meridiana clariora ſint tanti viri opera; inter quæ ſumma laude ii feruntur libri, quos Dialogos inſcripſit, in quibus conficiendis perficiendiſque ita vir ſummus elaboravit, ut in illis ſuam effigiem plane ad vivum expreſſerit, nobiſque ſpectandam atque oculis propemodum ipſis uſurpandam exhibuerit. Quæ duo conſocianda divinus Præceptor diſcipulis edixit ſuis, *prudentiam* nimirum *ſerpentis*, & *columbæ ſimplicitatem*, hæc, meo quidem judicio, non in omni ſolum actione vitæ conjunxit ſic, nihil ut de ſimplicitate prudentia, nihil de prudentia ſimplicitas decerperet; ſed etiam in ſcribendo ita copulavit, ut in omnibus ſuis operibus inſigniter emineant & mirabiliter eluceant. Atque ut ſingillatim de ejus Dialogis, de quibus ſermo nunc inſtituitur, quod ſentio, dicam, hos ego libros legi perſæpe, & ve-

vehementer in his demiratus ſum non ſingularem tantum in rebus narrandis fidem, ſed ipſum etiam elocutionis genus. Quare his libris nihil puto eſſe, nec vero eſſe poſſe venuſtius. Stylus enim, (*a*) ſi quid de ſtylo judicare poſſum, mira quadam & ſubtiliſſima, ac plane aurea mediocritate temperatus eſt; atque ejus generis, ut, qui eum penitus non introſpiciat, illum facile aſſequi imitando ſe poſſe confidat, idem vero expertus, in ipſo conatu ſuccidat atque deficiat. His de cauſſis hi libri mihi ſemper ita probati fuerunt, ut eos, quemadmodum dixi, ſæpe legerim, & nunquam expleri eorum lectione potuerim, neque vero poſſim, uſque adeo & legendo delector, & ſine ſatietate delector.

XVIII. Porro his ipſis in libris multa admiranda, mul-

(1) Contra atque hic de Gregorii ſtylo Parthenius ſenſit, de ſuo ipſe Gregorius ſtylo videtur ſenſiſſe, qui in fine Præfationis, quam Enarrationibus ſuis in Sanctum Job præmittit, & S.Leandro Hiſpalenſi Epiſcopo inſcribit, diſerte affirmat ſe de ſtyli elegantia non admodum laborare; *Indignum*, inquit, *vehementer exiſtimo, ut verba cœleſtis Oraculi reſtringam ſub regulis Donati*. Sed, præterquamquod pro ſua animi demiſſione ita ſanctus vir locutus eſt, ſic ad eloquentiam natnra ipſa factus erat, ut non poſſet non eſſe elegans. In coagmentatione verborum, in clauſulis periodorum ſane harmonicus eſt & ſuavis. Neminem autem adeo inſulſum futurum arbitror, qui ei vel barbariſmos vel ſolœciſmos objiciat, quos linguæ, qua tunc homines loquebantur, uſus effecerat ne barbariſmi vel ſolœciſmi eſſent; uſus, inquam, *Quem penes*, ut ait ille, *arbitrium eſt*, & *jus*, & *norma loquendi*. Delicati nimium atque adeo inepti exiitimandi ſunt, qui ſecus ſentiant. Cæterum Patres omnes ſuum proprium eloquentiæ caracterem habent, quem qui probe internoſcat, non poterit eorum lectione non vehementer delectari.

multa ſupra naturæ modum a ſanctis viris perpetrata continentur. Multa de ſancto Benedicto Monachorum parente ac magiſtro longe clariſſimo, multa de aliis præcipuæ ſanctitatis viris mira narrantur;ut hoc etiam nomine magnam ei habere gratiam Hiſtoria Eccleſiaſtica debeat,quam incredibilem in modum locupletavit. Plurima enim vir accuratiſſimus collegit, quæ niſi ipſe litteris poſteritatique commendaſſet, in tenebris conſepulta oblivionis perpetuo jacuiſſent. Quare opera atque aſſiduitate ſua effecit, ut, qui rerum copia munumentiſque Græcos ſuperabamus, ab iiſdem, qui in prodenda rerum ſuarum memoria ſane accurati fuerunt, ſtudio diligentiaque ne vinceremur.

XIX. Hæc a me vere de tanto Eccleſiæ Doctore dicta eſſe arbitror; & non tam a meo, quo præcipue in eum feror, pietatis atque obſervantiæ ſtudio, quam ab unius veritatis amore profecta. Porro hunc talem ac tantum virum, qui in tam præcelſo culmine locatus omnem extra teli jactum conſtitutus eſſe debuerat, quis non crederet iſtorum cenſuram evaſiſſe? Evaſiſſe! immo vero hunc ipſum, de quo dico, talem ac tantum virum non ſua divina virtus, non ſapientia, non gravitas, non dignitas, non locus, non auctoritas ita ſepſit atque munivit, ut ad illum, perfractis tot repagulis, licentior iſtorum cenſura intemperantiorque non pervaſerit. *Multo patentiores*, inquiunt, *quam opus erat, & vero etiam patientiores hominum ſer-*

ſermonibus mirabilia ferentibus aures Gregorius præbuit; quaſi vero nos non multo, quam oportuit, *patentiores*, ac *patientiores* tot jactatis in Patres conviciis aures hactenus præbuerimus, & adhuc præbere cogamur. Nimiæ igitur, ut videtis, credulitatis inſimulatur Gregorius in conficiendis illis ſuis Dialogorum libris referendiſque prodigiis; minimi conſilii, nullius prope judicii, qui mira omnia, quo tandem cunque auctore oblata, nullo delectu arripuerit, litteriſque mandarit.

XX. Agite vero nunc, & primum voſmetipſi an accuratius quidquam ac diligentius fieri potuerit, cognoſcite; tum vero utrum illæ contumelioſæ voces, quas ego met hiſce auribus accepi, quibuſque non ſine ſtomacho & non raro interfui, jactari debuerint, judicate. Qui mirabilia narraturus erat, quæ de ſua veritate dubitationem fortaſſe aliquam ſuſpicionemque commovere poſſent, quo omnem dubitationis ac ſuſpicionis ex legentium animo ſcrupulum eximeret, & noſtrorum nimiam Criticorum in inquirendo diligentiam anteverteret, opus ſuum ab hoc exordio auſpicatur, quod præſtat audire, quo tanti viri diligentiam ſimul, ac prudentiam admiremini. *Ea*, inquit (Petrum Diaconum ſuum alloquitur, quem in his Dialogis interlocutorem adhibet), *ea*, inquit, *quæ mihi ſunt virorum venerabilium narratione comperta incunctanter narro, ſanctæ auctoritatis exemplo, cum mihi luce clarius conſtet, quod Lucas & Marcus Evangelium, quod ſcripſe-*

pſerunt, *non viſu*, *ſed auditu didicerint*; *ſed ut dubitationis occaſionem legentibus ſubtraham*, *per ſingula quæ deſcribo*, *quibus hæc narrantibus mihi comperta ſint*, *manifeſtabo*. *Hoc vero ſcire te cupio*, *quia in quibuſdam ſenſum ſolummodo*, *in quibuſdam vero & verba cum ſenſu teneo*; *quia ſi de perſonis omnibus ipſa ſpecialiter verba tenere voluiſſem*, *hæc ruſticano uſu prolata*, *ſtylus ſcribentis non apte ſuſciperet*; *Seniorum valde venerabilium didici relatione*, *quæ narro*.

XXI. Quod hoc in exordio recipit, nimirum, ut quibus hæc vel illa mira ſibi narrantibus comperta fuerint *manifeſtet*, hoc toto in opere præſtat ſic, ut fere in principio uniuſcujuſque capitis illa ſuo quæque loco accommodata legantur; *Libertini viri Reverendiſſimi*, *Fortunati Venerabilis Abbatis*, *Leandri Epiſcopi*, *Gaudentii Presbyteri*, & reliquorum, quorum hic non eſt neceſſe indicem texere, *relatione*, *narratione*, *cognovi*, *accepi*, *didici*. Præterea in ſingulis narrationibus loca, tempus, perſonæ deſignantur; locorum, temporis, perſonarum notantur adjuncta; nec ea ſibi objicere interdum omittit, quæ dubiam ac ſuſpicioſam facere narrationem poſſent; nec vero etiam ea non diluit ac plane diſſolvit, quo omnis omni dubitationi ac ſuſpicioni aditus intercludatur. Hic ego rogo vos, Florentini, qui iſto ſe modo geſſerit, potueritne credulitatis & nimiæ credulitatis jure inſimulari? Ego certe non video, quid gravius ad veritatem oſtendendam,

quid ad omnem dubitationem, & vel ad minimam tenuiſſimamque dubitationis ſuſpicionem amputandam non dicam fieri, ſed ne excogitari quidem a diligentiſſimo accuratiſſimoque Scriptore accomodatius potuerit.

XXII. Miracula quidem ſanctus Scriptor narrat, & multa narrat, & illuſtria narrat, & inuſitata narrat; ſed ea, quæ narrat, ſingula ſibi virorum fide digniſſimorum narratione comperta narrat. Prodigiis utique totum illud opus contextum eſt, ſed non tam prodigiis, quam ſummis graviſſimiſque auctoritatibus coagmentatum. Dicit, ſe quæ narrat de *Seniorum valde venerabilium relatione didiciſſe*. Dicit, ſe multa iiſdem verbis, quibus ſibi narrata ſunt, ſcripto mandaſſe fideliter. Dicit, ſe in quibuſdam narrationibus ſenſum tantummodo; in quibuſdam vero verba cum ſenſu retinuiſſe. Quæ qui dicit, appoſite profecto ad conciliandam fidem dicit. Addit præterea, minime eſſe neceſſarium, ea, quæ narrantur, viſu, ſed ſatis eſſe ſi auditu percepta ſint, & hoc ipſum allato Lucæ & Marci Evangeliſtarum exemplo confirmat. Neque vero quemquam, opinor, ruſticana illa verba, quæ uſurpare ſe nolle dicit, commovere debent, perinde quaſi quæ narrat a ruſticanis accepiſſet & minus fide dignis hominibus. Nam, præterquamquod *pleraque a Senioribus valde venerabilibus* ſe didiciſſe diſerte affirmat, non ruſticana idcirco verba rejiciuntur, quaſi falſi aliquid contineant, cum ſententia teneatur; ſed quia ſermonis elegantiam perderent at-

atque corrumperent. Qua re ſatis oſtendit, ita ſe veritati ſtuduiſſe, ut linguæ nitorem, qui ſummam rebus dignitatem conciliat, non neglexerit.

XXIII. Hic ego iterum rogo vos, utrum vobis accuratius aliquid fieri ac diligentius poſſe videatur. Ego ſane non video, quæ nam major atque exquiſitior adhiberi potuerit diligentia. Si in hoc erro, cupio doceri a vobis, cupio corrigi, atque adeo redargui non ægre feram. Sed vobis tacentibus, & mecum ſentientibus, & approbantibus irrumpunt iſti, omnium hominum plane confidentiſſimi, & certius de rebus ipſis a Gregorio narratis ſibi judicium vindicant. Audite quomodo? Ego, Gregorius inquit, rem vidi, rem perſpexi, aut rem ab eo, qui vidit & perſpexit, cognovi; opportunitatem habui, rogandi, quærendi, & quidquid ad rem ipſam certam faciendam pertineret, ſciſcitandi, ac demum omnibus rite perpenſis & examinatis, ita hoc, vel illud, quod narro, & non aliter ſe habere pronuncio. Hæc Gregorius. Quid iſti? Non illi, qui rem vidit, qui perſpexit, qui ſingula, quæ opus erant, ſciſcitari potuit, aut rem ipſam, de eo, qui & vidit & perſpexit, ſe didiciſſe aſſeverat, fidem adhibe; ſed quam illi fidem detraxeris, nobis, qui tanto poſt tempore fuimus, qui rem nec vidimus, nec perſpeximus, nec ab eo, qui vidit & perſpexit, cognoſcere potuimus, adjunge. Numquid tibi idonei non videmur, qui his de rebus judicemus? Idonei

nei quidem eſtis, ſed pervellem his temporibus, quibus hæ res actæ dicuntur, proximiores eſſetis; cuperem certis auctoribus vobis eaſdem eſſe cognitas; vobis etiam oblatam fuiſſe interrogandi, quærendi, ſciſcitandi facultatem. Quam proximitatem, reponunt, temporis flagitas? quam interrogandi opportunitatem requiris? Nos his de rebus, quanquam in ſumma temporum longinquitate conſtitutis, ſine tot percunctationibus multo certius ars noſtra critica ferre ſententiam docet. At enim ars critica judicium eſt, quo tantum Doctorem deſtitutum eſſe quis credat? Judicium ſit; ſed hoc ipſum judicium recentioribus hujus ipſius artis præceptis inſtitutiſque perpolitum multo rectius cenſeri debet atque limatius. At hæc ipſa ars ex earum artium genere non eſt, quæ conſequentibus temporibus, ut Phyſica, ut Aſtronomia, ut plures aliæ, incrementa ſua debeat. Quare cum multis opportunitatibus, quando de rebus a memoria noſtra disjunctis agitur, ars iſta veſtra neceſſario careat, minus idcirco idonea ad ferendum ſuum de iis judicium interponendamque teſtificationem videtur eſſe exiſtimanda, ut in contentione teſtificationum illæ, quas antiquitas commendat, jure ſint anteponendæ. Præterea ...

XXIV. Sed quid eſt, cur ego ulterius ſtomachando progrediar, & plura congeram? Audiſtis jam, & mecum etiam doluiſtis, quo in numero Eccleſiæ Patres iſti ducant; quam iis generatim atque univerſe pietatem impendant,

dant, quam reverentiam & re & verbis exhibeant; ut omnes prope ordinis, loci, dignitatis gradus *(a)* ſuſtulerint, ut omnia denique ad arbitrium ſuum licentia intemperantiaque exæquarint. Nunc autem, ut de reliquis ſileam, quem iſti Patrem, Deus immortalis! tanta affecerunt injuria? quem Virum credulitatis, perinde ac ſi judicio prorſus deſtitutus fuiſſet, inſimularunt? quem Scriptorem infra ſequioris notæ Hiſtoricos detrudere cogitarunt? ut mihi quidem in tanto Patre, Viro, Scriptore ſtatutum ab iſtis tantæ intemperantiæ exemplum eſſe cum maxime acerbum propter indignitatem rei, tum propter auctoritatem hominis *(b)* omnino intolerandum videatur.

XXV. Etenim eſtne hic Gregorius ille Magnus, cujus præclariſſima merita toto terrarum orbe diffuſa ad Eccleſiam univerſam pertinuerunt? cui cognomen illud dignitatis atque auctoritatis inſigne, uni tantum inter ſummos Pontifices, ſi Leonem I. excipias, propter ſingularem ſanctitatem & doctrinam & res præclare geſtas,

(a) Egregie, ut cætera, Melchior Canus de Loc. Theol. lib. 1. cap. 6. „ Modeſte, *inquit*, & circumſpecto „ judicio de tantis viris, (*Gregorio* „ *nimirum*, *cui Bedam adjungit*) „ pronunciandum eſt ... Pauca enim „ in eis poſſis arguere, quanvis „ Hiſtoriam Eccleſiaſticam revocare „ ad ſeveriora judicia contendas. „ Ac ſi neceſſe eſt in alteram peccare partem, omnia eorum probari legentibus, quam multa reprobari malo.

(b) Ad elevandam tanti viri auctoritatem neſcio quid de anima Trajani ab inferis precibus S. Gregorii liberata nonnulli blaterant. Hanc fabellam egregie confutat Baronius in ſuis Annalibus. Legendus omnino eſt Natalis Alex. tom. 3. ſæc. 2. diſſ. 1. qui rem non tam expendit, quam definit.

ſtas communi Eccleſiæ ipſius conſenſu ſententiaque tributum eſt. Eſtne hic Gregorius, de quo ſanctus Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus ampliſſimum illud & longe honorificentiſſimum ab ſe conſcriptum reliquit elogium, his verbis; *Gregorius Papa, Romanæ Sedis Apoſtolicæ Præſul, compunctione Dei plenus, humilitate ſummus, tanto per gratiam Spiritus Sancti ſcientiæ lumine præditus, ut non modo illi præſentium temporum quiſquam Doctorum, ſed ne in præteritis quidem illi par fuerit unquam?* Eſtne hic, quem Honorius Auguſtodunenſis *Organum Spiritus Sancti, incomparabilem omnibus ſuis prædeceſſoribus* nuncupat? quem Jo: Tritemius *Theologorum principem, ſplendorem Philoſophorum, Rhetorum lumen* nominat, *& virum in divinis Scripturis eruditiſſimum, & in ſæcularibus litteris doctiſſimum* appellat? Eſtne hic, quem Venerabilis Beda tanquam Anglorum Apoſtolum, ut re ipſa fuit, & colit, & prædicat? Eſtne hic, qui Catholicam Fidem multis locis labefactatam reſtituit, qui Donatiſtas in Africa contudit, qui Arianos in Hiſpania coercuit, Agonitas Alexandria ejecit, Neophytos hæreticos e Gallia exterminavit, Gothos peſtiferam ſectam ejurare adegit, Mauritium Imperatorem ab iniqua ſententia deterruit? Eſtne hic, cui Spiritus Sanctus, quæ ſcripto mandabat, dictaſſe fertur, quem Petrus ipſe Diaconus columbæ ſpecie ejus capiti inſidentem ſæpius ſe vidiſſe teſtatus eſt? Eſtne hic, qui librum, quem Euthymius Patriar-

cha

cha Conſtantinopolitanus contra veram *carnis reſurrectionem* ſcripſerat, confutans ita Tiberii Imperatoris animum commovit, ut eum librum tradendum flammis Imperator ipſe abſumendumque judicarit; Euthymium autem ita convicit, ut in extremo vitæ ſuæ termino conſtitutus pellem manus ſuæ contrectans multis præſentibus illud teſtificaretur; *Confiteor, quia in hac carne omnes reſurgemus?* Eſtne hic, qui Joannis Patriarchæ item Conſtantinopolitani ſibi *univerſalis* Eccleſiæ Epiſcopi nomen arrogantis audaciam fregit petulantiamque compreſſit, & nomen illud uni Romano Pontifici aſſeruit ac vindicavit? Poſtremo eſtne hic, qui ſummum honorem fugiens, & in ſpelunca alieno veſtitu, ne agnoſceretur, deliteſcens, indicio igneæ columnæ oſtenſus ad Petri Cathedram invitus & multum repugnans evectus eam virtutibus, moribus, ſanctitate, doctrina, inſtitutis, edictis, legibus, libris editis, & prodigiorum patratorum fama mirandum in modum illuſtravit? In hoc igitur tali ac tanto viro intemperantiæ tam gravis exemplum conſtitui oportuit? Hunc, quem ſine aliqua ſignificatione honoris ne nominare quidem licet, credulitatis & nimiæ credulitatis inſimulari? O rem acerbam ac maxime luctuoſam! de qua nec ſatis graviter conqueri, nec ſatis digne vociferari, nec vero ad id ipſum præſtandum verba ſatis idonea, qui vehementiora omnia vocabula jam de mea oratione præciderim, & unum, mite

ſane illud ac moderatum, intemperantiæ mihi reſervarim, reperire me poſſe intelligo.

XXVI. Sed moliantur, machinentur iſti licet omnia, omnem lapidem moveant; ſudabunt, ſi Superi volent, & nihil tot molitionibus ac machinationibus aſſequentur. Iſtis vel invitis, contradicentibus, repugnantibus, oppugnantibus, quæ ab auctore graviſſimo, ingenio, ſapientia, fide, religione, integritate, ſanctitate, prodigiis clariſſimo ſcripta ſunt, manebunt, & inconcuſſa manebunt. Exſtabunt ſanctiſſimi Pontificis & ſapientiſſimi Doctoris opera omnia, & hi nominatim Dialogorum libri, non ſolum ad tanti Scriptoris commendationem, ſed ad rerum ipſarum, quæ his in libris narrantur, recordatione & fide digniſſimarum, notitiam ſempiternam exſtabunt; & Opus hoc eximium, ſingulare, admirandum, divinum, quam in Eccleſia Græca, cujus etiam in linguam converſum eſt, ſemper obtinuit, in Latina nunquam non retinebit auctoritatem.

DE

Digitized by Google

DE PRAVO

ARTIS CRITICÆ

USU

Actionis II. Liber VI.

NON dubium, Florentini, quin inter omnes ſanctos viros, quorum cauſam proximis duabus actionibus defenſionemque ſuſcepi, ſancti in primis Martyres, & egregiarum virtutum copia, & miraculorum patratorum fama maxime emineant, & longe multumque antecellant. Hi ſunt fortiſſimi Athletæ, qui in duriſſimo agone conſtituti pro Religione Catholica ſtrenue decertarunt, hi ſunt, qui impiis Tyrannorum edictis invicte reſtiterunt, qui eorum minas, quibus illos a vera fide abducere, & ad nefandum Idolorum cultum traducere conati ſunt, intrepide contempſerunt, qui carceres, vincula, exilia, ignes, gladios, ſecures, cruces, inaudita cujuſque gene-

Digitized by Google

neris tormenta fortiter conſtanterque perpeſſi de ipſis demum Tyrannis clariſſimum obita morte & fuſo ſanguine triumphum reportarunt. Tantam autem inde gloriam Catholica mater Eccleſia, quæ tam fortes ac generoſos partus edidit, inſtituit ad fidem, armavit ad pugnam, erudivit ad coronam, conſecuta eſt, ut non majorem a reliquis, quorum vita, etſi acta ſanctiſſime fuerit, non ita tamen *per omnia probata fuit*, adempta ſit. Quapropter jure ac merito illos peculiari honore ac veneratione dignos ſemper exiſtimavit; eorum nomina ſacris Faſtis jam inde a vetuſtiſſimis temporibus inſcripſit; præclara eorum certamina quotidie prædicat, triumphos celebrat, & auguſtioribus indictis ſolemnioribuſque cæremoniis eorundem annuos dies feſtos memoriamque proſequitur. Vidit hoc æmula Hæreſis; vidit, & invidit, ac nigro livore tabeſcens tanto ſe honore nudam prorſus ac ſpoliatam ingemuit. Itaque, ne quidquam hoc in genere laudis Catholicæ Eccleſiæ concederet, ad aſtus atque fallacias confugit, ac Marcionitas primum & Cataphrygas, tum alios ſubinde mendaciſſimos homines nequiſſimoſque commovit, & neſcio quos ab illis excogitatos Martyres colendos imperitæ multitudini venerandoſque propoſuit. Sed ſua eam fefellit aſtutia; non enim illud providit, quod providentiſſime Catholica Eccleſia in Martyribus ſuis, quos *non facit pœna, ſed cauſa*, multo ante, atque adeo a ſuo ipſius exordio præcaverat. Hac igitur ſpe de-

dejecta, quam conceperat, fore, ut iiſdem nobiſcum inſignibus ornata procederet, alio conſilia ſua, immo vero aſtum atque fallaciam improba veteratrix contulit, aliamque ſibi ineundam eſſe rationem exiſtimavit, ut, ſi quo modo aſſequi poſſet, Eccleſiam Catholicam, aut tanto ornamento ſpoliaret, aut certe multum de tanto ornamento detraheret. Sed conatus omnes licet exerat ſuos, omnia moliatur; nihil ſane proficiet, nihil conatibus, nihil molitionibus ſuis aſſequetur. Quos Hæreſis deſiderat Martyres, quibus caret, & carebit in poſterum, iis nullo non tempore Catholica abundavit Eccleſia; &, quoties ſe præbebit occaſio, nunquam non abundabit. Ardor ille, quo glorioſiſſimi olim & fortiſſimi Heroes incenſi fuerunt, reſtinctus non eſt; viget adhuc, & multorum pectora ſuccendit, ut non longe a memoria noſtra repetenda recentiorum Martyrum æque certa atque illuſtria exempla declarant. Jam vero ægre admodum fero accuſationem meam in eum eſſe locum neceſſario adductam, ut iſtorum, hoc etiam in genere intemperantiam diſſimulare non poſſim, quæ tanto gravior exiſtimanda eſt, quanto inſignius meriti de Eccleſia Catholica Martyres ſunt, majuſque ei decus præ reliquis ſanctis viris atque ornamentum contulerunt. Verum, quando ipſi hac in re non ſe diſſimulanter geſſerunt; dabunt mihi, opinor, hanc veniam, ut ego quoque nihil diſſimulem, & ea non obtegam ac ſilentio premam, quæ ipſi primum palam facere, & editis libris

bris vulgare non dubitarunt. Vos attendite, Florentini, & quantum poteſtis in re graviſſima maximique momenti áttentionem veſtram intendite. Contendam & ego, atque omnes ingenii animique mei nervos in hac cauſa, quoad potero, exeram. Digna res eſt genere ſuo, quæ luculenter tractetur, digna, quæ diligenter audiatur, digna communi pietate, digna communi Religione, atque hujuſmodi, in qua meum in dicendo ſtudium cum veſtra in auſcultando diligentia certet.

II. Sanctorum Martyrum agones, ſupplicia, cruciatus, quæſtiones, reſponſa, cauſa ſuppliciorum & necis, exitus denique ipſe, qui vitam ſanctiſſime plerunque atque innocentiſſime traductam clauſit & conſecravit, vetuſtiſſimis litterarum monumentis continentur, quæ *Martyrum Acta* nuncupantur. Hæc ſumma diligentia collecta olim fuerunt, ne tantarum rerum ſempiterna plane commemoratione digniſſimarum memoria prorſus interiret, ac diuturnitate temporis aboleretur. Egregiam huic rei operam jam inde ab Eccleſiæ ipſius exordio Clemens ſanctiſſimus Pontifex & Martyr navandam curavit, qui Urbem in ſeptem regiones a ſe deſcriptam totidem Notariis aſſignavit, quorum munus eſſet Acta Martyrum accurate perquirere, litteriſque mandare. Idem præſtitit Fabianus ejus ſucceſſor & item Martyr, qui illud præterea addidit, quo Acta Martyrum fide digniora & quam teſtatiſſima eſſent, ut ſeptem a Clemente ad pium hujuſmodi munus jam deſtina-

ſtinatis Notariis totidem Subdiaconi præeſſent, qui, quæ Notarii collegiſſent, accurate diligenterque cognoſcerent. Eccleſiarum omnium Principis & Magiſtræ exemplum reliquæ ſecutæ ſunt Eccleſiæ, & eandem ferme rationem in conquirendis deſcribendiſque Actis Martyrum adhibuerunt.

III. Neque vero quomodo fortiſſimi Athletæ in agone ſuo ſe gererent certo cognoſcere ac plane habere perſpectum difficile admodum erat, immo vero perfacile. Non enim fere ea judicii forma adhibebatur, ut indicta cauſa Chriſtiani nullo more, nullo exemplo, temere condemnarentur. Accuſabantur, evocabantur, interrogabantur; nomen edere, Religionem profiteri cogebantur; proponebantur edicta Imperatorum, contra quæ feciſſe arguerentur; ad ſtatuas Deorum, quas colerent, quibus thus adolerent, adducebantur; quod ſi recuſarent, torquerentur, ac demum morte afficerentur. Omnino in his quæſtionibus uſitata ac plane forenſis ratio ſervabatur; palam atque aperte res agebatur, in conſpectu atque oculis omnium, ut, qui vellet, adeſſe poſſet, & Chriſtiani ipſi Ethnicis immixti adeſſe non nollent, quo Martyrum ipſorum reſponſis atque exemplis erudirentur, & ſe ad eadem, ubi oblata foret occaſio, fortiter atque alacriter perpetienda, & ad fundendum etiam, ſi opus eſſet, libenter pro Chriſto ſanguinem tanta propoſita conſtantia confirmarent.

IV. His de cauſis factum eſt, ut, quæ geſta erant, cer-

certo cognoſci poſſent, quippe quæ, aut ab Ethnicis, qui hac in re mentiri non poterant, audita, aut ab ipſis, qui adfuiſſent, Chriſtianis accepta tenebantur. Itaque multa de Sanctis Martyribus præclariſſima ad noſtram pervenerunt notitiam, & illa præſertim, quæ interrogati Martyres conſtanter intrepideque reſponderunt, in quibus omnino divina vis & ſapientia elucet, ut re ipſa impletum manifeſte appareat diſertum illud Oraculum atque illuſtre, quod jam ante Chriſtus pronunciarat illis verbis; *Cum ſteteritis ante Reges, & præſides nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Et illud aliud non minus diſertum atque illuſtre; *Dabo vobis os, & ſapientiam, quibus non poterunt reſiſtere ac contradicere omnes adverſarii veſtri*. Quapropter reſponſa Martyrum & dicta, utpote quæ Divino afflatu juxta Chriſti ipſius pollicitationem ac vaticinium edita cæleſtem doctrinam continent, non dubium, quin Catholicis omnibus non ſolum probata eſſe maxime & commendata, ſed ſummam etiam apud eoſdem obtinere debeant auctoritatem.

V. Et ſane, ſi Acta Martyrum ſumere pauliſper in manus voluerimus, ubique non tam ſingularem in perferendis cruciatibus fortitudinem eminere, quam cæleſtem in dictis atque reſponſis elucere ſapientiam reperiemus. Cum Secunda nobiliſſima Romana Virgo immaniſ-

niſſime cæderetur, Ruffina ſoror, quæ cum in eadem eſſet cauſa, non eadem afficiebatur pœna, Tyrannum appellans; *Quid eſt*, inquit, *quod ſororem meam honore, me autem afficis ignominia? jube ambas ſimul cædi, quæ ſimul Chriſtum Deum confitemur*. Quo, quid conſtantius ac divinius dici potuit? Crudeliſſimis torquebantur cruciatibus Marcus & Marcellianus fratres, quos cum his verbis Judex affaretur; *Reſipiſcite miſeri, & vos ab his cruciatibus eripite*, reſponderunt; *Nunquam tam jucunde epulati ſumus, quam hæc libenter Chriſti cauſa perferimus*. Quid? cum Proceſſus & Martinianus ſæviſſime verberarentur, ecqua alia vox inter dolorem crepitumque plagarum exaudiebatur, quam hæc? *Sit nomen Domini benedictum*. Quid? Joannes & Paulus propoſita Imperatoris gratia a Terentiano ſollicitati quam intrepide illa intulerunt? *Si tuus Dominus eſt Julianus habeto pacem cum illo; nobis non alius Dominus eſt, niſi Jeſus Chriſtus*. Quid denique nobiliſſimam Virginem & Martyrem Luciam commemorem? quæ Præſidem affata; *Caſte*, inquit, *& pie viventes templum ſunt Spiritus Sancti*; cui cum Præſes interminaretur ſe juſſurum illam eo raptari, ubi ejus caſtitas violaretur, & ſic templum Spiritus Sancti eſſe deſineret, illa addidit præclariſſima; *Si me invitam juſſeris violari, palma mihi duplicabitur ad coronam*. Hæc aliaque hujuſmodi dicta, quæ paſſim in Actis Martyrum leguntur, & hic colligere non vacat, nemo non videt plena inviciſſimi roboris

boris eſſe, plena ſapientiæ cæleſtis, ſaluberrimorum plena documentorum. Quo nomine, quemadmodum dixi, nobis Acta Martyrum commendata maxime eſſe debent, & tanto commendatiora, quanto ea legendo & ſalubrioribus inſtruimur præceptis, & acrioribus ad omne virtutum genus ſtimulis excitamur.

VI. Jam vero cum tanta, quantam demonſtravi, Martyrum Actis ſanctitas, tanta religio, tanta auctoritas inſit, tantus inde fructus, tantus in omni virtutum genere profectus conſequatur; quis unquam Catholicus eſſe poterat, qui ea, quoquo modo attentare auderet? Dodvvellus fuit homo Heterodoxus, qui cum videret quantum ex prope innumerabili Sanctorum Martyrum numero Eccleſiæ Catholicæ & ornamentum & firmamentum accederet, illud aggredi non dubitavit, ut, ſi qua ratione poſſet, Catholicam Eccleſiam tanto ſimul & ornamento ſpoliaret, & firmamento nudaret. Quapropter opus edidit, quod inſcripſit, *De paucitate Martyrum*, quo in opere negat tantum eſſe Martyrum numerum, quantus ad vanam oſtentationem a Catholicis prædicatur. Hoc, ut confirmet, omnia fere acta Martyrum de medio ſuſtulit, alia falſitatis, alia incredibilitatis inſimulavit, alia alio modo labefactare conatus eſt. Quandoquidem autem contra omnem omnium ſæculorum auctoritatem, contra omne omnium Scriptorum teſtimonium pugnare inſtituerat, ut cæco quodam præjudicatæ opinionis impetu repiebatur,

tur, eo delatus eſt, ut Nerones, Decios, Valerianos, Maximianos, Domitianos, Diocletianos, aliaque hujuſmodi inauditæ inhumanitatis monſtra atque prodigia crudelitatis abſolveret. Verum cum plane conſtaret, infinita Chriſtianorum millia ſupplicio eſſe affecta, abſolutis nocentiſſimis hominibus, ſæviſſimæ cladis culpam aut alio derivavit, aut in ipſos innocentiſſimos Martyres per ſummam injuriam contulit. Sed homo alienæ laudis invidus auſu ſuo neque lætatus, neque vero potitus eſt. Ipſi Heterodoxi *(a)* nimiam hominis in re teſtatiſſima abominati licentiam, eundem adoriri ac confutare non dubitarunt. Plus apud eos valuit æquitatis amor, quam qualecumque, quod de propria Secta, cui opinio illa ſuffragabatur, fovebant ſtudium; &, damnata iniqui obtrectatoris ſententia, præclarum veritati, & vero etiam perhonorificum Catholicæ Religioni teſtimonium dederunt.

VII. Hoc modo omnis prorſus aditus ad acta Martyrum non dicam convellenda, ſed vel carpenda tantum omnino præcluſus videri poterat; quando Heterodoxi ipſi patrocinium veritatis, contra ejuſdem Sectæ hominem, cauſamque ſuſceperunt. Quid igitur?

(a) Dodvvellum confutarunt Chriſtianus Guillelmus Loeſcherus, & Joannes Leonardus Buchta, ambo Heterodoxi. Hæ confutationes editæ ſunt Vittembergæ, altera an. 1697., altera an. 1703. Eundem Dodvvellum e noſtris egregie confutavit Theodoricus Ruinartius e ſacro S. Benedicti Ordine, vir doctiſſimus & eruditiſſimus, ac de S. Martyribus inſigniter meritus in præfatione, quam preclariſſimo Operi ſuo præmittit, quod *Acta Martyrum ſelecta atque illuſtrata* inſcribit.

Hanccine iſti opportunitatem ſibi tantam exercendi artem illam ſuam elabi ſinent ? Nihilne in ſumma vetuſtiſſimorum monumentorum copia molientur ? nihil machinabuntur ? Temperabuntne ſibi a veneranda antiquitate, quæ, cum res tantas, tam varias, tam illuſtres, &, quod præcipuum eſt, a memoria noſtra diſjunctiſſimas exhibeat, videtur quodammodo iſtis & cavillandi anſam præbere, & ingenitam illam, qua laborant, quælibet carpendi libidinem commovere acriter ac provocare ? Hoc certe fieri nullo modo potuit, niſi forte prorſus ingenium iſti exuerint ſuum, & pravum morem diuturna conſuetudine confirmatum correxerint. Attendite igitur, Florentini, & videbitis, iſtos aliam quidem, atque ille Anteſignanus, quem paullo ante commemoravi, tenuiſſe viam; ſed tamen eundem ſpectaſſe terminum, atque eodem varia per diverticula tandem aliquando evaſiſſe.

VIII. Ac primo quidem ita ad Acta Martyrum cognoſcenda aggreſſi ſunt, ut in ea ſeveriſſimum examen acerrimamque diſquiſitionem inſtituerint. Laudarem conſilium, ſi temperantia conſilii comes ac moderatrix affuiſſet; ſed quando una fere hoc in negotio dominata intemperantia fuit, conſilium ipſum non poſſum non reprehendere. Tot enim veritatis notas, tot falſitatis indicia excogitarunt, ut ſi quis ea ſingulis Martyrum Actis accommodet, omnia propemodum tanquam falſa & commentitia damnare cogatur. Has porro veritatis

mo-

notas, hæc ipſa falſitatis indicia ſaltem præcipua (neque enim omnia per tempus licet) nunc, ſi videtur, paullo diligentius expendamus.

IX. Volunt igitur in primis Acta Martyrum, ut veridica habeantur, eſſe brevia. Quid? quæ nova iſthæc lex eſt? quæ hujuſmodi Actorum Scriptoribus tanto poſt tempore edicitur. Lex, ſi eas res excipias, quæ ſponte ſua malæ ſunt, ut, etiam ſi lex non eſſet, vitari deberent, futurum tempus reſpicit, non præteritum; ſed tamen quæ nova iſthæc lex eſt? Si multa narrari debuerint, ſi ſæpius hic vel ille Martyr cruciatus fuerit, ſi diverſis tormentorum generibus affectus, ſi non ſemel, ſed ſi iterum, ſi tertio, ſi quarto denique ad Judicis tribunal adductus, ſi pluribus interrogationibus fatigatus, ſi multæ propoſitæ ad diſſolvendum quæſtiones, ſi alia ex alia, uti fit, emergente controverſia ſermo productus, ſi *amplius* pronunciatum & reus comperendinatus, ſi alia præterea multa, quæ uſu in judiciis venire ſolent, inciderint, quamobrem judicium ipſum non expeditius tranſigeretur, hæcne omnia iſtis auctoribus omittenda a Scriptore erant, ut brevitati, quam veritatis notam eſſe contendunt, ſtuderet? Brevitas, ut ego arbitror, neque veritatis, neque mendacii indicium eſt, cum utriſque æque poſſit accommodari; ſed tamen iſta ipſa brevitas Scriptoris negligentiam interdum oſcitantiamque coarguit, qui multa omiſerit, quæ poſterorum memoriæ mandare omnino debuiſſet. Brevitas

vitas quidem inepta, ridicula, ſupervacanea, ad rem non pertinentia reſpuit; ſed non verborum, nec rerum paucitate definitur ac circumſcribitur. Brevis oratio longa eſſe poteſt, ſi ſuperfluis redundet; contra vel longiſſima, ſi nihil redundans in ea ſit, brevitatis virtute commendabitur. Cur igitur brevitas iſta hic tantopere poſtulatur? quæ Martyrum Actis omnino attemperanda erat, ut Acta ipſa pro natura quæſtionum & Judicum & perſonarum, pro varietate rerum & temporum, alia aliis contractiora, alia aliis productiora eſſe neceſſario debuerint.

X. Brevitati adjunctam eſſe volunt, quam vocant *ſimplicitatem*. Non repugno. *Simplicitas*, ſi recte intelligatur, falſitati, quæ duplex dicitur, opponitur. Da mihi veram narrationem, non ex ingenio confictam atque compoſitam, hanc ego *ſimplicem* appellabo. Abſit mendacii fucus, abſint rerum extranearum pigmenta, & meo judicio, &, ut credo, etiam veſtro, narratio & vera & *ſimplex* erit. Si quid aliud deſideratur, nos doceant. Hic autem, ut quod ſentio dicam, tum illa brevitas, tum iſta *ſimplicitas* mihi valde in iſtis ſuſpecta eſt. Certe Joannes Chryſoſtomus (in arg. Epiſt. ad Philem.) tantum abfuit, ut brevitatem in iis, quæ ad ſanctos viros quoquo modo pertinent, repoſceret, ut potius minima quæque poſterorum memoriæ a Scriptoribus conſignari voluiſſet. Loquitur ille quidem de ſanctis nominatim Apoſtolis; ſed nihil prohibet, quominus de reliquis ſanctis vi-

viris ejus verba intelligantur. Nam quid ego eam prolixitatem non amem, qua erudior, quæ mihi prodeſt, qua melior fio? Iſti vellent Acta Martyrum eſſe brevia; ego contra Chryſoſtomi ſententiæ adhærens multo eſſe vellem, quam re ipſa ſunt, productiora. *Simplicitatem* vero quemadmodum iſti interpretentur plane non aſſequor; ſed veteri ſubit, ne hanc quoque malam in partem accipiant atque detorqueant.

XI. Et ſane tum brevitatis, tum *ſimplicitatis* nomine ſancti Juſtini Martyris Acta iſti mirabiliter efferunt, & tanquam veridicorum Actorum ſpecimen vulgo legenda proponunt. Gaudeo nobiliſſimi Martyris Acta iſtis vehementer probari. Lætor hæc ſaltem eorum feliciter evaſiſſe cenſuram. Quid vero, ſi omnia fere Martyrum Acta oppugnari vehementius, quam hac ipſa ſimulatione laudis non potuerint? Attendite diligenter; nemo Judex bonus eſſe poteſt, qui ſuſpicione non moveatur. Ego ſane tanta liberalitate laudum commotus Acta Juſtini illico adii, legi, & inter legendum illud ſtatim menti objectum fuit, quod eſt apud Poetam; *Concurritur, horæ Momento, aut cita mors venit, aut victoria læta*; tolle disjunctionis particulam jam prope abſoluta Juſtini Acta habebis atque perfecta. Ruſtico Præſidi Juſtinus ſiſtitur cum ſociis; ad obtemperandum Imperatori, & Diis ſacrificandum invitantur, recuſatur; pauculæ fiunt interrogationes, reſpondetur; capitalis pœna proponitur, excipitur; Judex *feciſſe vi-*

Z 3 *deri*

deri pronunciat; confeſtim decretam animadverſionem lictor exequitur, Martyres verberibus affecti ſecuri feriuntur, humantur; prorſus nullum ut citius tranſigi judicium expeditiuſque potuerit.

XII. Jam, ſi ad hanc brevitatis & *ſimplicitatis* normam reliquorum Martyrum Acta exigantur, non eſt, cur de omnium propemodum hujuſmodi monumentorum jactura recuſemus. Plurima certe vel optimorum judicio Criticorum probatiſſima repudianda erunt, propterea quia nequaquam conſimili & brevitate & *ſimplicitate* commendantur. Quid igitur iſta brevitas ſibi vult? quem ad finem iſta tantopere efflagitatur *ſimplicitas*? nonnullis quidem Martyribus æqua, ſed reliquis iniqua atque exitialis. Iſto modo Juſtinus ipſe Acta ſua laudari non vult; veſtram repudiat laudem cum reliquorum Martyrum vituperatione injuriaque conjunctam. Multa occurrunt, ut videbitis, in Actis Martyrum, quæ iſti ab eorum Scriptoribus commemorata nollent; multa, quæ expuncta omnino vellent, idcirco Aſiatici ipſi in refellendis Martyrum Actis, in iis cognoſcendis & examinandis Lacones repente facti ſunt. Quanto conſultius, quam in Actis Martyrum damnant prolixitatem, eandem in ſe ipſi damnaſſent; quanto ſalubrius quæ multa in eos ſcriptitarunt, brevitati ſtudentes contraxiſſent, aut etiam omnino de ſuis operibus ſuſtuliſſent.

XII. Sed quid cenſores noſtri de ſtylo quoque ſentiant, audiamus; neque enim hunc ſine cenſura abire paſſi

paſſi ſunt, atque in veritatis indicium advocarunt. In hoc autem illud plane ſingulare, quod ſtyli varietate graviter offenduntur, perinde ac ſi unus atque idem iſtiuſmodi Scriptorum ſtylus eſſe debuerit. Quid hoc eſt? cui unquam venit in mentem, eundem a Scriptoribus ſtylum efflagitare? Stylus uniuſcujuſque Scriptoris ingenio & eruditioni accommodari ſolet, & pro varietate rerum & artium varius eſſe atque diverſus; ut, qui unum atque eundem in Scriptoribus ſtylum poſtulet, perinde faciat, ac ſi una atque eadem in omnibus hominibus oris lineamenta requirat. Suus cuique, ut ſua cuique facies, ſic in ſcribendo color eſt; qua in re tantum abeſt, ut idonei rectæ dictionis æſtimatores offendantur, ut ipſa varietate elocutionis ac diſſimilitudine delectentur. Eſt quidem in hujuſmodi ſcriptis idem fere atque unum narrationis filum; ſed unus atque idem poſtulari ſtylus jure non potuit. Quæ igitur varietas in Hiſtoricis æque, atque in Oratoribus laudatur, qui in eloquendo exponendoque inter ſe diſſimiles ſunt; fuſior hic, preſſior ille, ornatior hic, ille minus ornamentis abundans; hæc Criticis noſtris diſplicebit? hæc Actorum Scriptoribus vitio dabitur? hæc in ſuſpicionem ementitæ veritatis adducetur?

XIII. Nam quid de ſuperbiſſimo iſtorum judicio, ſive potius faſtidio dicam? qui uſque eo delicati ſunt, ut ipſis voculis, ſiqua pro aliqua affini ac conſimili, contra atque debuit, fuerit uſurpata, ad nauſeam uſ-

que ſoleant commoveri. Equidem non dubito, quin prima Actorum exemplaria recte ſcripta fuerint, ſed cum ſæpius exſcripta ſint, quid facilius, quam in affinibus hiſce vocibus errare librarium? cui nota non eſt venalium hujuſmodi hominum inſcitia, negligentia, oſcitantia? Quanquam ſimilitudo ipſa vocabulorum facit, ut aliud pro alio vocabulum ſua prope ſponte ſub acumen ſtyli in ſcribendo ſubeat, ut auctores ipſi, ne dum excriptores, niſi diligentius caveant, ipſa vocabulorum affinitate decipiantur. Atqui ſcitote, ab iſtis de induſtria conquiſitas hujuſmodi voces, in quibus librarii errarunt, & tanquam falſitatis notas ſanctorum fuiſſe Martyrum Actis objectas. Quid? Quod antiquis omnibus MSS. commune eſt, & æquo animo ferimus; hoc in Actis Martyrum ſingulare erit, & nullo modo ferendum? Quæ nova iſthæc diligentia eſt? quæ moroſitas? quod faſtidium? Eſto; librarius dormitans pro *Fabio Fabianum*, *pro Fabiano Flavianum* ſcripſerit; idcircone ob unius voculæ crimen Acta ipſa minus ſincera judicabuntur? in falſitatis ſuſpicionem adducentur? tanquam falſa repudiabuntur? Sed tamen ita eſt, uti dico; hæſerunt iſti ad haſce voculas, & tanquam ad ſcopulum graviter impegerunt; ſed, quod dolendum ſummopere eſt, ad hunc ipſum ſcopulum multa ſanctorum Martyrum Acta forte fortuna delata naufragium miſerabiliter ſubire coacta ſunt.

XIV. Verum, quandoquidem iſti prope cenſoriæ artis

artis obliti Rhetoris perſonam ſuſceperunt, qui multa de brevitate, multa de *ſimplicitate* narrationis, multa de ſtylo diſputarunt, nunc quid præſertim de Eloquentia præcipiant, audire præſtat. Iſtorum verba afferam, quo vos etiam de eorum ſtylo judicetis, & quomodo illum in Patres acuant novis edocti exemplis cognoſcatis. *Cum Acta Martyrum*, inquiunt, *aut eorundem Elogia a Patribus deſcripta legimus unumquemque noſtrum meminiſſe oportet* ... Meminiſſe oportet! Quid hoc eſt, quod, cum Acta illa aut Elogia legimus, oporteat nos meminiſſe? Ego ſane quoties ea lego, toties de ſanctiſſimorum Patrum officio, religione, fide, gravitate, integritate cogito; toties eorum mihi ſapientiam, doctrinam, eruditionem, auctoritatem propono; horum memini, horum recordor; hæc una cogitatio ſubit. Ne in mentem quidem venit, quod nefas eſſet ſuſpicari, eos in narrandis ſanctorum Martyrum rebus geſtis, celebranda conſtantia, prædicandis virtutibus quidquam addidiſſe de ſuo, ut res ſupra modum efferrent, ſupra veritatem exaggerarent. Quid ergo eſt, quod *unumquemque noſtrum meminiſſe oporteat*? Niſi iſthuc ipſum, quidquid tandem illud ſit, nobis iſti ſuggerant, nec mihi certe, nec vobis, ut credo, in mentem venire poteſt; nihil præter ea, quæ dixi, nihil prorſus, quod meminiſſe debeamus, occurrit aliud.

XV. Audite reliqua, & tum denique quid *meminiſſe nos oporteat intelligetis. Non neglexerunt*, addunt, *Patres*

tres Eloquentiæ privilegiis uti, quibus eos artificioſe colloquentes inducerent, quos in ſcenam producebant. En, quod meminiſſe debemus; en, quod nos recordari oportet. Itane vero? quæ Patres de ſanctis Martyribus poſteritati tradiderunt, perinde ſcripta a ſanctiſſimis viris exiſtimabuntur, ac ſi non de veritate iidem laboraſſent, ſed unice de locupletanda novis commentitiis Heroibus ſcena cogitaſſent? Et mirabimur, hanc ipſam calumniam Hieronymo, ut audiſtis, jam ab iſtis affictam, nunc prope omnibus communem Patribus fieri? Hæc igitur erunt *Eloquentiæ privilegia*, quibus Patres uſi ſunt? abuti nimirum arte ceteroquin optima, eamque ad peſſimum uſum per ſummam improbitatem nequitiamque conferre. Nam quod tandem novum hoc *privilegiorum* genus eſſe dicemus, hactenus ab omnibus, qui Eloquentiæ præcepta tradiderunt, ignoratum, & ab iſtis ſolis excogitatum? Non aliis ad hanc diem *privilegiis* Eloquentia gaviſa eſt, quam gaudeat Hiſtoria. Oratori æque atque Hiſtorico in narrando rebuſque exponendis communis ſemper fides fuit, a qua ſi utrique recedant, uti non hic Hiſtorici, ita neque ille Oratoris nomine dignabitur; niſi forte iſtis Eloquentiæ *privilegia* ſint, res ſupra veritatem efferre, fallere, decipere, mentiri, ut nullum jam inter Oratorem, & improbum veteratorem circulatoremque diſcrimen interſit.

XVI. Sed quem potiſſimum e Patribus novis hiſce atque inauditis *privilegiis* iſti deſignent, quæ Acta vel

Elo-

Elogia indicare velint, mihi videor aſſecutus. Ambroſium deſignant; Elogium Agnetis, Acta Laurentii indicant. Age vero, quo ſpecimen hujuſmodi *privilegiorum* capiamus, eloquentiſſima Ambroſii ipſius de Agnete primum, tum de Laurentio verba recitentur, plane digna, quæ etſi alias audita, tamen iterum ac ſæpius audiantur, & quibus impolita hæc atque inficeta oratio mea non tam ornetur, quam perſperſo veluti quodam diſertiſſimi Patris oratorio lepore condiatur. *Hæc*, inquit, (lib. de Virg.) *tredecim annorum martyrium feciſſe traditur; quo deteſtabilior crudelitas, quæ nec minuſculæ pepercit ætati; immo magna vis fidei, quæ etiam ab illa teſtimonium invenit ætate. Fuitne in illo corpuſculo vulneri locus? & quæ non habuit, quo ferrum reciperet, habuit, quo ferrum vinceret. Hæc inter cruentas carnificum impavida manus; hæc ſtridentium gravibus immobilis tractibus catenarum; nunc furentis mucroni militis totum offerre corpus, mori adhuc neſcia, ſed parata, vel ſi ad aras invita raperetur, tendere Chriſto inter ignes manus, atque in ipſis ſacrilegis focis trophæum Domini ſignare victoris; nunc ferratis colla manuſque ambas inſerere nexibus; ſed nullus tam tenuia membra poterat nexus includere. Novum martyrii genus. Nondum idonea pœna, & jam matura victoriæ; certare difficilis, facilis coronari; magiſterium virtutis implevit, quæ præjudicium vehebat ætatis. Non ſic ad thalamum nupta properaret, ut ad ſupplicii locum, læta ſucceſſu,*

gra-

gradu feſtina virgo proceſſit. Flere omnes, ipſa ſine fletu. Mirari plerique, quod tam facile vitæ ſuæ prodiga, quam nondum hauſerat, jam quaſi perfuncta donaret. Stupere univerſi, quod jam divinitatis teſtis exſiſteret, quæ adhuc arbitra ſui per ætatem eſſe non poſſet. Quanto terrore egit carnifex, ut timeretur? quantis blanditiis, ut ſuaderet? quantorum vota, ut ſibi ad nuptias proveniret? At illa; Et hæc Sponſi injuria eſt, inquit, expectare placituram. Qui me ſibi prior elegit, accipiet; quid percuſſor moraris? pereat corpus, quod amari poteſt oculis, quibus nolo. Stetit, oravit, cervicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem, quaſi ipſe addictus fuiſſet, tremere percuſſoris dexteram, pallere ora alieno timentis periculo, cum puella non timeret ſuo. Habetis igitur in una hoſtia duplex martyrium, pudoris & religionis. Et virgo permanſit, & martyrium obtinuit.

XVII. Hic vero quid ego dicam? Negarim nobiliſſimæ Virginis Martyrium elegantiſſime ac plane oratorie a ſancto Doctore fuiſſe deſcriptum? Sed nihil certe ornatius ſcribi potuit atque eloquentius. Quid igitur? idcircone minus vera deſcriptio judicabitur? quia elegans & eloquens eſt, quam ſi incompta fuiſſet & rudis. Mitto illa veriſſima, *deteſtabiliorem Tyranni crudelitatem, quæ minuſculæ non pepercit ætati*; magnam extitiſſe vim fidei, quæ *teſtimonium ab ea invenit ætate*; *magiſterium impleſſe virtutis, quæ*

præ-

præjudicium vehebat ætatis. Illa vero, in eo *corpuſculo non fuiſſe vulneri locum*, *nullum* reperiri *nexum* potuiſſe, qui *tenuia* delicatioris puellæ *membra* conſtringeret; *quam nondum hauſerat*, *vitam* profudiſſe, & his ſimilia quemadmodum intelligi debeant, iſtos docere hoc loco prætermitto. Sed eorum, in quibus tota narrationis ſita vis eſt, quid iſti negant? Stridentium tractus catenarum? cruentas carnificis manus? impavidum Martyris pectus? incenſos ignes? expanſas in ignibus Chriſto manus? addictam morti tenerrimam atque innocentiſſimam victimam? ſtetiſſe? oraſſe? cervicem inflexiſſe? magnanimam, intrepidam, in communi luctu ac pallore lætantem ſupremum ictum, quo Martyrii corona decoraretur, excepiſſe? Quid, inquam, horum iſti negant? quid infirmant? quid reprehendunt? Exſpecto quid dicant, quid reponant? Re enim ipſa hæc, quæ affirmantur omnia, præſtitit invictiſſima Martyr; & læta proceſſit, & expandit manus inter ignes, & ſtetit, & oravit, & jugulum præbuit, & ictum excepit. Ubi hic *privilegia* Eloquentiæ ab iſtis perperam excogitata? ubi ſcenæ? ubi theatra, quæ iſti ad elevandam non tam diſertæ, quam veræ narrationis fidem comminiſcuntur?

XVIII. De Laurentio autem illa ſunt non minus digna, quæ† audiantur. *Non prætereamus*, inquit,† iterum & ſæpius, *S. Laurentium*, *qui*, *cum videret Sixtum Epiſcopum ſuum ad martyrium duci*, *flere cœpit*, *non paſſionem illius*, *ſed ſuam remanſionem. Itaque his verbis appellare cœpit*;

Quo

Quo progrederis ſine filio, Pater? Quo, Sacerdos ſancte, ſine Diacono properas? Nunquam ſacrificium ſine miniſtro offerre conſueveras. Quid in me ergo diſplicuit, Pater? Num degenerem probaſti? Experire certe, utrum idoneum miniſtrum elegeris. Cui commiſiſti dominici ſanguinis conſecrationem, cui conſummandorum conſortium Sacramentorum, huic conſortium tui ſanguinis negas? Vide, ne periclitetur judicium tuum, dum fortitudo laudatur. Abjectio diſcipuli, detrimentum eſt magiſtri. Quid? quod illuſtres & præſtantes viri diſcipulorum certaminibus, quam ſuis vincunt? Denique Abraham filium obtulit, Petrus Stephanum præmiſit; & tu, Pater, oſtende in filio virtutem tuam; offer quem erudiſti, ut ſecurus judicii tui comitatu nobili pervenias ad coronam. Tunc Sixtus; Non ego te, fili, relinquo ac deſero; ſed majora tibi debentur certamina. Nos quaſi ſenes levioris pugnæ curſum recipimus; te quaſi juvenem manet glorioſior de Tyranno triumphus. Mox venies, flere deſiſte; poſt triduum me ſequeris. Inter Sacerdotem & Levitam hic medius numerus decet. Non erat tuum ſub magiſtro vincere, quaſi adjutorem quæreres. Quid conſortium paſſionis meæ expetis? Totam tibi hæreditatem ejus dimitto. Quid præſentiam meam requiris? Infirmi diſcipuli magiſtrum præcedant, fortes ſequantur; ut vincant ſine magiſtro, qui jam non indigent magiſterio.

XIX. Hactenus Ambroſius libro I. Officiorum cap. XLI. Quanquam hæc non Ambroſii, ſed Laurentii

tii (a) & Sixti exiſtimanda ſunt verba, quæ pariter ſi negem eſſe eloquentia ac plane oratoria, ejus, quam profiteor, artis ignarus omnino videar. Plena quidem, non diffiteor, pietatis ea ſunt, plena luctus, plena amariſſimæ conqueſtionis; ſed omnia invictiſſimi Martyris in ſanctiſſimum Pontificem pietati, omnia inceníiſſimo, quo Laurentius ipſe flagrabat, Martyrii deſiderio, omnia fortitudini, quam in perferenda inauditorum tormentorum atrocitate idem præ ſe tulit, plane conſentanea, omnia denique hujuſmodi, quæ ex intimo animi ſenſu a clariſſimo Martyre prolata eſſe appareat; quo ex ſenſu ſi quando loquimur, omnes ſine iſtorum *privilegiis* eloquentes & diſerti ſumus. Male iſti de Eloquentia opinantur; nec miror; ſi enim veræ Eloquentiæ ſtuduiſſent, multo aliter de ea ſentire & loqui didiciſſent. Ejus ſemina in nobis inſita a natura ſunt, quæ quidem accedens ars explicat, ſed ea non ad mendacium, ſed ad veritatem educit. Ars perficit naturam, non corrumpit. Quapropter ſi illa ipſa verba attentius perpendantur, nemini dubium eſſe

(a) Legatur Ruinartius, qui in *Admonitione in Martyrium S. Laurentii* hæc habet. „ Subjungimus „ duo loca inſigniora ex S. Ambroſii Officiis, ne extrema aliquot „ tanti Martyris ad mortem pro „ Chriſto ſubeundam anhelantis *ver-* „ *ba tantopere celebrata* hic a nobis „ prætermiſſa nonnemo queratur „. Porro hæc eadem verba ſaltem præcipua animadverſionibus leguntur illuſtrata apud Auguſtinum Tract. 27. in Joan., & Maximum Hom. 1. de S. Laur., quod indicio eſt, non eſſe ex arbitrio conficta, ſed internuncia traditione accepta, ut reipſa fuerunt tum a Sanctis Pontifice & Levita pronunciata, qui ſine ullis *privilegiis* ferventiſſima in Chriſtum ſola charitate eloquentes eſſe potuerunt.

eſſe poteſt, quin ita, uti ab Ambroſio relata ſunt; re ipſa a SS. Martyribus Sixto & Laurentio fuerint pronunciata. Omnino neſcio quid divinum ſonant, & tantum flexanimæ vis adjunctum habent, ut in audientium mentibus infigi atque hærere debuerint, & digniſſima exiſtimari, quæ poſteritati nullo vel tenuiſſimo apice immutato traderentur. Hic ego iterum quæro ab iſtis, ubi in his verbis Eloquentiæ *privilegia*? ubi ſcenæ? ubi theatra? ubi fictitii Heroes illi ab iſtis perperam excogitati, qui a Patribus *artificioſe ſecum colloquentes in ſcenam producerentur*? ubi denique ea, quæ, cum Patres de Sanctis Martyribus ſcribentes legimus, nos *oporteat meminiſſe*? Monita iſti ſua ſibi habeant, ſibi reſervent, & meminerint in poſterum de Patribus & honorificentius ſentire, & temperantius loqui.

XX. Ab Oratoria ad Poeticam gradum faciunt. Atque hic quoque audite rurſus, audite, inquam, iſtorum verba & ea vos momentis ſuis pro veſtra æquitate ac ſapientia penditote. *Eſt cur credamus*, inquiunt, *S. Paulinum ex Poeticæ diſciplinæ ingenio S. Felicis virtutes celebraturum ab ejus artis licentia ſe nequaquam abſtinuiſſe*. Quid hic ego dicam, aut agam? Nolo dolentius vociferari; nolo conqueſtionibus intemperantius indulgere. Quid faciam igitur aut dicam? Parco miſellis; parco ignorantibus, qui ſicuti nunquam veræ Eloquentiæ ſtuduerunt, ita, quid Poeſis ſit, nunquam didicerunt; redarguendi quidem certe, ſed non minus etiam docendi. Poeta fictor eſt, Poema eſt

eſt compoſitio. Itaque hi tantum Poetæ habendi ſunt, qui aliquid ad arbitrium quidem, ſed ſubſtrata facti alicujus illuſtris veritate componunt ac fingunt, & ita nobis naturam ſuis expreſſam coloribus in aliquo Heroe exhibent, ut ad vitam recte inſtituendam illo veluti propoſito exemplari erudiamur. Cæterum qui tantum res geſtas adſtricta poeticis numeris oratione perſequitur, is non Poeta, ſed Verſificator habendus eſt. Electioribus quidem verbis in rebus exponendis hic uti poteſt, ſed res ipſas fingere omnino non poteſt; ut non aliud inter Oratoris & Verſificatoris orationem diſcrimen interſit, niſi quod altera adſtricta numeris eſt, altera plane incedit libera ac ſoluta; niſi forte communes utrique numeri judicentur, ut una oratoriis vincta ſit, altera poeticis numeris adſtringatur. In hujuſmodi autem Poeta, qualis Paulinus fuit, mitto reliqua tanti viri ornamenta a ſanctis Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, Gregorio ſcriptis ſuis celebrata, quorum gratia plurimi ejus ab iſtis fieri debuit auctoritas; ſed tamen in hujuſmodi Poeta quæ ſuſpicio exaggeratæ aut ementitæ veritatis eſſe potuit? Sed hæc iſti neque diſtinxerunt unquam, neque diſtinguunt, qui illud unum videntur habuiſſe propoſitum, ut Acta Martyrum poetico expreſſa metro in falſitatis ſuſpicionem adducerent.

XXI. Quapropter non hoc loco eorum ego mentionem faciam, quæ de Martyribus bene multi verſibus exararunt, quorum egregios labores iſti tanquam *e poetica*

diſciplinæ ingenio, & ab *hujus artis licentia* profectos criminabuntur. Neque vero quidquam dicam de Hymnis & Rithmicis hujuſmodi carminibus, quæ quidem carmina, ſi vetuſtate commendentur, magnam obtinere debent his in rebus auctoritatem. Picturas autem quid hic in medium afferam? quæ non ſolum nos delectant cognitione formarum, ſed rerum etiam notitia erudiunt. Non enim dubito, quin illa ſtatim *poteſtas 'quidlibet audendi Pictoribus atque Poetis* communis mihi ab iſtis ſit opponenda. Eſto; Acta nobiliſſimæ Martyris Euphemiæ Aſterius Amaſenus Epiſcopus expreſſa tabulis tanti fecerit, ut ea digna putarit, quæ a ſe deſcripta poſteritati ſpectanda propemodum tranſmitterentur. Eſto; eadem contra Iconoclaſtas a Concilii Niceni Patribus fuerint adhibita ad ſacrarum imaginum aſſerendam confirmandamque venerationem. Hæc ab iſtis nullius auctoritatis, nullius momenti exiſtimantur, in quibus Poetarum videlicet & Pictorum *licentia* dominari potuit. Itaque per iſtos retexantur licet Coronæ illæ ac lacerentur, quibus Prudentius Poeta nobilis & pius Martyres inſignivit ſuos, Inducantur Elogia illa, quæ ſanctus Damaſus carminibus exarata Martyrum ſepulcris pro ſua erga eos pietate ac religione inſculpenda curavit. Picturæ denique amoveantur, ne Pictorum licentia ad confirmandam veritatem abuti videamur. Hæc aliaque hujuſmodi ex eorum loquendi formulis, ſi eas recte interpretemur, neceſſario conſequi, mentientur iſti profecto, ſi videre ſe negent. Quan-

XXII. Quanquam, ſi me audire volent, non erit, cur tot circumlocutionibus utantur, cur *nova Eloquentiæ privilegia* excogitent, cur *poeticæ licentiæ* fines amplificent, atque his ſimilia comminiſcantur, quibus incauti facile decipiuntur. Dicant aperte quod ſentiunt; quidquid iſthic latet in eorum pectore, tandem aliquando erumpat in lucem. Si ita fiet, non mihi contendendnm ulterius erit, non diutius laborandum; non eliciendæ ſententiæ, atque a verborum involucris, quibus eas circumveſtire ſolent, mea magna moleſtia, & vero etiam veſtra explicandæ. Nam quid eſt? quod eos impediat, quo minus, quod ſentiunt, aperte enuncient. Pudor? at eos non puduit nova, uti vidimus, opinionum portenta in medium afferre, & ea pluſquam *Oratoria ac Poetica licentia* confirmare. Antiquitatis auctoritas? at ei refragari ac contradicere in multis, ut demonſtravi, non dubitarunt. Reverentia erga Patres? at eos quo in numero ducant,& ſupra in aliis actionibus,& paullo ante vidimus, ac ſuis ipſi verbis perſpicue declararunt. Religio Catholica? at huic fortaſſe plus nocent hoc modo tecto atque obſcuro, quam ſi eam illuſtri atque aperto, nulla ſimulatione, diſſimulatione nulla adorirentur. Facilius enim ab imperitis caveri tum poſſent, qui cum ancipitia quædam vocabula uſurpari audiunt, facile in errorem inducuntur. Prodant igitur ſine tergiverſatione mentem ſuam ſententiamque declarent. Dicant, Acta Martyrum, quæ ab ſe temere excogitatis

 ve-

veritatis indiciis carent, eſſe dubia, eſſe ſuſpicioſa, eſſe commentitia, eſſe falſa, plena verborum eſſe, inania veritatis. Hæc ſi dicent, ſi hoc modo ſententiam enunciabunt ſuam, magna me primum, ut dixi, cura liberabunt; tum imperitis non offendiculo erunt, non piis *ſcandalo*. Ita dicent, ut nemo ſapiens eos audiat; ita dicent, ut eorum dicta nemo pius excipiat; ita denique dicent, ut eos ſua ipſorum oratio refellat & ſermo condemnet.

XXIII. Sentio, Florentini, mihi veſtræ occurrendum eſſe ſatietati; ſentio in magna rerum copia moderationem adhibendam. Sed ignoſcite, quæſo, ſi ulterius dicendo provehar; & ad ea, quæ reſtant, mentes animoſque veſtros, quæſo, reficite, & quam ſancti ipſi Martyres, quorum nunc cauſa agitur, in tolerandis cruciatibus patientiam exhibuerunt, eandem mihi de illis dicenti exhibere ne recuſetis. Quanquam haud ſcio, utrum majorem mihi, an iſtis, de quorum intemperantia jamdiu dico, hanc ipſam eritis patientiam exhibituri. Neque enim his, quæ hactenus expoſuimus, veritatis ac falſitatis indiciis contenti ad alia & multo graviora progrediuntur, quæ quidem ego nunc temporis anguſtiis excluſus non ſingula perſequar, ſed præcipua ſolum, quam breviſſime potero, expendam.

XXIV. Homines, quod miremini, Philoſophiæ cæteroquin amantes philoſophari Martyres nolunt, & ſiqua hujuſmodi, quæ Philoſophiam ſapiant, in eo-

eorum Actis occurrunt, omnia ab Actorum Scriptore addita ex ingenio criminantur. Non negarim, interdum in Actis Martyrum aliqua reperiri, in quibus dialecticum acumen, & reſpondendi ac laceſſendi prompta vis ac plane inſignis apparet. Ego certe quoties Acta ſanctiſſimæ Virginis & nobiliſſimæ Martyris Cæciliæ (a) legi,

(a) Antonius Boſius de SS. Martyribus egregie meritus omnium primus ſacra Urbis Cœmeteria exquiſita indagatione perluſtravit, & inde quæ colligi potuerunt ſpectantia ad Martyres monumenta eruit, quibus opus illud longe utiliſſimum coagmentatum fuit, quod *Roma ſubterranea* inſcribitur. Idem Acta ſanctæ Cæciliæ edidit una cum *Paſſione* S. Urbani I. & Litteris S. Paſchalis I. de *Revelatione*, *Inventione* & *Translatione* corporis B. Cæciliæ in avitam ejus domum jam a S. Urbano in Baſilicam conſecratam. Hæc omnia ex Vaticanis aliiſque optimis MSS. deprompſit, atque eruditis adnotationibus illuſtravit. Poſtremo ne quid, quod ad nobiliſſimam Martyrem pertineret, omitteret, recentiorem ejuſdem corporis ſub Clemente VIII. P. M. *Detectionem* adjecit. Volumen hoc Paulo Sfondrato Cremonenſi Gregorii XIV. fratris filio Tit. S. Cæciliæ Cardinali nuncupavit; non tam quia is eo Titulo decorabatur, quam quod ipſum Titulum magnificentiſſime decorandum curavit. Quæ pia ad ejuſdem ornamentum Cardinalis munificentia contulit hic breviter adnotabo. Corpus B. Cæciliæ arca argentea, Clem. VIII. quæ fuit munus, pondo CCLI. concluſit. Sepulchrum lapidibus pretioſis ornavit. Conſpicuo in loculo lydio lapide conſtructo ejus ſtatuam eo corporis poſitu, quo reperta fuit, egregie elaboratam locavit. Antiquum *Ciborium* ſepulchro imminens, ſubterraneam *Confeſſionem*, *Presbyterium*, *Oratorium* beatiſſimæ Martyris, *Balneum*, in quo Martyrium paſſa eſt, marmoribus pretioſis, ære inaurato, egregiis picturis nobilitavit. Ad alendos lychnos XC., fere omnes argenteos, qui perpetuo collucerent, annuos redditus attribuit. Annuos item redditus Presbyteris, Clericis aliiſque miniſtris conſtituit. Pretioſiſſimas Sanctorum omni ex parte Reliquias collegit, & auro argentoque incluſas in eandem Baſilicam intulit, quam demum ex aſſe hæredem reliquit. Non dubium quin pius Cardinalis tam inſigni munificentia tantæ Virginis & Martyris, cujus etiam *ad pedes* tumulari voluit, patrocinium ſibi conciliarit.

Cer-

legi, legi autem ſæpe, toties philoſophantem, toties acutas ratiocinationes concludentem, inſtantem Quæſitori ſuo Almachio, ejuſque dicta repellentem & refellentem ſum demiratus. Sed miror, non minus iſtos, qui multa ad rem non pertinentia *meminiſſe* nos volunt, eorum oblitos eſſe,quæ diſerte ſervis ſuis promiſit Chriſtus; ipſis, *cum ſtetiſſent ante Reges & Præſides*, verba non defutura, quibus non tam ipſi loquerentur, quam Spiritus Sanctus in ipſis loqueretur. Spiritus igitur Sanctus, iſtis auctoribus, in Martyribus ſuis philoſophari non potuit? Eadem eſt ratio locorum ſacræ Scripturæ, quæ paſſim in Actis citantur, & quæ iſti a Martyribus prolata negant; perinde quaſi quo magiſtro Petrus, qui piſcator antea fuerat, & ſacris certe Scripturis non ſtuduerat, tantam Scripturarum, quantam ab Cœnaculi egreſſu oſtendit, cognitionem acquiſivit, eodem Martyres acquirere magiſtro non potuerint.

XXV. Verum, qui philoſophari Martyres nolunt, & quibus notitiam Scripturarum negant, non tam ex Philoſophiæ, quam ex Scripturarum ipſarum præſcripto majorem fuiſſe ab ipſis adhibendam in dictis moderationem contendunt. *Optandum fortaſſe*, inquiunt, (opportune apponitur particula *fortaſſe* ad mitigandam aſperitatem acerbioris durioriſque ſententiæ) *optandum fuiſſet in*

Certe apud poſteros immortalitatem nominis conſecutus eſt, qui tam pie opes ſuas impendit, eaſque in operibus non quam citiſſime defecturis, ſed diu ac perpetuo manſuris collocandas exiſtimavit.

in poſteritatis exemplum, *ut Martyres ſuavitatem & moderationem a Chriſto Domino diſcipulis ſuis præſcriptam*, *& cum re*, *tum verbis in ſemetipſo expreſſam*, *operibus retuliſſent*. *Neque enim credendum eſt Divinum Spiritum ita eſſe locutum*, *ut multi Martyres locuti eſſe perhibentur*. *Optandum*, dico ego, & multo quidem potiori jure *optandum*, ut *moderationem a Chriſto Domino*, *tum re*, *tum verbis in ſemetipſo expreſſam*, *ipſi* in ejus ſervos, quos modis omnibus exagitare non ſunt reveriti, *retuliſſent*; neque hujus tam intemperantis licentiæ *exemplum poſteritati* reliquiſſent. Quo loco, ut videtis, iſti neſcio qua religione ex improviſo correpti nonnullis ſanctorum Martyrum dictis graviter offenduntur; quaſi vero, exempli cauſa, illa conſtanter æque ac juſte clariſſima Virgo & Martyr Agatha Tyranno non exprobraſſet ſuo; *Impie*, *crudelis Tyranne non es confuſus amputare in fœmina*, *quod in matre ſuxiſti*. Quid eſt? quod in his verbis quiſquam reprehendat? quid? quod *ſcandalum* creet? niſi forte iſti propriæ dignitatis obliti ſe ab ampliſſimo Criticorum ordine ad infimum *puſillorum* vulgus ſponte ſua demiſerint atque abjicerint. Itaque dico, hæc aliaque hujuſmodi dicta in ſanctis Martyribus reprehendi non poſſe; multo vero minus tanquam a Chriſtiana manſuetudine ac patientia aliena in crimen vocari.

XXVI. Patiens profecto erat & manſuetus Joannes ille Chriſti Præcurſor, & tamen Judæos cum reprehen-

henderet, *viperarum genimina* appellare non dubitavit. Patiens certe & manſuetus Stephanus erat, & illa tamen ſuis popularibus exprobravit; *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*, & quæ ſequuntur, ſatis gravia ac vehementia. Omnium certe Chriſtus & manſuetiſſimus & patientiſſimus fuit, qui non præcepta ſolum patientiæ & manſuetudinis dedit, ſed luculentiſſima harum virtutum nobis ad imitandum reliquit exempla; Herodem tamen *vulpem* nominavit; *dicite vulpi illi*. Mitto hic ea commemorare, quibus idem Scribas & Phariſæos, & omnes generatim hypocritas exagitavit. Poſſunt igitur hæc aliaque hujuſmodi dici, & ſine piaculo dici, cum juſta ita loquendi cauſa adſit, & ita dici, ut a manſuetudinis & patientiæ præſcripto non diſcedamus. Pro ſua quidem poteſtate ita locutus eſt Chriſtus; pro ea, quam impertiri ſervis ſuis ipſe potuit & Martyres loqui potuerunt. Doceant iſti, a ſanctis Martyribus hujuſmodi dicta extra locum, extra tempus, nulla de cauſa eſſe uſurpata; demonſtrent, præfracte, petulanter, odio, ira, invidia, indignatione jactata; oſtendant, eos animo malo incitatos ac prava conviciandi voluntate locutos eſſe, tum a patientiæ ac manſuetudinis præſcriptione diſceſſiſſe concedam. Cæterum ſi loco, ſi tempore, ſi certa de cauſa, ſi quiete, ſi pacate, ſi nulla prava animi commotione permoti locuti ſunt, quid eſt? quod eorum quiſquam dicta reprehendat atque condemnet. *Non eſt iſta*, recte & præclare Hilarius adverſus

Con-

Conſtantinum, *non eſt iſta temeritas, ſed fides; neque inconſideratio, ſed ratio; neque furor, ſed fiducia.*

XXVII. At Tyranni excandeſcebant. Quid igitur? num parcendum idcirco erat veritati? num præſeferenda ignavia? animus humilis, demiſſus, abjectus, oſtendendus? At illi ſæviebant atrocius. Eſto; ſed eorum crudelitati robur invictum, & incredibilis conſtantia opponebatur; & fortaſſe non magis commovebantur Martyrum dictis, quam eorundem in perferendis tormentis conſtantia irritarentur. Conſtantia igitur, animus excelſus atque erectus, firmum robur, pectus impavidum minus erat exhibendum? minus libera Catholicæ Religionis facienda profeſſio? tacenda multa? multa diſſimulanda? quibus Tyranni, ſi vellent, proficere & corrigi poſſent, ne illi ſævirent atrocius, ne vehementius in rabiem ac furorem agerentur. Quæ nova iſthæc ratio eſt? quod Tyrannorum ipſorum culpa fiebat, id Martyribus vitio vertere? innocentes condemnare? nocentes abſolvere? Atqui, quod vix credibile videatur, hanc ipſam manſuetudinis laudem, quam patientiſſimis Martyribus negant, quibus omnium minime debuiſſent, concedunt. Adduci non poſſunt homines ſubita commiſeratione perculſi, ut credant, tantam exromptam eſſe in Martyres crudelitatem, quantam Acta ipſa præſeferunt & docent. Itaque exquiſitiora quædam & inuſitata tormenta ab Actis Martyrum removent; qua re & invictæ Martyrum patientiæ inſigniter

ter derogant, & eorum Tyrannos novo manſuetudinis ac clementiæ præconio ornant.

XXVIII. Hic vero, quandoquidem ut in multis, tum præcipue hoc in genere Acta Martyrum iſtis ſuſpecta ſunt, quo certius de eorum veritate conſtet, amotis parumper Actis, hujuſce rei veritatem aliunde exquiramus. Ac primum; parum ne atrocia illa ſunt, quæ Paulus Apoſtolus (Hæb. XI. XXXVII.) de Martyribus jam inde ab exordio Eccleſiæ ſcripta reliquit? *Lapidati*, inquit, *ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt; circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus; in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis & in cavernis terræ.* Quæ vero conſequentes Martyres multo atrociora paſſi ſunt, eorum certiſſimi Scriptores meminerunt. Inter hos præſtat audire Gregorium Nyſſenum & Euſebium. Et Nyſſenus quidem in vita Gregorii Thaumaturgi graviſſimis verbis immaniſſima a Martyribus tolerata ſupplicia ita deſcribit, ut ea nobis quodammodo ſpectanda exhibeat. *Unus*, inquit, *carnificinarum apparatus omnem afferebat concuſſionem. Enſes, ignis, beſtiæ, ſcrobes & foveæ; item inſtrumenta, quibus membra conſtringerentur & torquerentur; tum ferreæ ſellæ ignitæ, tum ligna erecta, in quibus ſtantium corpora dum intenderentur terribilium unguium violentis admotionibus lacerarentur; atque alia item innumera ad varia corporum tormenta exquiſita ab iis excogitaban-*

bantur. Studium iis, qui eas poteſtates ſuſceperant, unum erat, ne quiſquam alteri ſecundus exſuperantia ſævitiæ mitior videretur. Non miſericordia infantium, non honor canitiei, non virtutis verecundia in mentem veniebat infenſis; ne mulierum quidem naturali ſexus infirmitati indulgebatur, ut ejuſmodi periculis exemptæ manerent; ſed una adverſus omnes crudelitatis erat lex, eodem modo pœnæ, nullo diſcrimine ſexus habito.

XXIX. Non minori verborum gravitate eandem ſuppliciorum, quibus Martyres affecti ſunt, immanitatem exſequitur Euſebius Hiſt. Eccl. lib. VIII. cap. XII., cujus oratio longe lateque diſcurrit, & totam Ægyptum, Thebaida, Antiochiam, Syriam, Pontum, Arabiam, Cappadociam, Meſopotamiam, Alexandriam peragrat. *Quid nominatim*, inquit, *attinet commemorare, aut varia plagarum & ſuppliciorum genera, quæ inſignes Martyres perpeſſi ſunt, oratione depingere? partim ſecuribus cæſi, ſicut his qui erant in Arabia, contigit; partim cruribus confractis divexati, veluti his, qui in Cappadocia verſabantur, accidit; partim etiam pedibus in ſublime appenſis capiteque in terram demiſſo, igne paullatim accenſo, & leniter exardeſcente, & fumo e materia accenſa aſcendente ſuffocati, quemadmodum illis, qui in Meſopotamia morabantur, evenit; partim naſo, auribus & manibus amputatis, cæteriſque corporis membris dilaniatis deformati, ut his, qui incolebant Alexandriam, obtigit. Quid opus eſt etiam eorum, qui Antiochiæ mar-*

ty-

tyrium ſubierunt , memoriam renovare ? quorum alii candentibus craticulis ſuppoſitis , non ad mortem uſque , ſed ad longinquum & diuturnum cruciatum aſſati ſunt . Ab his autem regionibus idem digreſſus , & oratione ſua ad Pontum deflectens ; *Cruciamenta* , ſubdit , *que Martyres in Ponto tolerabant auditu videntur horrenda . Quidam enim digitos manuum ab extremis unguibus acutis arundinibus transfixos habuere ; aliorum terga plumbo igni liquefacto , ejuſque materia jam ebuliente efferveſcenteque perfuſa , & corporis partes , quas natura maxime ad neceſſitatem fabricata eſt , flammis aduſtæ . Nonnulli membris pudendis ac viſceribus cruciatus turpes , intolerandos , & ejuſmodi , quos exprimere reformidat oratio , ſubierunt .*

XXX. Jam vero, quid ad hæc noſtri miſericordes, qui uſque eo atrocitate inſolentiaque ſuppliciorum commoventur, ut ab Actis Martyrum omnino expuncta velint, quid hic dicunt aut ſentiunt ? Nam per Deum immortalem ! ſi enſes , ſi ignes , ſi beſtiæ , ſi ſcrobes , ſi ferreæ ignitæ ſellæ , ſi candentes craticulæ , ſi ligna erecta , ſi acutæ arundines unguibus infixæ levia cruciamenta exiſtimabuntur , quæ gravia judicabuntur ? Si nullis corporis partibus parcebatur , quæ amputabantur , concidebantur , dilaniabantur , aſſabantur , liquefacto plumbo torrebantur ; ſi ne vel ipſa quidem pudenda reveriti tortores , ea modis omnibus dilaniabant , ſi tormenta erant hujuſmodi , quæ *refugit exprimere ac reformidat ora-*

oratio, ſi vel ſolus inſtrumentorum & *carnificinarum apparatus omnem afferebat concuſſionem*, ſi hæc aliaque hujuſmodi ſupplicia non inaudita, inuſitata, atrocia, horrenda nominabuntur, quod tandem ſuppliciorum genus erit, quod his vocabulis exprimi debeat atque indicari? Poſtremo ſi Præſides ipſi de crudelitatis palma ſecum certabant, eamque alius alii præripere conabantur, *ne quiſquam alteri ſecundus exſuperantia ſævitiæ mitior videretur*, quid ad tantam immanitatem addi queat, exſpecto, dum iſti dicant nobiſque ſignificent. Nonne hujuſmodi ſunt, ut ea malus Dæmon Præſidibus ſuggeſſiſſe dici poſſit? Quod ſi ita eſt, & hæc ipſa aliaque hujuſmodi ſupplicia nobis a certiſſimis auctoribus tradita veriſſimiſque tenentur, quid eſt, quamobrem eadem in Actis Martyrum locum habere non poſſint?

XXXI. At enim in edictis Imperatorum hæc & his ſimilia horrenda ſupplicia perſcripta non erant. Eſto. Sed primo non quæritur nunc, quid in edictis ſcriptum fuerit; ſed quid re ipſa factum ſit indagatur. Fuerint nec ne in edictis hujuſmodi tormenta perſcripta, hoc ad rem non pertinet; quod ad rem pertinet, illud eſt innocentiſſimos Martyres crudelia quæque atque atrocia fuiſſe perpeſſos; quod certiſſima, etiam amotis Actis, quæ iſtis ſuſpecta ſunt, teſtimonia manifeſte evincunt atque declarant. Deinde quis non intelligit, hæc fere ex eorum arbitrio ac voluntate pendere, quorum munus eſt edicta Principum exſecutioni man-

mandare; neque vero ex eorundem arbitrio tantum & voluntate, ſed etiam ex natura plerumque atque ingenio, quo, qui aliis immaniores efferatioreſque erant, ita fiebat, ut immanioribus etiam atque atrocioribus ſuppliciorum generibus Martyres excruciarent. Quid? quod Proconſules, Præſides, Præfecti, Judices expromenda in Chriſtianos crudelitate Imperatorum ſe gratiam inituros putabant. Quid? cum videbant ipſa vel atrociſſima ſupplicia a Chriſtianis vulgo negligi atque contemni. Quid? cum vinci ſe a pueris interdum puelliſque iniquiſſimo animo paterentur. Quid denique? cum hæc ipſa tormenta ſupra naturæ infirmitatem imbecillitatemque ſexus alacriter atque intrepide tolerari viderent, hoc autem magicis artibus tribuerent, ut ſibi jam non cum ipſis Martyribus, ſed cum infernis poteſtatibus certamen eſſe crederent, quorum vim atrocitate pœnarum atque immanitate tormentorum a ſe vincendam ſubigendamque eſſe arbitrarentur; nonne tum vel maxime ad multo atrociora ſupplicia animum convertere, & ad inaudita ac ſingularia, quo inauditam ac ſingularem conſtantiam edomarent, excogitanda tormentorum genera propemodum adigebantur? His igitur de cauſis fiebat, ut efferatiores evaderent, vehementius excandeſcerent, atrocius ſævirent, atque extrema quæque, etiamſi in edictis ſcripta non eſſent, contra innocentiſſimos homines ſupplicia experirentur.

XXXII. Sed quo tandem cumque modo ſcripta eſſent

Im-

Imperatorum edicta, non eſt, quamobrem eos iſti immanitatis conetur abſolvere, & in tantæ partem cladis atque excidii veniſſe negent. Quidquid illis vel non repugnantibus, vel conniventibus, vel conſentientibus fiebat, etiamſi in eorum edictis perſcriptum non eſſet, ipſis tamen erat præcipuo jure tribuendum. Præſidum, Præfectorum, Proconſulum, Judicum iniquiſſima contra Chriſtianos edicta, quoquo modo & vel ſua etiam ſponte ab iis lata, ipſorum Imperatorum juſſa atque edicta cenſeri debebant. Immo vero ipſi Accenſi, Apparitores, Satellites, Lictores, Carnifices non tam Judicum ac Præfectorum, quam ipſorum Imperatorum manus putandæ erant, quibus illi ad expromendam in manſuetiſſimum atque innocentiſſimum hominum genus crudelitatem utebantur. Ipſi igitur Imperatores Chriſtianos divexabant, ipſi cruciabant, ipſi exilio, carceribus, morte, inauditis tormentorum generibus afficiebant.

XXXIII. Ac ne illud quidem dici poteſt, quæ fiebant Imperatores longe poſitos atque abſentes ignoraſſe. Multa enim hujuſmodi facta ſunt ipſis jubentibus, præſentibus, adſtantibus, videntibus, lætantibus. Sed abfuerint licet disjunctiſſimis longe in terris regionibuſque conſtituti. Quid? totus terrarum orbis inauditæ crudelitatis teſtis erat, teſtes omnes mortales, omnes nationes, vel in intimis terrarum orbis partibus abditæ ac retruſæ, atrociſſimæ cædis teſtes erant & conſciæ, & hæc

po-

poterant Imperatores ignorare? Palam atque aperte Chriſtiani conquirebantur, capiebantur, ad tribunalia, ad ſellas Judicum raptabantur, quæſtiones publicæ habebantur; prope infinitum eorum numerum carceres non capiebant; fora, theatra, amphitheatra innocenti ſanguine redundabant, ubique luctus, ubique gemitus ubique plurima & teterrima imago mortis omnium oculis obverſabatur, & hæc Imperatores ignorabant? ignorabant hæc omnia? Tantiſne rebus, tam gravibus tantique momenti, quæ regimen imperii, pacem atque otium provinciarum atque regnorum propius ſpectabant, quæ præcipuam boni Principis curam ac vigilantiam merito ſuo requirebant, eos indormiiſſe credemus? Sed dormierint, licet, arctius graviuſque dormierint atque ſtertuerint. Quid? toto terrarum orbe contra Chriſtianos perſonante, tantis clamoribus nequaquam excitatos e diuturno veterno Imperatores fuiſſe, nunquam evigilaſſe cenſebimus?

XXXIV. At certe neque Trajanus, neque Antoninus, neque Marcus Aurelius, quorum Imperatorum in pluribus Martyrum Actis mentio fit, quidquam in Chriſtianos ſanxerunt. Quomodo non ſanxerunt? Si in quæſtionibus habitis, his ipſis Imperatoribus, eorum nomina a Judicibus appellabantur, qui dici poteſt, nihil in Chriſtianos ſanxiſſe? ſi nihil ſanxerant, quid erat, cur illa vocabula, quæ *juſſionem ac præceptum* ſignificabant, ſæpius a Judicibus inculcarentur? quid?

cur *voluntatem* Imperatorum toties obtruderent? Quam *voluntatem*? quam *juſſionem*? quod *præceptum* Judices ſomniabant, ſi neque *voluntatem*, neque *juſſionem*, neque *præceptum* ulla lege lata, ullo edicto Imperatores ipſi indicaſſent? Præterquamquod, ſi nihil illi contra Chriſtianos ſanxiſſent, quid cauſæ fuit, cur Juſtinus Apologia Antonino oblata de nimia edictorum atrocitate quereretur? Quid, cur Apologiam item Meliton Sardicenſis Epiſcopus M. Aurelio exhibuerit? in qua illa leguntur; *Perſecutionem nunc patitur piorum hominum genus novis per Aſiam decretis exagitatum*; & illa; *Delatores ex Imperialibus edictis occaſionem nacti palam diu noctuque graſſantur*. Quid, cur Apollinaris Hierapolitanus, cur Athenagoras, cur Miltiades, crudelibus per ea tempora ſævientibus *perſecutionibus* luculentiſſimas pro Chriſtianis Apologias & ſcripſerint & obtulerint?

XXXV. Verum eſto; nulla hujuſmodi horum edicta Imperatorum nomine re ipſa fuerint promulgata. Abſolvendine idcirco erunt Imperatores iſti, atque omni prorſus crimine liberandi? Nullo modo, Florentini, dicam iterum & ſæpius, nullo modo. Sunt enim in crimine ob illa ipſa edicta, quæ eorum nomine lata nunquam fuiſſe iſti contendunt. Fuerint illa deceſſorum, facile patior, non repugno. Sed quandoquidem ea nec reſcinderunt, nec abrogarunt, quod facere omnino debuiſſent, ſi pro ſuis habere noluiſſent, ſua ipſo-

ſorum ac propria exiſtimanda ſunt. Jure igitur eorum nomina a Præſidibus appellabantur; jure eorum edicta proponebantur; jure auctoritas interponebatur; jure illa vocabula *juſſio*, *præceptum*, *voluntas* & uſurpabantur, & inculcabantur; ac proinde jure ipſis quidquid contra Martyres agebatur adſcribendum erat ac tribuendum. Non enim magis alicui id imputatur, quod per ipſum fit, quam ei, cui adſtricta demandati muneris officio poteſtas ſit aliquid perhibendi, ne per alium fiat.

XXXVI. Neque vero ſolum, quo Imperatorum cauſam ſublevare pergant, atrociora ſupplicia negant, ſed etiam iterata pernegant. Et certe ſuppliciorum iteratio in edictis Imperatorum ullo modo neque perſcripta erat, neque præſcripta. Quo loco, deſerta ſanctorum Martyrum cauſa, propemodum cogor Judicum ipſorum patrocinium defenſionemque ſuſcipere. Nam cum ſæpe eveniret, ut divina virtute enſium atque ſecurium acies retunderetur; rogis impoſiti Martyres non conflagarent; flagellis lacerati, atque *ungulis* diſcerpti ſubito curarentur & convaleſcerent; carceribus incluſi januis clauſis ſeriſque intactis manentibus educerentur; in profluentem dejecti aquis ſupernatarent, & ſalvi atque incolumes in ripa ſiſterentur; objecti leonibus rabidos eorum morſus evaderent; quam in rem illa præclariſſima ſunt Ignatii Antiocheni; *Utinam beſtiis fruar*, & quæ ſequuntur ſatis nota ac pervulgata; hæc aliaque hujuſmodi cum uſu venirent, nonne, ob-

ut ita dicam, iterare Judices ſupplicia cogebantur, nec finem facere alia aliis cumulandi, donec vel igni, vel aquis, vel ferro, vel alia qua tandem cunque ratione, quos prorſus conſumptos volebant, abſumerent? Quid enim facere poterant Judices, ſiquidem invictos Chriſti Confeſſores perdere omnino vellent, quid magnopere facere Judices poterant? Qua in re non tam crudelitas Tyrannorum apparet, quam ſuprema divini Numinis poteſtas maxime elucet, qua fiebat, ut non eo mortis genere, quo Tyranni vellent, ſed quod decretum jam ab ipſo fuerat, atque adeo horæ momento Martyres interirent.

XXXVII. Ab iteratis ſuppliciis ad iterata demum prodigia delabuntur, ne ſine cenſura, quæ pars hujuſmodi Actorum eſt multo potiſſima, & ſanctis ipſis Martyribus longe glorioſiſſima, elabatur. Quid? Prodigiorum igitur numerum, menſuram, modum libito ſuo ſtatuent iſti atque definient? Pauca miracula probabunt? plura non probabunt? ſæpius iterata improbabunt? perinde quaſi in divinæ poteſtatis arbitrio non fuerit illa aut omnino non patrare, aut, ſi ita viſum eſſet, ſemel, iterum, tertio, quarto denique & eo ſæpius patrare? Quæ nova iſthæc & inaudita licentia eſt? præſcribere Deo hac in re, & divinam ipſam Omnipotentiam ad Criticæ leges adducere. Atqui, ut ad has ipſas leges res adducatur, ſi opportunitas, ſi tempus, ſi locus, multa eaque clariſſima patrandi prodigia unquam fuit, ea profecto opportunitas, illud

tempus, is locus certe fuit, cum ſancti Martyres teterrimis in ſuppliciis conſtituti cæleſti magis ope indigebant, qua divinitus allevarentur. Vulgo deſpecti atque contempti, graviſſimis criminibus accuſati, ab omnibus oppugnati cum eſſent, nonne tunc vel maxime eorum patrocinium a Deo ſuſcipi, innocentia defendi debuit, Tyrannorum retundi improbitas, atque inſignioribus de cælo ſignis Martyrum virtus & conſtantia illuſtrari.

XXXVIII. Quid? quod patrandorum prodigiorum, & magno numero patrandorum illa aderat cauſa ſane præcipua & multo maxima, amplificandæ nimirum Chriſtianæ Religionis. Prædicabant illuſtres ac generoſi Athletæ *Jeſum Chriſtum & hunc Crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam.* Iſta porro ſapiens ſtultitia ſuperbis hominibus & humanæ ſapientiæ faſtu intumeſcentibus perſuaderi quomodo potuiſſet? niſi ad ſummam Martyrum pro illa ipſa ſapienti ſtultitia acerbiſſima quæque tolerantium fortitudinem ingens prodigiorum numerus & divina etiam teſtificatio acceſſiſſet. Itaque Magnus ille Gregorius ob hanc ipſam cauſam prodigiorum copiam in exordio Eccleſiæ neceſſariam fuiſſe probat, atque ut *ad Fidem creſceret multitudo credentium, miraculis fuiſſe nutriendam* affirmat; *quia & nos cum arbuſta plantamus, tandiu eis aquam infundimus, quouſque in terra coaluiſſe videamus.* Cæterum ſi Martyrum ipſorum ſe-

ſepulchra, ſi ſacri cineres, ſi oſſa arida (a) perennes prodigiorum ſcaturigines ſunt & fontes inhexauſti, ex quibus in nos omne beneficiorum genus *exuberat uſque in hodiernum diem*, quæ fere hujuſmodi Actorum concluſio eſt; quanto exuberantior hæc vena & ſcaturigo eſſe debuit in primordiis Eccleſiæ, quo ipſa Eccleſia copioſius uberiuſque irrigata non ſolum altius radices ageret, ſed quam latiſſime ramos ſuos toto terrarum orbe propagineſque diffunderet.

XXXIX. Multa, ut hactenus demonſtravi, ab iſtis ad abrogandam ſanctorum Martyrum Actis fidem excogitata ſunt; multa. Eſtne aliquid ultra, quo progredi iſtorum intemperantia potuerit? Eſt, eſt inquam, cum dolore ac gemitu dico. Intemperantia neſcit modum, quem ſi noſſet, intemperantia non eſſet. Sed quem ipſa modum non adhibet, mihi adhibendum eſse intelligo. Quapropter plura non addam, quandoquidem ex his, quæ vel curſim & ſtrictim perſecuti ſumus, ſatis per vos ipſi colligere poteſtis, & vobiſcum animo reputare, quanta hujuſmodi

(a) S. Joannes Damaſcenus de Fide Orthodoxa lib.4 c.16. „ Chriſtus „ Dominus Sanctorum reliquias velut ſalutiferos fontes præbuit, „ quorum nobis beneficia manant, „ ſuaviſſimumque unguentum profluit. Nec vero quiſquam huic „ ſermoni fidem detrahat. Nam ſi „ aqua in deſerto ex aſpera & ſolida rupe, atque ex aſini maxilla „ ad ſedandam Sampſonis ſitim, Deo „ ita volente, proſiliit; eritne, cur „ cuiquam incredibile videatur, ex „ Martyrum reliquiis ſuave unguentum ſcaturire? Per eos Dæmones „ expelluntur, morbi profligantur, „ ægroti ſanantur, cæci proſpiciunt, „ leproſi mundantur, tentationes ac „ mœrores diſcutiuntur, ac denique „ omne donum optimum a Patre „ luminum eorum opera ad eos, „ qui fide minime dubia poſtulant, „ deſcendit „.

monumentorum jactura neceſſario facienda ſit, ſi iſtorum pati licentiam voluerimus. Nam per Deum immortalem! ex Actis Martyrum cæde, quam iſti appellant, narrationis prolixitatem; præcide verba paullo elegantius atque eloquentius elata; expunge poeticos, ſi qui uſurpati ſunt, numeros; amputa quæſtiones aliquanto longius productas; tolle reſponſa Martyrum, ſiqua aut aſperiora aut ſubtiliora iſtis videntur; aufer iterata ſupplicia; mitiga ſuppliciorum ipſorum diritatem; dele edicta contra Chriſtianos ab Imperatoribus lata, exaggera eorundem in eoſdem clementiam ac manſuetudinem; ſuſcipe cauſam Proconſulum, Præfectorum, Judicum, &, ſi ſuperis placet, Lictorum etiam atque Carnificum; abſolve nocentiſſimos homines atque nequiſſimos; remove prodigia atque miracula, aut ſaltem ea verbis extenua; carpe, quæ potes, detere, imminue; quid, tot de vivo iſta ratione reſecatis, quid per Deum immortalem! quid, amabo vos, Florentini, quid demum reliqui, quid puri fiet? Quid tot commotis ſuſpicionibus, tot veritatis & falſitatis indiciis exaggeratis quid, inquam, quod minime dubium, quod certum, quod ratum, quod ſincerum in Actis Martyrum habendum ſit, relinquetur?

XL. En cur ſanctiſſimi Pontifices jam inde ab exordio Eccleſiæ tanta cura ac diligentia Acta Martyrum conquiſierint. En cur ea tanto ſtudio cognoverint. En cur ſumma fide exarata ad nos tranſmittenda curarint.

rint. Deſignati Notarii, qui ea deſcriberent; deſtinati Diaconi, qui, quæ Notarii ſcripſerant, accurate fideliterque cognoſcerent. Nihil omiſſum, quo certius de Actorum ipſorum veritate conſtaret. En cur non raro Martyres ipſi ſummis defuncti ſuppliciis, & ſuis ſuperſtites cruciatibus Acta ipſi ſua, quo minus nos de eorum fide dubitare poſſemus, deſcripſerint; quod inter cæteros nobiliſſima Martyr Perpetua, Saturus, & Flavianus præſtiterunt. En ea, magno interdum perſoluto pretio, Chriſtiani ab Ethnicis ipſis cur emerint & compararint. En cur tanta a majoribus noſtris in iis aſſervandis cuſtodiendiſque adhibita fuerit diligentia? Jam quid attinuit tantum in iis conquirendis, cognoſcendis, deſcribendis ſtudium impendere? quid in cuſtodiendis & aſſervandis tantam curam inſumere? quid tot ſumptus in comparandis facere? ſi huc tandem aliquando & diligentia, & cura, & ſtudium, & ſumptus evadere debebant atque recidere, ut illa demum ad iſtorum manus pervenirent, qui ea fœdiſſimum in modum diſtraherent, conciderent, lacerarent, diſcerperent.

XLI. O rem, vel in maxima hujuſmodi monumentorum copia, acerbam ac luctuoſam! ſed quanto in ſumma eorundem paucitate acerbiorem ac luctuoſiorem? Et ſane, parumne multa ſanctorum Martyrum Acta interierunt? exiguuſne eorum numerus amiſſus? ut quæ pauca reliqua facta fuerint, iſti perderent atque corrumperent? Itane vero? quæ nobis non ulla vis abſtulit,

non Tyrannorum iniquitas intercepit, non Hæreſis improbitas interpolavit, non tempus invidit, non vetuſtas confecit, non incendia abſumpſerunt, non alluviones aſportarunt, non ullus ex innumerabilibus eventis, quibus antiqua monumenta obnoxia fuerunt, eripuit; hæc, hæc, inquam, nobis una iſtorum intemperantia auferet, intercipiet, interpolabit, invidebit, conficiet, abſumet, aſportabit, eripiet? Attamen ita eſt, uti dico. Plus hæc una, mihi credite, plus iterum dico una hæc, quam illa conjunctim omnia, ad nocendum valuit; & quod neque ulla vis, neque Tyrannorum iniquitas, neque Hæreſis improbitas, neque tempus, neque vetuſtas, neque incendia, neque alluviones, neque caſus ulli effecerunt, hoc una iſtiuſmodi Criticorum effecit intemperantia, ut hæc ſanctiſſima monumenta non tam ex tot infortuniis erepta & conſervata, quam ad iſtorum injurias funeſtamque cenſuram delata propemodum ac reſervata eſſe videantur.

XLII. At enim in Actis Martyrum non pauca occurrunt, quæ minus conſentanea veritati videri poſſunt. Audio. Et per me licet examen in illa inſtituatur; ſtudium & diligentia in iis cognoſcendis, diſcutiendis, & priſtinæ integritati reſtituendis adhibeatur. Secernantur Acta inter ſe, & *Autographa, & Apographa, & Archetypa, & Proconſularia, & Præſidialia*, & vetuſtiora, & minus vetuſta, & hoc aut illo ſæculo deſcripta, &, ſi qua alia obſervanda ſunt, per me licet ob-

ſer-

ſerventur, expendantur, diſtinguantur; Nolo acervatim omnia & nullo delectu proponi; nolo permiſceri; nolo confundi; ſed clare, apte, ordine, loco, tempore diſtingui quæque ac ſeparari. Non ego hoc, ſi quid hujuſmodi ab iſtis factum ſit, non recte factum criminor, non accuſo, non condemno. Non uſque eo arti criticæ infenſus ſum, ut quidquid illa moliatur, modo juſta, modo certa de cauſa, modo ſobrie ac moderate fiat, criminandum putem. Fecerunt hoc, non me latet, in hujuſmodi monumentis clariſſimi & doctiſſimi viri, ſed quod fecerunt, conſilio fecerunt, ſobrie & moderate fecerunt, & magno Eccleſiæ bono fecerunt. Quid ergo eſt, in quo ego iſtos accuſo? quid, quod reprehendo? illud unum, quod ſæpe dixi, quod jamdiu queror, quod uno vocabulo toties complexus ſum, *intemperantiam*. Hanc ego unam in crimen voco, hanc unam accuſo, hanc condemno. Quorſum enim ſpectat tot ac tanta, quorum nullus finis eſt, exſtruere & ſuperexſtruere? Quorſum novam prope *Babelicam* ædificationem moliri, qua in immenſum producta tandem certiſſima rei ipſius, quæ conſtitui ac ſtabiliri debuit, ruina conſequatur? Quorſum tot notas ad internoſcendam Actorum veritatem excogitare? ut cum demum eas Actis ipſis accommodaveris, non ſolum in ſumma rerum ignoratione verſeris, ſed de omnibus dubitare cogaris. Sed præcidam, ut finis ſit; Unum de duobus omnino neceſse eſt, aut iſtorum cohibenda licentia, aut hujuſ-

juſmodi monumentorum jactura neceſſario ſubeunda.

XLIII. Quæ cum ita ſint, expergiſcimini tandem aliquando, Florentini, & voſmet ad veſtram virtutem revocate; frænate iſtiuſmodi hominum licentiam; cohibete dominationem, & tantam importunitatem a ſanctiſſimis vetuſtiſſimiſque monumentis avertite. Suſcipite, obſecro, cauſam Martyrum, ſuſcipite cauſam Religionis, ſuſcipite patrocinium fortiſſimorum Heroum, qui *per fidem vicerunt regna*, *adepti ſunt repromiſſionem*, qui *viventes in carne plantaverunt Eccleſiam ſanguine ſuo*, qui *venerunt ex magna tribulatione & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni*, qui *tradiderunt corpora ſua ad ſupplicia propter Deum, ne ſervirent Idolis*, qui *amaverunt Chriſtum in vita ſua*, *& ideo coronas triumphales meruerunt*, qui *ſicut aurum in fornace probati ſunt*, *& per ignem & aquam educti in refrigerium*, qui cruciatibus & certaminibus ſuis nobis hanc pacem atque otium, quo Religionem profeſſi Catholicam nunc fruimur, conciliarunt, qui nobis ad cæleſtem patriam, quo omnes contendimus, præiverunt, atque iter proprio triumphali cruore ſignarunt, quorum dictis cæleſti ſapientia refertis erudimur, quorum eximiis virtutibus proficimus, quorum ſingulari fortitudine ad aſpera quæque pro æterna animi ſalute ſubeunda roboramur, quorum invicta conſtantia in ſancto ſuſceptæ Fidei inſtituto confirmamur, quorum clariſſimis ſanctiſſimiſque exemplis ad imitandum cuique noſtrum expoſitis & propoſitis non inſtrui-

ſtruimur ſolum, ſed ad omne virtutum genus incredibiliter incitamur ; & ſi ob tantam virtutem & egregia ipſorum erga Catholicam Eccleſiam promerita annua eorum memoria nobis ſemper læta recurrit ac jucunda, ſi eorundem patrocinium nunquam nobis apud Deum defuturum confidimus, ſi ſperamus fore, ut eorum *candidato* exercitui tandem aliquando in cælis jungamur, ſi eorum agones celebramus, ſi vel ipſa duri agonis inſtrumenta lanceas, enſes, ungulas, ſagittas, flagella, rotas, cruces, laureis revincta ramis ſuſpicimus, & pio cum religionis ſenſu intuemur ; ſi eorum reliquias colimus, ſi imagines veneramur, ſi oſſa auro argentoque ornamus, ſi ſacros cineres marmoreis loculis includimus, ſi iis aras ſacramus, ſi templa exſtruimus, ſi ſtatuas ponimus, ſi Patronos, ſtatores, defenſoreſque urbium ac provinciarum agnoſcimus, ſi harum ipſarum appellationum vim ſentimus, ſi patrocinium anguſtis in rebus atque adverſis experimur, ſi denique Martyres omnibus obſequii atque honoris ſignificationibus jure meritoque proſequimur ; nobis etiam eorum Acta ; quæ ipſorum virtutem, exempla, fortitudinem, conſtantiam, certamina, coronas, triumphos continent, commendata eſſe debent, & ita commendata, ut ea omni ope a cujuſvis injuria, ac nominatim ab iſtorum intemperantia tueri conemur atque defendere. Satis, ut credo, meo erga Sanctos Martyres ſtudio ego feci ; vos providete, ne ſtudium illis veſtrum defuiſſe videatur.

DE

DE PRAVO

ARTIS CRITICÆ

USU

Actionis II. Liber VII.

VIdeo, Florentini, non ea ſolum, quæ jam præcidere de mea accuſatione decreveram, ſed ea ipſa, quæ agere ex hoc loco deliberaveram, mihi eſſe neceſſario prætermittenda, ut aliquis tandem aliquando actionibus hiſce meis finis adſit & modus conſtituatur. Sollicitus a principio nimis fortaſſe fui de argumenti copia & gravitate; itaque ad eam cauſam accedere placuit, quæ ſane gravis eſſet & copioſa; nunc autem ſentio, me & ejuſdem copia obrui, & gravitate debilitari. Quare, ſi propriam infirmitatem confeſſus ingenue, hanc, quam ſuſcepi, provinciam oppido gravem ac laborioſam aliis

aliis tradidero, qui integris & firmioribus viribus feſſo jam & longa contentione enervato ſuccedant, hoc & optimum factu duxerim, & jure a quoquam minime reprehendendum exiſtimarim. Confido enim non defuturos, qui ad eandem cauſam accedant, ac multo majoribus, quam ego ſim, & ingenii, & doctrinæ, & eloquentiæ præſidiis inſtructi quidquid a me omiſſum fuerit, abunde compenſent, & cauſam ipſam multo pleniore atque uberiore tractatione explicatam feliciter ad exitum uſque abſolutionemque perducant. Quid igitur? inquiet fortaſſe aliquis; cum tam multa de Hiſtoria Eccleſiaſtica verba feceris, Divinam, cujus inde ab ipſo initio ſummam expoſueris difficultatem, tacitus prætermittes? Nihil de hac audietur a nobis? nihil dicetur a te? & quæ multo potiſſima hujus accuſationis pars eſſe debuerat, ea prorſus relinquetur, ut illa non tam per incuriam omiſſa, quam dedita opera prætermiſſa eſſe videatur? Quid? Iſtoſne ea, qua par eſt, reverentia divinos libros eſſe veritos? ab iis ſe conſulto abſtinuiſſe? Quis hoc credat? An vero mutaſſe ingenium? vel novam Criticæ rationem adhibiuſſe, ut, qua poteſtate reliquis in rebus uſi ſunt, hac una in re minime fuerint intemperanter abuſi? Multo id quidem minus. Etenim, ſi locus unquam aut uſquam fuit, in quo ſe jactare liberius iſti licentiuſque potuerint, is profecto eſt, & omnium quidem longe patentiſſimus, quem vel ſola, & ea propemodum immenſa iis exhibere potue-

potuerunt ſpatia Scripturarum? Quid? Peregrinæ linguæ, quibus ab origine ſacri codices conſcripti ſunt, diverſæ codicum ipſorum *verſiones*, ratio interpretandi exponendique Scripturas tam varia & multiplex, Iſraelitici populi mores, leges, inſtituta, ritus, cæremoniæ, aliaque hujuſmodi prope dixerim infinita, quæ in ſacris libris occurrunt, parumne amplam & locupletem materiam ad captandam exquiſitioris reconditioriſque eruditionis famam iſtis ſubminiſtraſſe? parum acuiſſe ingenium? minus acriter iſtorum opinandi licentiam ſollicitaſſe exiſtimabuntur? Hoc omnino eſſe non potuit. Silebitur igitur a te de tot graviſſimis & maximis rebus? nihil de iſtorum hoc in genere intemperantia dicetur? & hujus ipſius intemperantiæ ne ſpecimen quidem aliquod exhibebitur? Hic ego tam ſubita interpellatione oppreſſus quid agam, Florentini? Repudiabo æquiſſimam poſtulationem? at hoc ab ingenio meo abhorret. Morem geram? at portum ſpectans immenſo adigor me rurſus pelago turbulentiſſimoque committere. Verum, quandoquidem poſtulatio non æqua ſolum eſt, ſed moderationis finibus circumſcripta, ne inofficioſus omnino videar, non abnuam ſtudio veſtro, &, quod enixius petitur, impetrari a me facile patiar. Poſtulatur tantum ſpecimen; ſpecimen dabo; & quidem hujuſmodi, quod reliquis, quæ afferri poſſent, merito ſuo anteponendum ſit, & quo uno vos ipſi contenti eſſe poſſitis.

II. Chriſtum Dominum, qui nunquam non Moſaicis le-

legibus diligentiſſime religioſiſſimeque paruiſſet, iiſdem ſe in extremo vitæ ſuæ exitu obſequentiſſimum præſtitiſſe, itaque ante quam ſanctiſſimam mortem obiret ritu a majoribus tradito ſolemnique cæremonia Paſcha cum diſcipulis ſuis celebraſſe, vetuſtiſſima fuit opinio, &, quoad per certum hominem licuit, ſæculorum omnium mirifice conſentiens & conſpirans, nullo prope contradicente, ſententia. Mitto hac ſuper re tum Latinorum, tum Græcorum Patrum certiſſima afferre documenta; mitto hic de ſacro codice verba recitare; nihil dico de Concilii Tridentini auctoritate, nihil de totius Eccleſiæ conſenſu, nihil de inveterata traditione, nihil de conſenſione Scriptorum omnium tum Catholicorum tum Heterodoxorum, propterea quia qui contrariam opinionem tuetur, id non diffiteatur modo, ſed ultro etiam concedat ac præſeferat. Sed præſtat hac ſuper re Auctoris hujus audire verba, quæ ſane dignisſima ſunt, quibus aures veſtras quam attentisſimas præbeatis. *Quandoquidem*, inquit, *opinio, quam tueri aggredior, in univerſum deſerta erat, propterea congredi cogor cum Theologis, Scripturarum Interpretibus, Hiſtoricis Eccleſiaſticis, Chronologis, & generatim cum omnibus iis, qui cum inter Catholicos, tum inter Heterodoxos celebriori eruditione præſtiterunt. Cuncti adverſarii mei ſunt, quos partim adorior, partim repello, ut de me dici poſſit, quod de Iſmaele tradunt litteræ ſanctæ; Manus ejus contra omnes, & manus*

nus omnium contra eum. Huc uſque auctor hic, de quo dicere inſtituo.

III. Hic vero inexſpectata hujus exordii novitate perculſi hærere attoniti mihi videmini, Florentini, & quorſum tantus tantarum rerum apparatus evaſurus ſit, dubii atque ancipites cum animis veſtris vobiſcum ipſi reputare. Novus Iſmael in lucem prodit, & præfidens atque interritus procedit in medium; unus contra omnes in arenam deſcendit, unus contra communem omnium ſententiam ſtare, unus omnibus objicere ſe atque opponere non reformidat. Cum hoc autem novo Iſmaele quis tandem congredi audebit? quis manum conſerere? cui tantum animi & virium ſuppetet, ut ejus ictus repellere, impetum ſuſtinere, & vel ſolum aſpectum ferre ſe poſſe confidat? Quid igitur? Audentiorne ego, & tanto animoſior, quam cæteri, ut propius accedere non dubitem; nec ejus mihi certamen in præſentia fugiendum congreſſionemque vitandam putem? Fuit hoc animo quondam adverſus Goliatem Philiſtæum arrogantius inſoleſcentem, & agmina Dei viventis conviciis petulantius inſectantem tener adoleſcens & paſtor David, qui divina virtute fretus contra Gigantem ſtetit, proceſſit intrepidus, ſtrenue pugnavit, feliciſſime depugnavit. Ego vero, qui novo huic Iſmaeli par eſſe nullo modo poſſum, quid conſilii capiam? Illud unum, quod optimum duco, & ab eo capi neceſſe exiſtimo, qui propriæ infirmitatis conſcius ſalvum ſe atque incolumem cu-

cupiat. Arma tantum, quibus novus hic Iſmael uſus eſt, vobis ſpectanda proponam, ut ex iis & pugilis virtutem, & pugnæ exitum conjicere per vos ipſi poſſitis. Hoc de armis Goliathis factum in divinis codicibus reperio, cujus haſtæ modus a ſacro Scriptore definitur, & loricæ pondus quantum eſſet indicatur; nimirum ut ex armis qualis quantuſque foret is, qui ea tractabat, quam terribilis, quam metuendus agnoſceretur. Ego quoque ſic faciam; arma tantum iſtius vobis oſtendam, hoc eſt rationes, quibus ſententiam propugnat ſuam, exponam; veſtrum judicium erit, an his armis feliciter uſus hoſtes ſuos re ipſa confecerit, de iiſque triumphum, quem ſibi ante tempus propemodum gratulatur, reportarit.

IV. Atque ut inde initium ducam, unde iſte exorſus eſt; quid de magnifica illa, quam audiſtis, oſtentatione ſentiendum putatis? quæ quidem eſt hujuſmodi, ut ego certe, quod iſte de ſe profitetur, vobis non fuerim enunciaturus, niſi iiſdem prorſus, quibus ipſe uſus eſt verbis, uti potuiſſem. Abhorret enim a boni accuſatoris officio aliquid proponere, quod ſtatim atque propoſitum ſit, aures ipſæ tanquam falſum & incredibile reſpuant atque repudient. Sed ejus audiſtis verba, & reliqua etiam deinceps audietis, quibus ego preſſius, quoad potero, hac tota actione mea inhærebo. *Opinio*, inquit, *quam tueri aggredior in univerſum deſerta erat*. Si igitur *deſerta erat*, co-

gnita ante fuerat ac probe explorata; ſi non *deſertâ* ſolum, *ſed in univerſum deſerta*; non igitur unus aut alter, ſed doctiſſimi viri illam cognorunt diligentiſſimeque examinarunt; & quod nullo ea modo propugnari poterat atque defendi, idcirco unanimi conſenſu repudiandam, & in *univerſum deferendam* exiſtimarunt. Sedit quodammodo pro tribunali tota Antiquitas, aſſederunt Eccleſiæ Patres atque Doctores, Theologi, Scripturarum Interpretes, Hiſtorici Eccleſiaſtici, Chronologi, ſapientiſſimi quique inter Catholicos viri, ipſi etiam Heterodoxi celebriori eruditione præſtantes in conſilium adhibiti ſunt; citata ad comparendum opinio, examinata, diſcuſſa; & demum cognita cauſa, ac probe perſpecta, quid de ea ſentiendum fuerit, unanimi conſenſu ſuffragioque pronunciatum Jam vero hoc modo tranſacto tali ac tanto judicio? quis non ſubſcriptor accedat? quis audeat refragari, quis intercedere? Vix credibile videtur, exſiſtere unquam potuiſſe tanta confidentia hominem, qui hunc ipſum conſeſſum tam gravem, tam frequentem, tam unanimem, non ſolum, quod par erat, non reveritus fuerit, ſed ei, quod minime decebat, unum ſe objicere atque opponere non dubitarit.

V. Et vero exſtitit, & quas afferat rationes ad elevandam primum conſentientem Patrum auctoritatem, qua maxime premitur atque oppugnatur, ex ipſo præſtat audire. *Patres*, inquit, *penitus hanc con-*

controverſiam non cognorunt , quippe qui neque ſatis otii ad id præſtandum habuerint , neque ſi habuiſſent , id ipſum illos præſtitiſſe putandum eſſet ; propterea quia toti in eo erant , ut & populorum pietati utilitatique conſulerent , & Hæreticorum errores refellerent ; ac propterea Scripturas ſacras facili quadam ac populari ratione interpretarentur . Quot verba , ut videtis , non tot certe Patrum elogia , de quibus nihil dico , propterea quia hujuſmodi loquendi formulis valde iſtis familiaribus & uſitatis aures jam noſtræ obduruerunt . Patres igitur *ad hanc controverſiam penitus cognoſcendam ſatis otii non habuerunt ?* Quis eſt iſte , qui Patrum occupationes ſcrutetur ? qui , quid otii , quid negotii , quid liberi ac vacui temporis habuerint , acrius & curioſius inquirat? ac ne illud quidem tempus iis concedendum putet , quod certe nanciſci non potuiſſent , ſi quantum temporis plerique ſomno , ludis atque conviviis tribuunt , ii tantundem in ſtudiis ſuis non impendiſſent . At erant in populorum inſtitutione occupati . Fuerint ſane . Sed has inter ipſas occupationes fierine potuit , ut aliquid vacui temporis non reperirent , quod ad penitiorem Scripturarum cognitionem intelligentiamque conferrent ? Alienum ſcilicet erat ab ejus , quam ſuſceperant , vitæ ratione , ut populos erudirent , attentius ſacras Scripturas meditari , quo certius rectæ populorum inſtitutioni proſpicerent ? Immo vero non aliunde , quam a Scripturis , uberius iis ſuppetere poterat , unde

illud ipſum, quod ſuſceperant erudiendorum populorum munus & cumulatius explerent & ſalubrius exſequerentur. Quid vero illi? qui nullo publico munere diſtinebantur, qui frequentiam exoſi in ſolitudinem ſe receperant, qui inſtitutum fuerant amplexi *monaſticum*, quo liberius, nulla procuratione diſtricti, Deo ac ſibi viverent, ſtudiiſque ſuis impenſius vacarent. His certe ſatis otii, ſatis vacui ac liberi temporis & fuit,& eſſe debuit, quod in acerrima divinorum codicum meditatione impenderent.Hoſne etiam populari tantum Scripturarum intelligentia contentos fuiſſe credemus, ut in Scripturarum ipſarum intimiora adyta non penetrarint? Quid? Summo præditi erant ingenio, abundabant otio, divinos libros diurna nocturnaque manu verſabant, meditabantur, contemplabantur, & intimum eorundem ſenſum reconditioremque cognitionem non aſſequebantur?

VI. Sed quale tandem cumque hoc ſtudium a Patribus divinis libris impenſum pro diverſa vitæ ratione fuerit, ſive ipſi occupati, ſive vacui, ſive publica procuratione diſtricti, ſive ſoluti dicantur, ſive quo ſe cumque modo habuerint, quomodo ſtudium hoc ipſum non ad erudiendos populos tantum, ſed ad confutandos etiam Hæreticos, ut iſte poſuit, conferre poterant, ſi populari tantum & cuique obvia Scripturarum intelligentia contenti fuiſſent? Hæreſis ingenium quale ſit nemo ignorat, quam callidum, quam ſubtile et acutum. Pugnat omni ratione, doctrina, eruditione, cognitione lin-

linguarum & artium. Sacros vero codices armamentarium putat eſſe ſuum, unde arma ſumat, quibus adverſarios minus fortaſſe infeliciter, quam iſte præſtiterit, *adoriatur* atque *repellat*. Præclaros enim vero Catholicæ Religionis propugnatores contra acerrimos hoſtes omni ratione pugnantes hic noſter opponit, qui eos populari tantum divinorum librorum notitia inſtructos non tam ad contentionem producere, quam ad certum objicere interitum videatur.

VII. Sed non eſt, cur de Patrum otio ſive negotio plura diſſeramus, qui, ut multum otii habuerint, ut animum ad Scripturarum ſtudium adjecerint, ut ſummo fuerint ingenio præditi, ut plurimum contenderint, in intimam tamen Scripturarum cognitionem pervadere omnino non potuerunt. At quî hoc eſſe poteſt? Me interrogatis? ex ipſo quærite; ipſum audite. *Patres*, inquit, *multis caruerunt cognitionibus ad enucleandas penitus Scripturas neceſſariis; ac propterea hærere multis in locis coacti ſunt, quæ expeditiſſima ſunt iis, qui rem altius a fonte ipſo haurire poſſunt*. Mitto hoc loco quærere, quænam ſint hujuſmodi *cognitiones ad enucleandas penitus Scripturas neceſſariæ, quibus Patres caruerunt*. Non percontor quæ nam *loca ſint*, *ubi iidem hæſerunt*, ut ex iis expedire ſe non potuerint. Non inveſtigo nunc novos iſtos *fontes* Patribus clauſos penitus atque obſtructos; iſtis vero apertos ſolis atque patentes, unde tanta ſalubrium aquarum copia erumpit, quas Patres non

 gu-

guſtarunt, & quibus ſola iſtorum ingenia ubertim irrigantur. Hæc omnia miſſa facio, & tantum quæro, quod noſtra maxime intereſſe debet. Si gravior aliqua ſuper implexiori aliquo ſacræ Scripturæ loco inciderit difficultas, ſublata iſto modo Patrum auctoritate, qui *caruerunt multis cognitionibus ad enucleandas penitus Scripturas neceſſariis*, qui *hæſerunt multis in locis*, qui *fontes ignorarunt, unde res altius hauriri poſſunt*, quæro, inquam, nec quærere deſinam, quid nobis, in eo, quem dixi, rerum articulo conſtitutis faciendum? quid conſilii capiendum ſit? quo confugiendum?

VIII. Etenim ſi hoc perfugium, quod in Eccleſia ſemper maxime patuit, adeundi Patres, eorumque de difficilioribus Scripturarum locis exquirendi ſententiam obſtructum atque interclusum ſit, quo iſte nos allegat? quo amandat? ubi reſponſa atque oracula petamus. Dicat ipſe, audiemus nos; ſi conſilium probabitur, utemur etiam. Delphumne? an Dodonam proficiſcemur? At Oracula omnia ab iſtis prorſus ſublata meminiſtis opinor, quæ elinguia fuiſſe contendunt, & ſolum fraude atque aſtu Sacerdotum diſerta. An proprio ex ingenio Scripturas quiſque interpretabimur? At periculoſum hoc nimis eſt, & omnino vitandum, quippe hoc modo *ſpiritus*, qui vocatur, *privatus* induceretur, quo nihil exitialius ac peſtilentius eſſe poteſt; unde exortæ Hæreſes omnes, quæ ſtatum Eccleſiæ miſerandum in modum labefactarunt. An Eccleſiæ ipſius judicium exquirendum

dum? Recte id quidem. Eccleſia enim ſola eſt magiſtra Fidei, ſola nuncia veritatis. Sed Eccleſia ipſa, inconſultis Patribus atque inauditis, nihil conſtituere, nihil decernere conſuevit; Patres ſemper in conſilium adhibuit; Patrum ſententiam requiſivit; Patribus plurimum detulit; nec vero, ſi præſertim aliqua in re conſenſerint, ab eorum opinione judicioque receſſit; atque id quidem more a majoribus tradito, & in Eccleſia nunquam non retento, & in ipſis Œcumenicis conventibus ſancte religioſeque ſervato. Quo igitur tot viis obſtructis deveniendum nobis erit? Quid tandem fiet? quis doctor? quis magiſter adeundus? quis conſulendus?

IX. Verum tametſi ſupra allata verba hujuſmodi ſint, quæ omnem propemodum eripere, intimam certe Scriptutarum cognitionem Patribus adimere videantur; nolo tamen quemquam falſo inſimulare, & video illa ad hanc citra *dogma* potiſſimum controverſiam ab auctore ſuo referri. Subdit enim *deſiderari Patrum opus, quo in opere hanc de Paſcha controverſiam examinandam ſuſceperint*. Audio. Sed primum; ſi Patres non ſatis otii ad id præſtandum habuerunt, ſi contenti populari tantum Scripturarum intelligentia ad populos erudiendos accommodata fuiſſe dicuntur, quem ad finem implicatiſſimam de Paſchâ quæſtionem inſtituerent, quæ ad populi inſtitutionem non pertineret, eamque exponendam rudi vulgo explicandamque aggrederentur? Deinde ſi cognitionibus ad *enucleandas penitus Scripturas neceſſariis caruerunt*, quid erat, quamob-

obrem in eam ſe quæſtionem longe dificillimam conjicerent, in qua certe *hæſiſſent*, & ex qua ſe explicare nullo modo valuiſſent? Quid? non conceditur otium Patribus, & opus a Patribus, quod ſine otio elucubrari non potuit, efflagitatur? Negatur intimior cognitio Scripturarum, & opus, quod ſine ſumma earundem intelligentia nemo conficiat, poſtulatur? Hoc quid eſt? niſi geminum ac ſimillimum illi, quod Hebræis contingit a Pharaone, quibus lateres imperabantur, & neceſſaria ad lateres ipſos conficiendos non præbebantur.

X. Affirmatur igitur, nullum a Patribus ſuper hac controverſia opus eſſe confectum. Atqui egregium volumen de Paſcha edidit Anatolius Pontifex Laodicenus in Syria, cujus ingenii præſtantiam ac ſingularem doctrinam Hieronymus & Euſebius laudant atque ſuſpiciunt. Aliud item, & eximium illud quidem de Paſcha volumen ſcripſit Theophilus Patriarcha Alexandrinus, & Theodoſio Imperatori nuncupavit. Quid? triginta, quas vocant, Homiliæ de Paſcha a s. Cyrillo Patriarcha item Alexandrino elucubratæ. Quid? Proterii, qui eandem Alexandrinam ſedem tenuit, epiſtola hoc ſuper argumento ad ſanctum Leonem Magnum data. Quid? alia item epiſtola Ambroſii, eadem ſubjecta materia, ad Epiſcopos Æmiliæ. Quid? Canon Paſchalis Victorii. Quid? ejuſdem hac ipſa de re ad Hilarum Pontificem Max. litteræ miſſæ. Quid? Dionyſii cognomento *Exigui* de Paſcha graves epiſtolæ duæ.

Quid?

Quid? Cycli Paſchales a veteribus bene multis ſummo ſtudio diligentiaque elaborati, e quibus ille etiamnum exſtat, qui in marmorea Pontificali ſede S. Hyppoliti Portuenſis Epiſcopi perſpicuis inſculptus litteris adhuc Romæ patentibuſque conſpicitur. Nonne hæc opera Patrum, niſi forte ea in libros, in capita, in ſectiones digeſta velit, hac ipſa ſuper controverſia ſunt? quæ iſte ignorare neque debebat, neque vero poterat; cum præſertim Chronicon Paſchale rimari totum ac ſcrutari aggreſſus ſit, ut inde pro ſe auctoritatem aliquam, quæ tota eſt a nobis, eliceret, atque ut, ſi quo modo poſſet, auctoritate ipſa ſententiam ſuam adſtrueret & confirmaret.

XI. Sed qua demum ratione ſententiam hanc ipſam adſtruat iſte atque confirmet ſuam, tandem aliquando præſtat audire. Magnam exordio illo ſuo, quod a me recitari audiſtis, de ſe excivit exſpectationem; omnium in eum unum intenti animi, omnium arrectæ aures; magna, illis verbis commota exſpectatio fuit, cui non ſatisfaciat ſolum quomodocumque oportet, ſed eam vincat ac longe multumque ſuperet neceſse eſt. Non enim parva res agitur; totius Antiquitatis infirmandum judicium, omnium Patrum multo ſane felicius, quam hactenus præſtitit, elevanda auctoritas, infrigendum omnium Scriptorum teſtimonium, Theologorum tum veterum tum recentiorum, Chronologorum, Heterodoxorum ipſorum in unum conſpirans diſturbanda conſenſio, formidandum tot adverſariorum agmen invaden-

dendum ac profligandum omnino eſt, de eoque inſignis reportanda nemine non acclamante victoria. Tale tantumque negotium, aut ego fallor, aut una confici demonſtratione poteſt, una effici evidentia debet; & ea ſane hujuſmodi, cui obluctari ne ipſa quidem impudentia poſſit. Rebus hac ratione, quam æquiſſimam puto, conſtitutis ipſum audiamus.

XII. Atque in primis *abjicienda eſſe* ait *præjudicia*. Verbo ancipiti valde, & ſatis periculoſo utitur atque ſuſpecto. Parco quid nomine *præjudicii* intelligat ſciſcitari; & quænam potiſſimum *præjudicia* abjicienda ſint, non percontor. Sed abjiciantur licet *præjudicia*. *Opus eſt etiam rem, de qua agitur, funditus percipere*. Quantum quidem hac noſtra infirmitate ingenii poterimus, *rem percipere*, & *funditus percipere* conabimur. *Neque enim reperies quod vis, niſi prius noveris probe, quod quæris*. Sententia admodum obvia atque vulgaris. *Exquiſitum judicium monet intelligendum prius eſſe quid hoc Paſcha ſit, & quo tempore celebrandum*. Satis hoc quidem videtur ab ipſa diſci Scriptura ſine *exquiſito judicio* poſſe; ſed tamen ſi hoc *exquiſitum judicium* afferre non poterimus, nobis auctoris ipſius judicium non defuturum confidimus. Numquid eſt aliud, quod præcaveri debeat? Immo vero, inquit, eſt; *Si namque tempus Paſchæ nondum advenerat, evidens eſt Chriſtum licet legi obſequentiſſimum non debuiſſe illud celebrare*. Satis quidem verboſe, quæ præmiſit; hoc au-

autem poſtremum, quod addidit, apte ſane ac recte circumſcriptum, & res, ut ajunt, ad terminos juris redacta. Tota igitur, niſi fallor, rei ſumma huc revocatur, ut *evidenter* iſte nos doceat, legitimum Paſchæ tempus, pridie quam Chriſtus moreretur, non advenifſe, ut neceſſario idem, qui legi ſemper paruiſſet, a celebratione Paſchæ excluderetur? Hic vero, Florentini, ſi unquam alias, attentos vos maxime volo. Tenetur, ut videtis, & iis conſtrictus cancellis tenetur, quos ipſe ſibi circumdedit; nullum patet effugium, in eum locum provectus eſt, unde vel evadere cum laude debet, vel ubi hærere parum honeſte cogitur. Non qualicumque confirmatione contentus eſſe poteſt; ſed demonſtrationem afferre omnino debet. Demonſtrationem ipſe recepit ſe allaturum, demonſtrationem nobis afferat neceſſe eſt; nos demonſtrationem poſcimus jure noſtro, demonſtrationem ipſe denegare non poteſt.

XIII. Age vero, ut flagitata a nobis, & promiſſa ab iſto demonſtratio conficiatur, præſtituenda certa dies eſt, qua die peragi ex lege Paſcha debuerit, & ita præſtituenda, ut *evidenter* conſtet, eam nondum adveniſſe, ut propterea legitimo excluſus tempore fuerit Chriſtus, atque a Paſchæ celebratione prohibitus. Hoc *evidenter* ſi oſtendatur, tantopere expetita demonſtratio habebitur; ſi ſecus, omnes conatus incaſſum recident, & concitata exſpectatio decipietur. Jam ſolemnem, ſtatum, legitimum diem, atque adeo horam nondum adveniſſe quî *evi-*

evidenter docebitur? quî demonſtrabitur? Audiamus. Auctoritate, inquit. At qua? ea fortaſſe, quam repudiavit? & cui in ſententia totius antiquitatis ſuffragio confirmata ſtare noluit? Sed hoc omiſſo, qui tandem erunt auctores tam graves, tam idonei, tam locupletes, tam omni exceptione majores, qui non ſolum cum Patribus, Theologis, Chronologis, Hiſtoricis conferendi ſint, verum etiam his conjunctim omnibus anteferendi? Quis horum primus prodire audebit? quis in conſpectum ſe dare? Verum ne vos diutius teneam; procedit in medium, & primus omnium *Talmud* (*a*) in conſpectum ſe dat. *Talmud*! quid hoc eſt? quod monſtrum? quod prodigium? Neque monſtrum, neque prodigium hoc eſt, ſed gravis nimirum auctor ad tantam definiendam controverſiam evocatus. Quis huic ſuccedit! alius non minus idoneus auctor & gravis, qui nos de legitimo tempore *evidenter* doceat certoſque faciat; adeſt, præſto eſt, nec deſiderari exſpectarique ſe patitur. Quis hic eſt? *Miſchna*. *Miſchna*! inuſitata inconditorum barbarie vocabulorum ne commoveamini, Florentini, & vos met ad

(*a*) *Talmud*, hoc eſt *doctrina*, complectitur legis explicationem, cæremonias, & Jus Civile Judæorum. In duas partes dividitur, quarum prima *Textum* continet, & *Miſchna* appellatur, altera *Gloſſam*, & *Guemara* dicitur. Duo *Talmud* habentur, primum Hieroſolymitanum ea in urbe cogmentatum anno circiter 469., alterum Babylonium Babylone elucubratum anno 476. Utrum utri præſtet non eſt quærendum, cum plane conſtet Opus hoc peſſimum eſſe, & falſis traditionibus, & anilibus fabulis, & horrendis blaſphemiis redundans, ac proinde merito a multis Summis Pontificibus damnatum. Porro *Maimonides* celebris Rabbinus fuit, & *Talmud* publice profiteri anno 999. aggreſſus eſt.

ad ſimilia vocum portenta comparate. *Miſchna* inquam, cui tertius adjungitur auctor longe locupletiſſimus. Quis? quiſnam? *Kalendarium*. *Kalendarium*! utique *Kalendarium*, & illud quidem, quo nunc ad feſtos dies notandos Judæi utuntur, cui graviſſimo & certiſſimo auctori nefas eſt contradicere, id non tam affirmante, quam confirmante, atque adeo aſſeverante, & vero etiam jubente *Bartolocio* neſcio quo. Jam ſi de ritibus Paſchæ celebrandi, de loco, de cæremoniis plenius doceri voluerimus, *Majmonides* nobis erit adeundus, *Majmonides* conſulendus.

XIV. Quid hic ego dicam, aut potius querar? O rem ſane miſeram atque acerbam, Florentini, & maxime luctuoſam? Solebamus antea in divinarum expoſitione Scripturarum audire præclara Hieronymi, Gregorii, Auguſtini, Ambroſii, Hilarii, Cyrilli, Chryſoſtomi, aliorumque hujuſmodi doctiſſimorum ſanctiſſimorum virorum nomina, quæ cum audiebamus neſcio quid plenum ſapientiæ, plenum dignitatis, gravitatis, auctoritatis plenum audire nobis videbamur; & vero re ipſa digna erant, quæ omni cum pietatis tum religionis ſenſu audirentur. His nominibus aures noſtræ jam aſſueverant; his nihil gratius, nihil jucundius nec uſurpari a nobis, nec uſurpatum ab aliis percipi poterat. Nunc autem incondita *Talmud*, *Miſchnæ*, *Maimonidis* nomina audire cogimur, & barbarorum his ſimilium inſolentiam vocabulorum immanitatemque perferre. Expun-

puncta jam prope de catalogo Interpretum Patrum nomina dici poſſunt, in eorumque locum ſuffecta *Rabbinorum*. Illis de medio remotis, qui divino afflati ſpiritu ſacras nobis litteras interpretabantur, novi Doctores ſucceſſerunt, qui eorum locum occuparent, ſacros libros exponerent, & abjecta priorum auctoritate Doctorum in Scripturis ſanctis dominarentur. Quis unquam tantam rerum converſionem, atque adeo perverſionem fieri potuiſſe exiſtimaſſet? Et vero facta eſt. Uſque adeo vix quidquam incredibile videri poteſt, quod tempore non fiat credibile, & alicui verum ſit, ac propugnandum etiam exiſtimetur.

XV. Atque hic nolite ulterius poſtulare, ut ea colligam, quæ multa de phaſibus Lunæ, de cyclis, de novis Aſtronomorum tabulis diſputat. Illa quoqne nolite quærere, quæ de diebus *artificialibus ac naturalibus* fuſe perſequitur; ut hos ab illis diſtinguat; ut de primis evangelicos ſemper eſſe Scriptores intelligendos contendat. Nam, quæ ad amovendam, qua maxime premitur, invidiam ſubtexit; Quæſtionem hanc ad *dogma* non pertinere; non ad morum ſpectare doctrinam; liberum eſſe hac in re cuique opinari, quod libet; jus ſibi negari non poſſe appellandi petendique, ut cauſa, quæ probe diſcuſſa non fuerit, iterum cognoſcatur; ineptire Theologos, qui nova comminiſcendi *dogmata* nunquam finem faciunt; hæc aliaque hujus generis evidentiam non conficiunt. Quapropter, ut pau-

paucis multa complectar, eo quæſtionem totam adducit, ut a ſolis Chronologis atque Aſtronomis dijudicanda ſit, & pene una *Rabbinorum* auctoritate definienda. Hi nimirum ſunt *fontes* a Patribus ignorati, hæc *loca*, ubi Patres *hærere coacti ſunt*; hæ *cognitiones ad enucleandas penitus Scripturas neceſſariæ*, quibus illi novis hujus recentis Criticæ adminiculis deſtituti caruerunt.

XVI. Verum ne vobis oratio mea ſuſpecta ſit, & ne quibuſdam eo artificio, quod imperiti oratorium, ego veteratorium appello, uſus videar; neve huc commentitia illa,de quibus ſuperiore actione audiſtis, me advocaſſe *privilegia* quiſquam criminetur; non negarim Chronologiam atque Aſtronomiam ad hujuſmodi quæſtiones diſſolvendas magno uſui eſſe poſſe atque adjumento. Neque vero illud inficiabor, ſubſidia non contemnenda his in rebus ſuffici nobis item poſse ab eruditione ac peritia Hebraicorum rituum & cæremoniarum; &, ſi vultis, non minimum etiam opis a *Rabbinis* eruditioribus doctioribuſque conferri. His uſus eſt divinarum Scripturarum ſcientiſſimus Interpres & cognitor Hieronymus, quem non puduit Hebræorum doctiſſimos conſulere, ab iis nonulla diſcere, eoſdemque eruditæ ſuæ peregrinationis, qua totam obivit Palæſtinam, habere comites. Quid igitur cauſæ fuit? quamobrem Patres, ſi Chronologiam & Aſtronomiam ignorabant, non Chronologos ſui temporis & Aſtronomos hac ſuper controverſia conſulerent, qui Lunæ pha-

ſes

ſes ſolerter diſtinguerent, diligenter notarent, certo deſignarent, qui tabulas ad Aſtronomiæ leges exactas oſtenderent; unde omnia, quæ ad hanc quæſtionem explicandam pertinerent, adjumenta Patribus ſuppeditarentur. Totamne antiquitatem defeciſſe Chronologos? nullumne olim extitiſſe Aſtronomum in cæli ac planetarum ratione verſatum exiſtimabimus? quem Patres adire poſſent atque conſulere. Nulluſne omnibus retro actis ſæculis paullo doctior ac peritior *Rabbinus* fuit? *Talmud* nullum? *Miſchna* nullum? nullus *Maimonides*? Philo certe & Joſephus antiquiſſimi auctores ſunt, & inter Hebræos magni nominis & laudatiſſimi. Eoſne Patres nunquam vidiſſe? legiſſe nunquam? ignoraſſe prorſus? nihil ut ex eorum lectione notitiaque profecerint. Quod ſi a Patrum gravitate, ut exemplo Hieronymi docuimus, non abhorrebat ab aliis, atque adeo a *Rabbinis* ipſis, quod ſibi non ſuppeteret, mutuari, eoſne in re tanti momenti ſibi defuiſſe cenſebimus? ut neque *Rabbinos*, neque ſui temporis Chronologos atque Aſtronomos hac ſuper re interrogarent, eorumque exquirere judicium ſententiamque negligerent.

XVII. Video recentes Aſtronomos & Chronologos veteribus jure anteponi. Quare non eſt, cur recentium præ veterum ſcientia magnificentius extollatur. Facile concedi poteſt, Chronologiam atque Aſtronomiam multo majora, quam habuerunt præteritis ſæculis, ætate hac noſtra cepiſse incrementa. Verum ſi hos

hos ipſos recentes Chronologos atque Aſtronomos Patres adire ac conſulere non potuerunt, quos ætas poſterior tulit; hi certe a ſapientiſſimis & eruditiſſimis viris quos in hac cauſsa acerrimos habuit adverſarios, & aditi & conſulti ſunt. Nam ſimul atque nova hæc erupit ſententia, doctiſſimos quoſque excivit ad ſeque convertit. Hi profecto recentioris Chronologiæ & Aſtronomiæ præceptis inſtituti erant; exquiſita ac recondita eruditione cenſebantur; nec *Talmud*, nec *Miſchna*, nec *Maimonidem*, nec præſtantiores *Rabbinos* ignorabant, nec certe quidquam illis deerat, quo minus hac de controverſia recte judicare poſſent. Hi tamen tantum abfuit, ut promiſſæ ab iſto evidentiæ acquieverint, ut potius demonſtrationes demonſtrationibus, & has quidem ab recenti Aſtronomia & Chronologia petitas objecerint, teſtimonia teſtimoniis, *Talmud Talmudi*, *Miſchna Miſchnæ*, *Maimonidem Maimonidi*, & univerſe *Rabbinos Rabbinis* oppoſuerint. Non igitur majus a recentibus Aſtronomis & Chronologis, quos Patres conſulere non potuerunt, quam a veteribus ad hanc definiendam controverſiam peti ſubſidium potuit. Quod ſi credibile eſt nullam hac in re prætermiſſam fuiſſe a Patribus diligentiam, qua quæſtionem hanc penitus cognoſcerent; illud neceſſario conſequitur, aut Chronologorum Aſtronomorumque rationes repertas ab ipſis congruere cum tempore, quo Chriſtus Paſcha celebraſſe dicebatur, aut, ſi aliquo modo diſcrepare viſæ fuerint, tantum momenti apud

ipſos evangelica habuiſſe verba, ut receptæ jam opinioni adhærere ſatius exiſtimarint, quam ab eadem cum erroris periculo recedere.

XVIII. Et ſane quid clarius atque apertius a ſacris Scriptoribus enunciari potuit, quam Chriſtum re ipſa Paſcha cum diſcipulis ſuis celebraſſe, ſi evangelica verba tantummodo curſim perlegantur? *Miſit Petrum & Joannem dicens, euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus*. Diſcipuli reponunt *ubi vis paremus?* Docet eos Chriſtus quid facto opus ſit, & quomodo ſe gerere in exſequendo mandato debeant. Indicia certa demonſtrat, quæ ſi ſequantur, falli non poſſint. Illi imperata faciunt, & *paraverunt Paſcha*. Quid vero illa multo prioribus clariora atque apertiora? *Diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo, & ait illis, deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. Dico enim vobis, quod ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei*, & reliqua, quibus opportune cæna *legalis* ab *Euchariſtica* diſtinguitur ſic, ut illa præceſſerit, hæc fuerit conſecuta. Et hic quiſquam in tanta luce nobis tenebras offundere conabitur? Chronologos & Aſtronomos ingeret? Lunares phaſes opponet? Cyclos obiiciet? infinitam numerorum ſeriem obtrudet, quibus ab obvia Scripturarum intelligentia nos abducat, & ad implicatiſſimam controverſiam adducat?

XIX. Quanto igitur illud æquius fieri & rectius debuiſſet? quandoquidem evangelica verba ita ſonabant, ut

ut ad eorum veram germanamque ſignificationem Patres omnes, totamque cum Patribus antiquitatem attraxerint, ad eam ipſam ſignificationem Aſtronomorum rationes & Chronologorum *tabulas* adducere, ut & Aſtronomia & Chronologia enunciatæ a divino Scriptore veritati ſervirent ac famularentur. Nec vero difficile erat ipſam etiam eruditionem, quo tandem cumque a fonte petitam, eodem detorquere ac derivare. Quod quidem ſi generatim a quovis requirendum fuerat, nominatim ab iſto & potiori quidem jure poſtulandum fuit. Etenim ſi Evangeliſtæ non ſatis concordare ſecum videbantur, ita temperari poterant, ut concentus plane conſentiens exſiſteret. Nam quid aliud exſpectandum erat ab eo, qui optimo uſus conſilio divinos Scriptores conciliare inter ſe & *Harmoniam* quandam efficere inſtituerat.

XX. Hæc ſunt arma, quibus iſte uſus eſt; his adverſarios ſuos provocavit, his contra omnes ſtetit, his pugnavit; an vero his feliciter uſus depugnaverit, palmamque de tot acerrimis hoſtibus, quos ſe *partim adoriri*, *partim repellere* jam inde ab initio profeſſus eſt, reportarit, vos judicate. Hic etiam exſpectabit, opinor, dum ei triumphum decernamus, & victoriam voce maxima gratulemur. Sed quomodo ei victoriam vir graviſſimus & doctiſſimus, popularis ſuus, & quibus potiſſimum verbis, epiſtola ad eum miſſa, gratulatus ſit, operæ pretium eſt hoc loco cognoſcere. Digna ſane eſt hæc epiſtola, quæ tota legatur, ſed ego aliquot tantum

 eju-

ejuſdem particulas excerpam, ex quibus quid hac de ſententia, quam hactenus expoſui, ſentiendum ſit, intelligetis. *Novi equidem*, inquit Scriptor epiſtolæ, *præſtantes ingenio atque eruditione viros ſentire alteram tui Operis partem*, ea eſt, in qua nova opinio propugnatur, *anſam præbere....* Quam anſam? cui rei? *Ad reverentiam Patribus debitam imminuendam*. Dicatur iterum, & pronuncietur clarius ſic, ut omnes exaudiant. *Ad reverentiam Patribus debitam imminuendam*. Jam non ego ſolus hoc ſentio, non ego ſolus damno, & accuſo; *Præſtantes ingenio & eruditione* viri idem mecum ſentiunt, idem damnant & accuſant. Ex imminuta porro auctoritate Patrum quid incommodi ac detrimenti metuendum ſit, ex eodem Scriptore diſcite. *Quod perincommode accideret ſæculo noſtro*. Cur peculiare ſæculum commemoratur? cur *noſtro* potiſſimum *ſæculo* ſcribitur? Quod uni perincommode accidit ſæculo, alteri certe commode accidere non videtur poſſe, ſi præſertim perniciosa per ſe res aliqua ſit atque exitialis. Quid igitur cauſæ fuit, quare illud *noſtrum* ad reliquorum ſæculorum diſcrimen appoſuerit? Audite reliqua. *Perincommode accideret ſæculo noſtro, quo calamitoſa patet hominibus celebriores Eccleſiæ Patres in contemptum adducendi licentia*. Potuitne quidquam ſcribi verius, gravius, vehementius? *Calamitoſa*, inquit, funeſto vocabulo utitur ac lugubri; *calamitoſa licentia* non Patres tantum, ſi qui inferioris notæ ſunt, ſed *celebriores Eccle-*

deſiæ Patres in contemptum adducendi. Quid? quod affirmat hanc *calamitoſam licentiam patere*. Quid ſibi vult *patere*? quid verbum hoc indicat? quid ſignificat? niſi multorum hominum animos iſtam ipſam *calamitoſam Patres in contemptum adducendi licentiam* corripuiſſe, & longe eſſe jam lateque diffuſam. Sed quid tandem ab hac *calmitoſa licentia*, quæ hoc etiam ſæculo patet latiuſque diffunditur, incommodi conſequatur, ex eodem auctore audiamus. *Quo ſæculo*, ait, *religione nulla a Fidei noſtræ Patribus Deique amicis*, magnifice laudantur Patres, & merito ornantur præconio, *non pauci transfugiunt, & haud raro ad utriuſque hoſtes*, videlicet Fidei & Dei, *infenſiſſimos devolant*. Huc nimirum accedunt, qui *religione nulla* a Patrum auctoritate recedunt, atque hic demum nimiæ in opinando licentiæ exitus eſſe ſolet.

XXI. Hactenus Scriptor Epiſtolæ (Tillemont. tom.1I. ep. ad N.N. art.LXIII. Criticus Critico, Criticus nobilis Critico nobili, eruditus erudito, popularis populari, civis prope civi ſuo. Quare non eſt, cur iſte de me conqueratur, perinde quaſi alienis a meo inſtituto me quæſtionibus immiſcuerim. Protuli litteras Critici nobilis, protuli viri docti, protuli popularis, verba epiſtolæ recitavi. Nec vero aliter me cum ipſo geſſi, cujus etiam verba hac tota actione attuli, & tantummodo ſententias expoſui, ut non tam ego locutus ſim, quam ipſum ex hoc loco loquentem induxerim. Cæterum,

quod ad me attinet, laudo ſummum hominis ingenium, ſingularem doctrinam, exquiſitam eruditionem, quibus virtutibus inter paucos cenſetur atque eminet. Fateor, hanc quæſtionem ad *Dogma* non pertinere. Scio, ſuffragatorem etiam magni nominis eſſe nactam. Sed quid inde in Catholicam Eccleſiam commodi redundarit, non video; illud ſane video, magnam præberi *anſam* potuiſſe ad infringendam Patrum non ſingulorum tantum, ſed conjunctim omnium auctoritatem in re quidem non *dogmatica*, ſed exemplo valde ſuo periculoſa; quæ unica cauſa fuit, quare, cum bona viri doctiſſimi & eruditiſſimi venia, ejuſque ſuffragatoris, non ſententiam ego meam pronunciarem, ſed qualemcumque animi mei ſenſum vobiſcum hac ſuper re communicarem. Sed nimirum homines ſumus, & humani interdum aliquid patimur. Gloriæ cupiditas non raro nos de inſtituto deducit, & quo nollemus adducit. Placet novitas opinionum, & illæ ipſæ, quæ noſtra cauſa excitantur, contentiones & turbæ non diſplicent. Jactatur hoc modo nomen noſtrum, Opera noſtra cupidius expetuntur, leguntur avidius, magno pretio comparantur; nec vero perſæpe non auctor ipſe minimo in lucro compendioque verſatur. His de cauſis nobis ipſi blandimur, & inanem ac falſam laudem, vera contempta ac ſolida, aucupamur.

XXII. Quanquam ne hanc quidem laudem, ſi laus dicenda eſt auctorem dici novæ ac periculoſæ opinionis,

iſte ſibi vindicare poteſt, quam alii multo ante ei, ipſo ultro fatente, præripuerunt. *Nullum*, inquit, *vidi, qui opinionem hanc propugnaverit in Europa, ante Nicolaum Villegagnonum, Antonium de Dominis, & Hieronymum Vecchiettum*. Hi ſunt, quos ſententiæ ſuæ auctores, duces, magiſtros habuit, quique vexilliferi ad invadendum omnium Patrum, Theologorum, Scriptorum Eccleſiaſticorum, Chronologorum invictum agmen ei præiverunt; a quibus ego nominatim appellandis fortaſſe abſtinuiſſem, ſi eorum ipſe nomina reticuiſſet. Nihil dico de Villegagnono, quem ipſe multis verbis collaudat. Antonius vero de Dominis, cujus ingenii fuerit, quam pravi, quam improbi, quas turbas exciverit, quomodo erga Eccleſiam Catholicam ſe geſſerit nemo ignorat. Vechiettus porro cujas ſit, latere vos non arbitror, nec vero poteſt, Florentini. Noſtis hominem, patriam, locum, familiam; indignus patria, loco, familia fuit; & plane dignus, qui perpetuo carceri addiceretur,& cujus liber *de Anno primitivo* Auguſtæ editus decreto publico flammis abſumeretur. En fontes a me ſæpius his in actionibus indicati, unde tanta novarum opinionum copia erupit, quæ recentem Criticam infecit.

XXIII. Quid igitur, ſi quid Heterodoxi erudite, ſi quid docte, ſi quid etiam vere protulerint, nobis vitio dabis, ſi nos illud ab ipſis mutuabimur? Multa ab iis certe & fuerunt erudite collecta, & acute excogitata, &

vere etiam enunciata? Quid ergo eſt, cur tantopere in nos inveharis, ſi quid ab Hæreticis excerpſimus, quod in rem noſtram derivaremus? Hoc Patres ipſi factitarunt, quos non puduit eoſdem interdum adire, ex eorumque eruditione proficere. Ego vero hoc nunquam iſtis vitio nulla ſine circumſcriptione dedi, nec dabo. Scio, Auguſtinum in exponendis Scripturis regulas quaſdam Tyconii Donatiſtæ nequaquam neglexiſſe. Non me latet, Cyrillum Alexandrinum declaraſſe, non omnia, quæ ab Hæreticis proficiſcuntur, falſitatis atque erroris eſſe arguenda; laudibus etiam quædam efferri poſſe, quin eorum erroribus faveamus. Non me fugit, Hieronymum Origenem aliquando laudaſſe; ſed laudaſſe, ut diſerte affirmat, *Interpretem, non Dogmatiſten, ingenium, non fidem*. Hæc ego non ignoro. Sed tantum abfuit, ut Patres Hæreticorum ſuſpectis aliquo modo de Fide Catholica opinionibus faverint, ut Hæreticos ipſos qua voce qua ſcriptis nunquam non fuerint inſectati. Quod ſi interdum caſu aliquo Hæreticorum aſtu veritatem ſimulantium decepti ſunt, ſtatim comperta fraude ab iis refugerunt, & a malo auctore acceptas opiniones ſententiaſque damnarunt. Illud vere & generatim dici poteſt, Hæreticorum Opera nobis maxime ſuſpecta eſſe debere, qui, ut edocti ſunt, qua tecte, qua aperte Catholicam Religionem adoriuntur, & convellere quantum poſſunt conantur. Eruditioni quidem iudulgent, ſed eruditionem ipſam pravarum erroribus opinionum

per-

perdunt atque corrumpunt. Serunt inter flores innoxios tetra aconita, & nocentiſſimas immiſcent cicutas, quibus exitiale ac peſtiferum virus inconſultorum hominum animis importetur. Serunt triticum, ſed zizania tritico confundunt, quibus ſenſim creſcentibus triticum ipſum ſoffocetur. Quapropter cavendum maxime ab iis eſſe dixi jam, & iterum dico, nec finem dicendi faciam, & a ſuſpectis eorum opinionibus refugiendum.

XVIV. Hoc ante me viderunt, ac providerunt viri graviſſimi & doctiſſimi, quorum perſcriptis auctoritatibus libenter ſubſcribo. Vidit clariſſimus Tillemontius Criticus in primis nobilis, qui *libertatem* quidvis a quovis non ſine periculo mutuandi *infelicem* appellat. Vidit Natalis Alexander vir doctiſſimus, & celeberrimus item Criticus, qui diſerte pronunciat, *In rebus, quæ ad Chriſtianam ſpectant Religionem majorem adhibendam fidem eſſe Scriptoribus Eccleſiaſticis, quam Ethnicis & prophanis*; addam ego potiori jure *& Hæreticis*, a quibus majus periculum imminet, & quorum peſtifera lues difficilius vitatur, & facilius adhæreſcit. Vidit inter cæteros laudatiſſimus ille Meldenſis Epiſcopus, quem unum ego hominem & ingenio ſummo, & eruditione multiplici, & doctrina ſingulari cum paucis ampliſſimi & florentiſſimi regni confero, multis antepono; qui, quam ego hactenus reprehendi licentiam atque intemperantiam, ipſe quoque reprehendit his verbis; *Perniciosſum*, inquit, *omnino recen-*

tium

tium Criticorum inventum eſt, qui comites ſe Hæreticis præbere non dubitant, iiſque multa adverſus Eccleſiam commoda ſuppeditare non verentur. Vidit denique ante hos omnes Tertullianus cujus graviſſima verba digniſſima ſunt, quæ hic afferantur, & quibus meæ huic actioni finis imponatur. *Nobis*, ait, *etſi quærendum eſſet adhuc & ſemper, ubi tamen quæri oportet? Apud Hæreticos? ubi omnia extranea, & adverſaria noſtræ veritati, ad quos vetamur accedere. Quis ſervus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico Domini ſui ſperat? quis miles ab infœderatis, non dicam hoſtibus Regibus donativum ac ſtipendium captat; niſi plane deſertor, & transfuga, & rebellis? Etiam anus illa intra tectum ſuam drachmam requirebat; etiam pulſator ille vicini januam tundebat; etiam vidua illa non inimicum, licet durum Judicem, interpellabat. Nemo inde ſtrui poteſt, unde deſtruitur; nemo ab eo illuminatur, a quo contenebratur. Quæramus ergo in noſtro, & a noſtris, & de noſtro.*

DE

DE PRAVO

ARTIS CRITICÆ

USU

Actionis II. Liber VIII.

MUlta graviter ex hoc loco pro rerum, quas tractandas ſuſcepi, dignitate atque præſtantia a me ſuperioribus actionibus dicta ſunt, dolorique meo, quem ſane magnum atque acerbum ex nimia intemperantium Criticorum in opinando licentia conceperam, parui; eique ſum, quantum mihi quidem temperare potui, citra juſtam cujuſque offenſionem obſecutus. Nam cum ad eam cauſam accedere placuiſſet, quæ graviſſima per ſe eſſet, & vero a me cum Religione maxime conjuncta exiſtimaretur, non erat perinde agenda, quaſi in eorum argumentorum genere verſaretur oratio, in quibus, quid ſentias, vel in utramvis partem diſputes, non eſt magnopere la-

laborandum. Itaque in hac cauſa multa libere aperteque dicenda fuerunt; multa ex intimo animi ſenſu depromenda; conquerendum etiam dolenter interdum; &, quod caput eſt, non tam providendum, ne nimis vehemens, quam ut ne omnino diſſolutus viderer. Quod quidem conſilium meum cum a multis ſapientiſſimis hujus ornatiſſimæ civitatis viris laudatum eſſe non obſcure cognoverim, non eſt cur paucorum, qui conſilium hoc ipſum fortaſſe reprehendent, aut criminationes refellam, aut invidiam pertimeſcam. Equidem illud ſemper in omni actione vitæ a probo viro ſpectari oportere exiſtimavi, quid agat, & quibus potiſſimum ſe probet; ſapientum judicium magni eſſe faciendum, ſtultorum contemnendum. Quamobrem ſi qui ſunt, qui multo aliter ſentiant, atque ipſe actionibus his habendis declaravi, hos non impediam, quominus palam mihi atque aperte ſuccenſeant; quorum ego certe ſermonibus non movebor, ut vel unum iis verbum reſpondendum putem. Sciant interea, atque hoc non reſpondendi, ſed commonendi tantum gratia dico, multo iniquiſſimam ab iſtis proponi conditionem, ut, qui ſibi multa concedi velint, ne ipſas quidem nobis querimonias jure conceſſas arbitrentur. Quid? Tu me prior infeſtis armis petere audebis; ego ſcilicet omnes tuos ictus corpore excipiam? nulla mei defendendi poteſtas fiet? gemitus ipſi accepti vulneris teſtes & juſti doloris judices interdicentur? At contra eſt. Nam, aut

aut paribus armis & æquo jure dimicandum opinor eſſe, aut ab omni contentione ſuperſedendum. Quanquam, fatebor equidem ingenue, Florentini, nec quidquam diſſimulabo. Eſt, eſt inquam, cur iſti ſe mihi iratos præbeant; eſt, cur jure de me conquerantur. Etenim cum tot ac tanta adverſus ipſos dixerim, cum eorum rationes argumentationeſque refellendas ſuſceperim, præcipuam tamen, qua utuntur, defenſionem non modo non oppugnavi, quod factum oportuit, verum etiam, quod minime debuit, omnino prætermiſi. Concedunt iſti, ſe mu'ta in omni Hiſtoria molitos eſſe, multa correxiſſe, multa de medio penitus ſuſtuliſſe, multa in falſitatis crimen ſuſpicionemque vocaſſe. Fatentur, a ſe Patrum auctoritatem neglectam, antiquiſſimas Traditiones labefactatas, provinciarum ac populorum unanimem conſenſum repudiatum, vetuſtiſſimas opiniones ſublatas; contra vero quaſdam in eorum locum ſuffectas, novas prorſus atque inauditas. Nihil horum negant, nihil diſſimulant. Sed quam tandem rationem afferunt, qua tantam licentiam aliqua aliquo modo probabili excuſatione defendant. Adeſte animis, Florentini, & iſtorum defenſionem accipite; Se, quæ fecerint, unius veritatis amore feciſſe dicunt. Hæc eſt horum hominum magnifica enim vero, & in ſpeciem præclara defenſio; hæc ab iſtis prætenditur, hæc contra omnes adverſariorum impetus, tanquam firmiſſimum aliquod propugnaculum, opponitur. Quid agam hoc loco,

co, Florentini? quo me vertam? aut quo poſtremæ actionis hujus meæ rationem conferam? Video enim, & jam nunc animo ac cogitatione perſpicio, quantum momenti in una illa voce illi poſituri ſint, quamque ſe in omnem partem quamque licenter jactaturi. Commemorabunt veritatis dignitatem atque excellentiam; dicent, nihil eſſe, quod in ejus contentionem venire poſſit; non auctoritatem Patrum, non veterum teſtimonium, non conſenſum populorum; unam eſſe veritatem, quæ merito ſuo rebus omnibus anteponenda ſit, unam a Critico ſpectari oportere, de una Criticos laborare. Addent, veritatis amore doctiſſimos quoſque a præjudiciis vacuos atque liberos flagraſſe ſemper, ejus inveniendæ gratia nullis pepercisse laboribus, eaque inventa tum demum exiſtimaſſe ſe laborum ſuorum fructum eſſe ampliſſimum conſecutos. Illos ipſos, qui a me toties objecti ſunt, Eccleſiæ Patres de una veritate fuiſſe ſollicitos, ad eamque conatus omnes ſuos cogitationeſque contuliſſe; ac propterea multa, prout ſeſe iis occaſio obtulit, & veritas ita poſcere viſa fuit, tanquam falſa rejeciſſe, aç multorum etiam auctoritati, qui contra, atque ipſi ſenſiſſent, refragari non dubitaſſe. His aliiſque ſimilibus commemoratis, tum vero a vobis deprecabuntur, tum etiam ſuo jure contendent, ut, ſi quid paullo intemperantius factum, aut arrogantius dictum ab ipſis videatur, id non immoderatæ opinandi licentiæ, quod ego accu-

ſo,

ſo, ſed potius unius veritatis amori, quod ipſi defendunt, adſcribendum putetis. Difficilis profecto locus, quo me ab iſtis adductum ſentio, Florentini. Quis enim eſt, qui veritatem non plurimi faciendam? quis, qui non omni ſtudio inquirendam putet? quis denique, qui perſuaſum non habeat, nihil eſſe docto præſertim homini in hac vita optandum veritate atque expetendum magis? Soluſne igitur mortalium, in hoc ampliſſimo conventu tam averſus a vero hodierna die inveniar, ut hæc actio mea, quam contra iſtos nunc habiturus ſum, non tam contra ipſos, quam contra veritatem inſtituta a me atque adornata eſſe videatur? Ita me Deus adjuvet, Florentini, ut ego non contra veritatem pro iſtis, ſed contra iſtos pro veritate verba hodie facturus ſum. Hoc animo in hunc locum aſcendi, ad hoc paratus meditatuſque veni, hoc enitar, ut, ſi quo modo poſſim, hanc iſtis defenſionem eripiam. Itaque ad hanc arcem, in quam ſe contulerunt, quamque munitiſſimam atque inexpugnabilem putant, totis viribus oppugnandam aggrediar, quam ſi Deo adjuvante ab eorum defenſione dejecero, plane non video, quo confugere poſſint, ſeque aut ſui defendendi, aut belli redintegrandi cauſa recipere. Attendite igitur, Florentini, & hoc etiam diligentius, quam hactenus feciſtis, quia in hac una actione præteritarum actionum omnium ratio vertitur, ut ſi ego nunc ſuperior evadam, cauſa mihi adjudicetur; ſi contra infe-

ferior, victores iſti ab hoc judicio abſolutique diſcedant.

II. Ac primo quidem, quid ego nunc cauſæ eſſe dicam, aut ſuſpicer, cur iſti de veritate tantopere laborent. Quid? an veritatem ita deſertam ab omnibus arbitrantur, ut nemo ſit, qui præter ipſos ejus ſibi patrocinium ſuſcipiendum putet? Si ita eſſet, facile paterer, iſtos adeo de veritate anxios eſſe atque ſollicitos. Sed non eſt, cur hac de re vehementius angantur. Nunquam veritati fautores, nunquam patrocinatores, nunquam laudatores deerunt. Quare non eſt, cur nova veritatis præconia excogitent, cur veritatem magnificandam verbis, cur extollendam laudibus, cur defendendam ſuſcipiant. Satis ipſa per ſe ſine cujuſquam eloquentiæ præſidio & ornatur & defenditur. Quid igitur eſt, cur iſti tam aſſidui in veritatis appellatione ſint? cur tam crebri in ejus laudibus exaggerandis? cur tam ſolliciti in dignitate vindicanda? perinde quaſi veritas unice ad eos pertineret; cæteri vero ab eadem, ſive celebranda, ſive ornanda, ſive quoquo modo defendenda prohiberentur. Male metuo, ne dum, quod omnibus commune eſt, ſibi proprium facere ac vindicare ſtudent, non tam ab iſtis aliqua licentiæ ſuæ quæſita defenſio ſit, quam nova cavillandi occaſio captata eſſe videatur. Quare tanto acrius in iſtos inquirendum eſſe cenſeo, quanto ſubtiliori nos artificio decipere conantur atque pervertere.

Non

III. Non eſt novum neque omnino inuſitatum in judiciis aliquem rei capitalis reum, quo certius a ſe omnem patrati facinoris ſuſpicionem amoveat, accuſatoris perſonam ſuſcipere, adire Judicem, rei actionem poſtulare, inſtare, urgere, ut facinus quam primum vindicetur. Sagax enim vero conſilium, fraudis aſtutiæque pleniſſimum. Neque enim veriſimile videtur eſſe, qui admiſſi facinoris auctor ſit, facinus ipſum audere perſequi in judicio. Itaque de more delatio recipitur, & diſquiſitiones judiciario ritu inſtituuntur. Ille vero neque diem ceſſare, neque noctem, crebro convenire Judicem, obire forum, obſidere curiam, inſtare acrius, urgere vehementius, opprimere, nihil remittere; atrocitatem vero criminis ſupra modum efferre, in criminis auctorem intemperantius invehi, omnem denique movere lapidem, quo maleficii auctor deprehendatur, & merito quamprimum ſupplicio mulctetur. Quid ſibi vult aſſiduitas tanta? quid tanta importunitas indicat? quid ſignificat? Accuſatorem nimirum eſſe innocentem, & crimen ad ſe non pertinere, quod tanta aſſiduitate perſequitur. Hoc quidem prima ſpecie ita eſſe homini a foro & a judiciis remoto videri poteſt; ſed illa ipſa aſſiduitas & importunitas tanta acri & acuto Judici ſuſpicioſa eſſe incipit. Ne multa. Teneatur ipſe accuſator, ſiſtatur, examinetur. Ita fit, tenetur, ſiſtitur, examinatur, & quæſtionibus habitis, auctor maleficii ille ipſe deprehenditur, qui maleficium ipſum ad Judicem

cem deferre, & ut vindicaretnr vehementius inſtare non dubitavit. Hoc modo comperta improbi veteratoris fraude merito ſupplicio delator plectitur, qui ea ipſa via certius in ſuſpicionem incurrit, qua ab eadem longius ſibi declinare videbatur.

IV. Nunc, ſi nos, ut acuti Judices cum delatoribus, qui nimis aſſidui ſunt ac vehementes, gerere cum iſtis voluerimus, & in illa ipſa indicia, quæ ſuſpicionem videntur amoliri, acrius inquirere atque ſubtilius, quis tandem noſtrum poterit conſilium reprehendere? Nam, iterum quæro, quid ſibi volunt illæ laudes, quibus dignitatem iſti veritatis atque præſtantiam amplificant, tam crebræ, tam repetitæ, tam magnificæ, tam ſuperlatæ in re per ſe clara atque illuſtri. Suſcipite igitur perſonam illius Judicis, de quo dixi, & vos ipſi utrum hæc innocentiæ indicia habenda ſint, an novæ potius ab iſtis proditæ veritatis argumenta, conſiderate. Intemperantiæ crimen eluere quærunt, & in hoc ipſo intemperantes inveniuntur. Suſpicionem a ſe omnem amovere contendunt, & ſuſpicionem ipſam acrius commovent. Veritatis patrocinatores & videri & haberi volunt, & non ſolum novo eam more vehementius oppugnant, verum etiam ſe perfidioſos in hoc ipſo & prævaricatores oſtendunt. Sed moliantur licet quæ velint omnia; Magna ſemper veritatis vis extitit, quæ celari omnino non poteſt; ſerius, ocius erumpit ultro; ſponte ſua illuſtratur; nec ſe obtegi mendacio,

nec

nec ulla artificii ſimulatione ad diuturnum tempus obnubi patitur.

V. Quanquam quid eſt? quod novo nos iſti pervertere artificio nunc meditentur, perinde quaſi integra res eſſet, nec multo ante jam diſcuſſa ac dijudicata. Nam quid aliud ego hactenus egi, in quo vires omnes meas, ingenium, contentionemque conſumpſi, in quo meam probari fidem volui, niſi vos ut docerem, non modo deſertam ab iſtis & oppugnatam, ſed proditam ac perditam veritatem. Aſpiciant Romanæ Eccleſiæ Faſtos, & tum mentionem facere audeant veritatis. Revocent in memoriam ſupra allatas opiniones æquitati ac rationi inimicas, & tum, ſi poſſunt, in munitiſſimam ſe recipiant veritatis arcem, quam propriis ipſi manibus evertere ac diſturbare non dubitarunt. Recolant animo, quæ ſuperioribus perſecuti ſumus actionibus univerſa, bonorum omnium recte de Catholica Religione ſentientium unanimi ſuffragatione damnata, & tum ad tribunal confugiant veritatis, quæ tantum abeſt, ut eos tueatur atque defendat, ut potius perſequatur atque condemnet. Si crebra innocentiæ appellatio apud ſeverum ac conſtantem Judicem ad probandam innocentiam valeret, tum ipſa quoque veritatis appellatio aliquo modo iſtis ſuffragaretur. Sed contra eſt; immo vero ſi quid valet, in contrariam partem valet, & ſuſpicione ipſa, quam commovet, uti acriorem Judicem in

re indaganda facit, ita comperta fraude ſeveriorem efficit in vindicando.

VI. At enim multa per Criticos veritati importata ſunt commoda. Audio. Quid igitur? Equidem quæ via nunc ac ratio defenſionis tentetur, plane non video. Aliud eſt multa commoda importata eſſe veritati per Criticos, quod ego quoque affirmo; aliud hæc ipſa commoda per immoderatos Criticos eſſe invecta, quod ego inficior ac pernego. Non quæritur hic, quæ commoda moderati ac ſapientes Critici attulerint, ſed quæ iſti incommoda importarint, inveſtigatur. Non quomodo illi ſe erga veritatem geſſerint, in quæſtionem adducitur; ſed quod iſti eandem oppugnarint ac perdiderint accuſatur. Non eſt igitur, cur ſe in alienis opibus ac copiis oſtentent, qui ſumma domeſtica premuntur inopia. Non eſt cur aliena innocentia abſolvi quærant, qui propriis criminibus condemnantur. Si quid volunt efficere defenſam a ſe veritatem oſtendant, quomodo tutata ab aliis fuerit, parcant dicere; commoda per ipſos invecta commemorent, per alios allata prætermittant. Ego quidem hujuſmodi commoda neque reperi, neque reperio; neque vero ſatis aſſequi poſſum, quomodo ex peſſima radice potuerit unquam boni aliquid pullulare.

VII. At veriſimile non eſt in tanta perveſtigatione rerum, quantam inſtitutam ab iſtis fuiſſe oſtendimus, ni-

nihil ab iiſdem commodi allatum eſſe veritati. Non committam, Florentini, ut in hac cauſa, quam prō veritate ſuſcepi, quidquam a me contra ipſam veritatem aut dictum, aut negatum, aut tantummodo diſſimulatum argui poſſit. Itaque fatebor id, quod eſt; neque inficiabor, nonnulla ab iſtis, quæ re ipſa vera eſſent, comperta; nonnulla item, quæ falſa & commentitia, fuiſſe deprehenſa. Fieri enim non potuit, quin in tanta molitione, qua totam Hiſtoriam permiſcuerunt, aliquid tandem veri forte fortuna ipſis vel non cogitantibus, vel aliud quærentibus fuerit oblatum. Hoc ego iſtis concedo, ſed illud hic præcipue, opinor, quærendum; quæ allata dicuntur commoda, utrum majorem commodi, an incommodi rationem habere exiſtimanda ſint.

VIII. Et ſane, tantine fuit, ut aliquid veri deprehenderetur, tantam perniciem, quantam ſuperioribus actionibus oſtendimus, toti inferre Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, tantam importare vaſtitatem? Quis unquam nobile ædificium funditus evertendum curavit, ut neſcio quid ad antiquitatis notitiam pertinens, abditum in fundamentis ac depreſſum erueret? Quis collem frugiferis arboribus conſitum & pulcherrime conveſtitum, exciſis oleis, eradicatis vitibus, exſtirpatis arboribus, effodiendum ſibi unquam ſubvertendumque cenſuit, ut minimam auri particulam in ejus forte viſceribus retruſam ac latitantem acquireret? Profecto qui hæc faceret, peſſime ſibi, peſſime rationibus ſuis conſulere

 exi-

exiſtimaretur. Si quis vero ſe in rem ipſam altius inſinuare vellet, illud apud ſe non ſine cauſa ſtatueret, eum, qui ſe ita geſſiſſet, non alicujus qualiſcumque notitiæ ſtudioſum, aut auri fuiſſe cupidum, ſed unam & perdendi ædificii & ſubvertendi collis captare occaſionem voluiſſe. Multa prius, quam tale aliquid aggrediaris, ſollerter examinanda ſunt, habenda lucri, habenda ratio detrimenti; utrum utri præſtet, videndum atque adeo providendum. Tu mihi neſcio quam ſpem lucelli offers, & latitantem in prædio meo theſaurum oſtentas; aſt ego lucro iſti tuo, & oſtentato theſauro inhians prædium amitto. Tu ſpem oſtendis, & mihi, quæ non ſpe, ſed re teneo, aufers, & incerto objecto lucro de certa poſſeſſione deturbas. Quæ eſt iſta amplificandæ rei domeſticæ ratio? quam perverſa! quam præpoſtera! quæ me bonis omnibus evertit atque inanem ſpoliatumque dimittit. Tuam tibi iſtam habe rationem, a qua importatum detrimentum omni lucro compendioque præſtat.

IX. Simile ego quiddam & factitari ab iſtis, & factitatum eſſe arguo & confirmo. Nam ſi omnia penſitare voluerimus, atque inter ſe conferre, quæ conſecuta ſunt damna, longe omni præſtare lucro reperiemus. Sunt enim quædam veritates, quæ non ſine maximo detrimento, quod compenſari nullo modo poteſt, enunciantur; ut etiam ſi probetur, aliquam, cujuſquemodi illa ſit, inventam ab iſtis veritatem, non tamen continuo abſolvi debeant ju-

judicioque liberari. Immo vero ex hoc ipſo novum crimen naſcitur, novam hinc ego in iſtos inſtauro accuſationem, & multo acriorem quam antea & vehementiorem. Uſque adeo ea profligatæ ac perditæ cauſæ ratio eſt, ut defendi nullo modo poſſit; &, quidquid dixeris, non illam meliorem dicendo facias, ſed deteriorem efficias.

X. Et ſane quam tandem cumque veritatem inveniri contigerit, eane ſtatim ab iſtis in ora hominum, in vulgi ſermonem erit adducenda? Quo jure? qua lege? quo inſtituto noſtris id Criticis conceſſum erit atque permiſſum? Evaneſcente jampridem memoria, oblivione hominum, obliteratione monumentorum jacebant in tenebris quædam ſepulta ſic, ſperari ut poſſet, numquam fore, ut emergerent & publica luce donarentur. Quid? tu permagnum aliquid, qui tibi de una veritate laborandum eſſe putas, te præſtitiſſe arbitrabere, ſi ea non ſine gravi hominum offenſione & querela e tenebris in lucem proferenda, atque in vulgus efferenda curaveris? quæ damnare tenebris, ſi lucem aſpicerent; quæ ſilentio premere, ſi ore hominum jactarentur; oblivioni, ſi nota eſſent, mandare opporteret, ea tu neſcio quo e labitulo, ubi abſcondebantur, expromes? tu ſitum, quo obſita erant, abſterges? tu eorum evaneſcentem memoriam renovabis? tu evulgare? tu ſpargere? tu diſſeminare audebis? Et hoc ſtudium veritatis erit? hoc ſuſceptum veritatis patrocinium?

XI. At vera ſunt. Quis negat? quis contradicit? Vera quidem; ſed cum ingenti probro, ſed cum inſigni contumelia, ſed gravi cum invidia, ſed juſta cum hominum offenſione conjuncta. Nihilne intererit, inter hanc & illam veritatem, ut veritas omnis libere ſit atque indiſcriminatim evulganda? Velint iſti nolint, aliquod & ingens illud quidem interſit diſcrimen neceſſe eſt. Multa, quandiu occulta ſunt, tandiu magno ſtudio tegenda; ſi forte eruperint, quantum fieri poteſt excuſanda, extenuanda verbis; non, quod iſti faciunt, amplificanda; *ſcandala* denique, quæ plerunque ex eorundem evulgatione & jactatione conſequuntur, omnimodis antevertenda. Quo loco non poſſum non reprehendere morem illum, qui jam invaluit haſce, aut harum ſimiles controverſias cum populo communicandi. Nam quid attinet ea, quæ jactari inter eruditos ſine offenſione fortaſſe poſſent, ſiquidem latina lingua ſcriberentur, vernaculo ſermone efferre, quo de iis infimi opifices doceantur, & ipſæ etiam mulierculæ diſceptare poſſint; itaque peſſimo exemplo ad hujuſmodi diſputationum genus traductæ a lana & colu avocentur? Quæ eſt iſta ratio? quod conſilium? quis huic rei propoſitus finis? niſi more turbulento multa moliri, quibus propoſito aliquo bono, ſive potius ſpecie dumtaxat aliqua boni, certiſſima mala hominibus minime malis inferantur.

XII. Nam quid hic dicendum de quibuſdam nomi-

minatim opinionibus arbitrabimur ? quas ego quidem hominem probum ac ſapientem ajo & contendo vereri oportere. Sunt enim populares quædam piæ ac religioſæ perſuaſiones hominum animis altius infixæ, quæ tametſi ex errore vulgi interdum prognatæ ſint, dici tamen non poteſt, quantum inde boni, nullo admixto malo, & vel ipſo mali ſecluſo periculo, percipiatur; quas ſi ſuſtuleris, incredibiliter animi hominum præſertim imperitorum commoventur. Haſne etiam iſti corrigendas auferendaſque exiſtimabunt ? nullo propoſito bono, & certiſſimo conſequente damno, una impotenti atque effrænata incitati evulgandæ veritatis libidine. At rudis vulgi & imperitorum hominum, qui fere iſtiuſmodi rebus offenduntur, habenda ratio non eſt. Itane vero ? præ ſua cupiditate iſti nihil penſi ducent aliis offendiculo eſſe ? Sit rude vulgus; ſint homines imperiti. Quid inde ? Immo vero hac ipſa de cauſa ipſis indulgendum eſt etiam magis, nec culpa noſtra committendum, ut ullum in diſcrimen adducantur. At Critici agitur exiſtimatio. Agatur licet. Quid ? communi periculo ſuam mihi Criticus privatam tutabitur exiſtimationem ? Ego quidem parco ejus dignitati, parco cujuſque exiſtimationi; nemini vim affero; quominus his in rebus hoc aut illud credat, non impedio; ſed dico, parcendum etiam imperitis hominibus, parcendum rudi vulgo; commune periculum negligendum nullo modo, nec inferius cujuſ-

juſquam exiſtimatione ac dignitate eſſe exiſtimandum.

XIII. Erroribus igitur impune erit? impune ſit, per me licet; ſi ſint omnino innoxii, & quod non raro accidit, etiam ſalutares. Sunt enim errores quidam, qui non modo non imperitum hominem, ſed ne ſapientem quidem virum dedecent. Audiatur Tullianus ille Cato, qui, cum multa pro animorum immortalitate egregie diſſeruiſſet, illa ſubtexit; *Quod ſi in hoc erro, quod animos hominum immortales eſſe credam, lubenter erro, nec mihi hinc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo*. Hæc ille, & graviter & ſapienter. Non errabat ille quidem re ipſa, ſed quem opinioni ſuæ errorem ſubeſſe poſſe ſuſpicabatur, eum ipſum errorem ornare non dubitavit. Poteſt igitur aliquis error eſſe, cujus nos non pudeat, qui nos delectet, & ſine ulla credulitatis nota delectet. Errare poſſumus, ſed ſi error noſter in re aut per ſe utili, aut certe innoxia verſetur, non eſt, cur tantopere ab errandi periculo refugiamus, ut in hoc uno & dignitatem agi noſtram & exiſtimationem putemus.

XIV. Verum ne iſti me tanquam & oſorem veritatis, & errorum ac falſitatis patrocinatorem criminentur, volo ego etiam errores exſtirpari, volo profligari, tolli funditus volo; ſed eos præcipue ac vero ante omnes, & extirpari, & profligari, & tolli errores volo, qui certiſſimi errores ſunt, de quibus nulla poteſt eſſe controverſia, qui nos delectare non poſſunt, qui nullo

nullo modo nos decent, & quos Catholicus quiſque veram profeſſus Religionem odiſſe maxime debet atque abominari. Horum porro errorum parvane pullulat ubique ſylva? parumne creſcit quotidie magis ad Catholicæ Religionis perniciem, & ad interitum animorum ſempiternum? Proveniunt novi Philoſophi, qui ita appellari ſe volunt, non quia ſapientiam amant, ſed quia liberrimam opinandi licentiam ſibi propemodum conceſſam putant. Cuduntur nova ſyſtemata, non ea quidem ſive ad terræ motum converſionemque ſpectantia, ſive ad aliud ſimile quiddam, quod parum refert, quemadmodum conſtituatur, ſed ad ipſam labefactandam Religionem convellendamque pertinentia. Peſtiferi nunc tota Europa diſſeminantur libelli, quibus id agitur, non ut jam Catholica ſolum, ſed omnis omnino de medio Religio tollatur. Hi certe errores ſunt, & quidem maxime noxii & capitales, in quibus exſtirpandis iſtorum probari maxime deberet induſtria, & veritatis amor enitere, ſi re ipſa & veritatem amarent, & errores averſarentur.

XV. Nam quid magis verum, quam quod Catholico *dogmate* continetur? quid magis falſum, quam quod eidem adverſatur? Quis error reperietur? qui ſit cum his, qui Catholicæ veritati opponuntur, & exitiali indole, & damno, quod important, graviſſimo & maximo comparandus. Quid? Tu hos errores negliges? tu eos impune ſerpere? tu creſcere? tu diffundi in immenſum

ſum patieris ? nec tanto malo, quantum re ipſa pariunt, commovebere ? Interea vero mihi palabere ludibundus, & falſas quaſdam vulgi opiniones minime noxias, & nonnunquam, ut antea dixi, etiam ſalutares perſequèris ? Ita ne vero ? Illis prætermiſſis, quæ ſibi præcipuam boni Critici curam & diligentiam vindicare deberent, eo, quo minime neceſſe eſt, cura omnis atque diligentia detorquebitur ? Peſtifera lues invaleſcit, non moveris ; multi miſerabiliter pereunt, illorum jactura non afficeris ; damna graviſſima conſequuntur, his non tangeris ; Religio in diſcrimen adducitur, ſedes, diſſimulas, taces, non exſurgis, non inſtas, non inſequeris, non perſeveras ; & falſas tantum imperitæ multitudinis perſuaſiones conſectaris ? turbas excitas ? tricas ſeris ? Quid hoc eſt ? amorne veritatis ? ſtudiumne communis boni ac ſalutis ? Conſiliumne exſtirpandorum errorum ? An nova potius inventa & invecta ratio, qua veris & certiſſimis erroribus impune ſit, iidemque ad commune damnum atque perniciem liberius licentiuſque graſſentur.

XVI. Non ita profecto ſe ſe geſſerunt duo ſanctiſſimi ac ſapientiſſimi viri, & in arte Critica facile principes, qui, ut vere amabant veritatem, & non ſimulate errores oderant, ſic & illam defendendam, & hos exſtirpandos eſſe duxerunt ; nihil ut ſibi neque ſtudii, neque curæ, neque contentionis reliqui fecerint, quod totum hoc in negotio non impenderint. Errores, qui illis tem-

temporibus, quibus hi floruerunt, longe lateque cum ſumma Catholicæ Religionis pernicie, & maximo animorum damno diffundebantur, & ingenio, quo valebant, ſummo, & exquiſita, qua præſtabant, eruditione coarguendos refellendoſque ſuſceperunt. Diverſa quidem progreſſi ſunt via, ſed eodem cura omnis converſa laborque collatus, ut ſingulari ac manifeſtæ ſupremi numinis providentiæ tribuendum ſit, duos a Deo eodem tempore Eccleſiæ ſuæ datos atque oblatos viros, Robertum Bellarminum & Cæſarem Baronium, qui Catholicæ veritatis cauſam contra acerrimos adverſarios conjunctis viribus defenderent ac tutarentur, & vero etiam de ejuſdem hoſtibus inſignem triumphum reportarent.

XVII. Cur igitur iſti, qui ſe tantopere erroribus infenſos & veritatis ſtudioſos jactant, tantorum virorum præclara exempla non renovant? cur non eorum imitandam ſibi proponunt induſtriam, laborem, aſſiduitatem? cur ſtudium defendendæ veræ Religionis, certiſſimis & nocentiſſimis erroribus profligandis exſtirpandiſque non æmulantur? Nunquam certe major offerri iſtis opportunitas poterit, ſi hæc negligatur, quæ nunc ab hominibus non tam Religioni, quam ipſi humanitati infenſis atque inimicis offertur? Quanquam, quid eſt quod plura diſputem? Non, non inquam hoc ſtudium, mihi credite Florentini, non hic amor eſt veritatis; ſed impotens quædam atque immoderata opinandi cupido, quæ modum neſcit, quæ certis ſe circumſcribi limitibus non pa-

patitur, & effrenatæ cuidam licentiæ veritatis amorem improba ſimulatione prætendit.

XVIII. Sed noli agere cum iſtis, dicet fortaſſe quiſpiam, iſto modo. Remitte parumper de tanta ſeveritate. Si veritatem, quæ tandem cumque illa fuerit, reipſa ſibi inveſtigandam propoſuerint, illis impune ſit. Ita faciam. Non amplius quæram, propugnarintne veritatem, an oppugnarint; erexerint, an afflixerint; tutati ſint, an perdiderint; hæc aut illa veritas enunciandane ab ipſis fuerit, an ſilentio premenda; utrum ſimiliter certi errores exſtirpandi ſint, an illis prope impunitas concedenda, non inquiram. Hæc omnia iſtis largiar, & condonabo. Quid vero? ſi his etiam omnibus de mea accuſatione præciſis, doceo; quid? ſi planum facio, iſtos, cum id ſerio agere videntur, ut veritatem quærant, non re ipſa veritatem quærere, ſed ſimulatione veritatis eo rem omnem adducere conari, nihil ut amplius veri, nihil rati, nihil certi ſit? Eritne, cur adhuc quiſquam dubitet, iſtos non veritatem re ipſa quærere, ſed obtentu ac ſpecie veritatis illudendi occaſionem captare?

XIX. Egregiæ, ut cætera, Lactantius Divin. Inſtit. lib. VII. cap. VIII. *Dum iſti contradicendi ſtudio inſaniunt, dum ſua etiam falſa defendunt, aliorum etiam vera ſubvertunt, non tantum elapſa illis veritas eſt, quam ſe quærere ſimulabant, ſed ipſi eam potiſſimum ſuo vitio perdiderunt*. Sed tamen, ſi quemadmodum conſtituimus, veri-

veritatem aliquo modo quærerent,iis aliquo modo poſſet ignoſci. Verum ſic pro certo habetote; Iſtos obtentu veritatis, non veritatem quærere; ſed, ſi quid quærunt, evidentiam quærere, quæ cum nonniſi rariſſime & certis tantum in rebus haberi poſſit, veritatem minime quærere manifeſte convincuntur. Non quia evidentia veritas non ſit; ſed quia hujuſmodi eſt, ut, ſi eam unam in inquirendo conſectari velimus, de veritate ipſa, quandoquidem pleriſque in rebus evidentiam aſſequi non poſſumus, neceſſario deſperare cogamur. De rebus a noſtra memoria remotis perinde diſquiſitionem inſtituunt, ac ſi de recentibus ageretur. Perinde teſtimonia poſtulant, & teſtes flagitant, ac ſi viverent, aut excitari ab inferis & poſſent & deberent. At communis perſuaſio atque auctoritas rem docet atque evincit, ut prudenter de ea dubitari non poſſit. Nihil minus invicti ac pugnaces reſiſtunt; non moventur perſuaſione communi, non auctoritati acquieſcunt. Niſi res evidenter demonſtretur, placari nullo modo poſſunt ac perſuaderi. Una ab iſtis extorquet aſſenſum evidentia; huic uni dant manus; ab hac una vinci ſe ac convinci patiuntur. At his in rebus haberi evidentia non poteſt. Neque nos committere poſſumus, ut ſcientes ac volentes in errorem inducamur. At hic error non eſt, & prudenter res creditur; error ſortaſſe ſuberit, ſed ei non adſcribendus, qui prudenter ſe gerat, & *morali* quam dicunt *certitudini* acquieſcat. Optandam quis neget in omnibus evidentiam?

tiam? Sed quando ne in iis quidem rebus, in quibus maxime expetenda (*a*) eſſet, eam habere non poſſimus, quid eſt, quamobrem *moralem* ultra *certitudinem* votis noſtris progrediamur?

XX. Fateor ingenue, Florentini, quemadmodum in ſuperioribus actionibus impotens illa opinandi licentia me vehementer excruciavit; ita me nunc nimia iſta veritatis atque adeo evidentiæ cupiditas multo ſane vehementius angit

(*a*) Præclare omnino S. Auguſtinus in hanc ſententiam *de Utilitate credendi* ad Honoratum cap. 12. „ Quæro enim, ſi quod neſcitur credendum non eſt, quomodo ſerviant parentibus liberi, eoſque mutua pietate diligant, dum parentes ſuos eſſe non credant? Non enim ratione ullo pacto ſciri poteſt, ſed interpoſita matris auctoritate de patre creditur: de ipſa vero matre plerunque nec matri, ſed obſtetricibus, nutricibus, famulis. Nam cui furari filius poteſt, aliuſque ſupponi, nonne poteſt decepta decipere? Credimus tamen, & ſine ulla dubitatione credimus, quod ſciri non poſſe confitemur. Quis enim non videat, pietatem, niſi ita ſit, ſanctiſſimum generis humani vinculum ſuperbiſſimo ſcelere violari? Nam quis vel inſanus eum culpandum putet, qui eis officia debita impenderit, quos parentes eſſe crediderit, etiamſi non eſſent? Quis contra non exterminandum judicaverit, qui veros fortaſſe parentes minime dilexerit, dum ne falſos diligat metuit? Multa poſſunt afferri, quibus oſtendatur, nihil omnino humanæ ſocietatis incolume remanere, ſi nihil credere ſtatuerimus, quod non poſſumus tenere perceptum „. Hactenus Auguſtinus, qui de ſe ipſo narrat, cum ſe adoleſcens in diſciplinam quibuſdam Magiſtris tradidiſſet, qui „ apertum & ſincerum verum venditantes ineffabilia veritatis penetralia metiri ſe poſſe arbitrabantur „ in Manichæorum Hæreſim incidit. Facile enim, eodem affirmante, evenit, ut „ in hæc corporalia progreſſi ac prolapſi, nihil aliud putemus eſſe, quam quod iſtis quinque notiſſimis nunciis corporis ſentimus, quaſque ab his plagas atque imagines acceperimus, eas omnino, etiam cum conabimur recedere a ſenſibus, volvamus „.

angit atque conturbat. Quid enim tam verum, quam Fides Catholica? quid autem iſti vero tam inimicum, quam evidentia? Quid certius tenere debemus, quam quod nobis credendum Eccleſia proponit? quid autem minus auſu temerario inveſtigandum diſcutiendumque? Jam vero ſi nos immoderata iſta veri cupiditate abripi ſinemus, quo demum deduci poſſimus, & videre vos arbitror, & luctuoſa nimis, ac pervulgata ſatis multorum ſapientum eruditiſſimorumque virorum exempla declarant; qui hac ipſa via, quam inſtiterunt, ut ſpecie veritatis decepti evidentiam conſectarentur, ſibique res demonſtrari vellent, in certiſſimos errores prolapſi ſunt. Miſeri enim vero ac plane miſerandi, quod veritatem ſecuti, & multis in rebus conſecuti, in re autem majoris momenti, & quam unam maxime debebant expetere, contempta Eccleſiæ Catholicæ auctoritate, quæ ſola veritatis certiſſima Magiſtra eſt, non ſunt aſſecuti. Quæramus igitur veritatem, ſed eam conſilio, ratione, moderatione adhibita quæramus; & ea, quam citra periculum acquirere poſſumus, veritate contenti ſimus. Res, quæ diſcutienda proponitur, veritati modum faciat; nec ultra, quam res ipſa patitur, & certa quædam præſcriptio ſinit, progredi quærendo inveſtigandoque velimus.

XXI. Hæc ſunt, quæ de tota artis Criticæ ratione ex hoc loco dicenda exiſtimavi; nec dubito, quin quibus benevolis Auditoribus uſus ſum, iiſdem æquis Ju-

dicibus utar. Quid reſtat, niſi ut vos orem obteſterque, ut illorum coercere licentiam, & Religionis patrocinium, quæ hoc intemperantioris Criticæ genere ſummum in diſcrimen adducitur, mecum una ſuſcipere velitis. Obſervatum jampridem ab eruditis & ſollertibus viris fuit, eodem tempore & intemperans hoc Criticæ genus, & Hæreſes illas, quæ duobus ab hinc ſæculis omnem, non Eccleſiæ ſolum, ſed totius etiam Europæ ſtatum miſerandum in modum conturbarunt, eodem, inquam, tempore ad Religionis ac publicæ tranquillitatis exitium erupiſſe. Inſtitutum tunc primum examen acerrimum in Patres fuit, in traditiones, in ritus, in Eccleſiæ diſciplinam. Clamatum & vehementiſſime reclamatum a totius Antiquitatis judicio; appellatum ad Concilia, quorum auctoritas reſpuebatur. Jactatæ fuerunt illæ voces in vulgus ac latiſſime diſſeminatæ; Eccleſiam Chriſti ſponſam immaculatam contraxiſſe rugas, a priſtina forma ac venuſtate defeciſſe; eam proinde in amiſſi decoris ſpeciem reſtitui ac vindicari oportere. Omnia tunc inconditis hiſce vocibus referta ſunt; his fora, theatra, porticus, compita, domus, tabernæ ipſæ perſonabant. *Reformatio* non petita ſolum, ſed conviciis etiam efflagitata. Jam tantus tantarum rerum apparatus, tanta molitio, tot voces, clamores, vociferationes quorſum reciderint, ſcimus omnes, & quorſum illa ipſa tantopere efflagitata *reformatio* evaſerit, non ignoramus. Excitatum fuit incendium, quod totam pene corripuit Europam,
cu-

cujus nondum flammæ reſtinctæ ſunt, neque fortaſſe, niſi pro ſua bonitate errantium Fratrum, & a Catholica veritate diſſidentium tandem aliquando Deus miſereatur, in poſterum omnino reſtinguentur. Doluimus, & dolemus adhuc tot filios e Matris amantiſſimæ ſinu avulſos & miſerabiliter abſtractos, tot nobiliſſimas nationes a communione Catholica ſegregatas, tot florentiſſimas Eccleſias prorſus everſas, damna denique innumerabilia per luctuoſiſſimam tot regnorum ac provinciarum a Romana Fide defectionem importata lugubri lamentatione proſequimur.

XXII. Conferte nunc, ſi placet, priſca illa tempora cum noſtris, Non minus nunc, quam olim ad Criticæ tribunal citati Patres, Scriptores, Antiquitas tota. Omnia ad ſeveriſſimum examen revocantur; infinitæ diſquiſitiones inſtituuntur; ſuſpiciones de quaque re ac dubitationes ſine numero commoventur. Receditur facile a veterum ſententiis, & ad recentiorum placita non minus facile acceditur. Nova opinionum portenta proferuntur in lucem, & ea tanquam ſaniori Criticæ magis conformia & prædicantur & propugnantur. Nunc etiam, ſi unquam alias, in corruptos in mores vehementer declamatur, qui olim fortaſſe, quam nunc ſunt, corruptiores exſtiterunt. Charitas nunc maxime extollitur, & præclara de eadem præcepta traduntur; an vero præcepta cum factis concordent, vobis dijudicandum relinquo. Nunc ſæculum hoc noſtrum

nova luce illuſtratum jactatur, perinde quaſi præterita ſæcula in tenebris jacuiſſent; an vero tanta lux noſtro huic ſæculo re ipſa affulſerit, hoc quoque judicio veſtro conſtituendum permitto. Illud denique, quod conjici ex illo, quem jam deſcripſi rerum apparatu potuit, an conjici nunc etiam ex tanta intemperantia ſimiliter poſſit, ego vero non dicam, nec tantam comparari, quam Deus avertat, perniciem ominabor. Timorem mihi unice reſervabo, qui juſta de cauſa ſuſceptus ſalutaris eſt, qui inſtans malum avertit, quod improviſo ſi adſit, ſtatim opprimit, nec ullum conſilio fere ac remedio locum relinquit.

XXIII. At enim hoc eſt nimiam in invidiam artem criticam adducere, & tanquam præteritorum atque inſtantium malorum originem criminari. Ego vero artem criticam nec criminor, nec criminatus ſum, neque vero in invidiam adduxi; ſed pravum tantum atque immoderatum ejuſdem artis uſum reprehendi. Pravus autem artis uſus non ipſius artis vitium eſt, ſed eorum, qui arte per ſummam nequitiam abutuntur. Sola virtus eſt, ut recte affirmat Ariſtoteles, qua male uti nemo poteſt. Cæterum quod de arte critica dixi, commune eſt omnibus artibus ac facultatibus, quæ per ſe bonæ ſunt, & non culpa ſua, ſed ſuorum improbitate cultorum in invidiam perſæpe adducuntur. Neque vero ab hoc numero artem hanc ipſam meam, quam profiteor, excipio. Multa, eaque graviſſima incommoda per homi-

mi-

mines eloquentes rebus importata publicis quis neſcit? Illorum ipſorum bene multi, qui fatali illo paullo ante commemorato ſæculo ab Eccleſia Catholica deſciverunt, & peſſimam illam cauſam adjuvarunt, & doctos Rhetores, & diſertos Oratores, & egregios Poetas, & præſtantes Grammaticos fuiſſe confiteor; quod cum ingenue affirmo, non equidem puto, me arti meæ maledicere. Dico id, quod eſt, quod diſſimulari non poteſt. Nemo igitur me quaſi arti criticæ inimicum criminari meditetur, qui non artem criticam damnavi, ſed pravum tantum atque immoderatum ejuſdem artis uſum condemnavi. Dico tamen, inter hanc & alias liberales artes hoc intereſſe diſcriminis, ut majus ab hac, quam a reliquis, & certius periculum immineat. Lubrica enim per ſe eſt, & niſi ſumma moderatione quis utatur, ea facile abutetur. Pro natura atque indole ſua neſcio quos cultoribus ſuis ſpiritus inſinuat, quibus, niſi acriter obſiſtamus, facile abripimur, & de recto moderationis tramite deducimur. De reliquo Ars Critica bona eſt, utilis eſt, neceſſaria eſt; addo etiam ad majorem inſignioremque commendationem, ſalutaris eſt.

XXIV. Nec vero illud mihi vere objici poteſt; Me omnem dubitationem de medio ſuſtuliſſe, & ineptam quandam ac ſtolidam credulitatem invexiſſe; niſi forte quæ a me dicta ſunt perverſum in ſenſum detorqueantur. Non ego dubitationem omnem de medio ſuſtuli, neque ſtolidam credulitatem invexi, qui iſtos non eo

eo nomine redarguerim, quod omnia non credant, ſed quod pene nihil credant. Aliud eſt nihil credere, aliud nihil non credere. Fateor, in Hiſtoria præſertim, aliqua nonnunquam occurrere,quæ aut minus credibilia, aut aperte falſa, aut certe ſuſpicioſa ſunt. Si minus credibilia, repudientur, ſi aperte falſa, reijciantur, ſi ſuſpicioſa, examinentur. Nego, quodcunque a quo tandem cumque oblatum fuerit nullo diſcrimine arripiendum;nego,omnia omnibus vulgo eſſe credenda. Dico, explorandam eſſe Scriptorum fidem, excutiendam diligentiam, perpendendas rationes,nihil denique non ſumma cura ſtudioque ponderandum. Hoc diligentia ac ſagacitate conari, prudentia ac judicio conſequi, boni Critici munus eſſe dico. Verum nihil ferme eſſe, quod iſtis credibile videatur, nullum afferri poſſe teſtimonium, quod non infringant, nullam prope auctorem inveniri, cujus fidem non elevent, nullam tantam auctorum ipſorum reperiri conſenſionem, cui repugnare non audeant, dixi, & iterum dico,hoc omnino non eſſe ferendum; quod qui dicit, non omnem dubitationem de medio tollit, ſed certum in dubitando modum conſtituit. Dubitent iſti per me licet, ſed ſciant, neque ſemper dubitare ſapientes, neque ſolos dubitare. Dubitant etiam imperiti; ſed diverſo valde modo hi atque illi dubitant. Sapientes nonniſi juſta de cauſa atque probabili; contra ſtulti modo iniqua, modo levi, ſæpe nulla.

XXV. Quid vero? ſi iſti non ſolum aliqua de re du-

dubitare velint, ſed etiam de ea multo aliter, atque omnes exiſtimarint, ſentire? hocne iis per nos conceſſum erit atque permiſſum? Conceſſum quidem, ſi graviſſima aliqua ac manifeſta ratio contrarium ſuadeat atque adeo perſuadeat. Hæc autem ſi deſit, me auctore communem conſenſum nunquam non magni facient, neque facile ab eo recedent. Sin autem de vetuſta traditione aliqua, pia præſertim ac religioſa, aut de aliqua a pleriſque ſanctis Patribus recepta opinione agatur, tunc multo cautius procedendum eſſe affirmo, &, niſi ea vis adigat, cui obluctari non poſſimus, iis omnino adhærendum eſſe confirmo. Patres enim apud Catholicos eo jure ſunt, & eſſe debent, ut ſi fere omnes in unam aliquam ſententiam ierint, diſceſſione facta, exiſtimandus ſit omnis omnino ſublatus interceſſioni locus. Hæc ego dixi, & nihil amplius dixi, & de loco ſupere dixi, & palam dixi, & omnibus audientibus dixi. Hæc probare vobis conatus ſum, quæ æquiſſima mihi videntur, & quæ nemo, qui recto judicio utatur, jure improbare poſſit ac reprehendere.

XXVI. Quapropter ſi quis forte mihi reſpondere volet, cui certe ego nihil neque excuſandi, neque defendendi, neque refellendi cauſa, nec verbo; nec ſcripto reponam, præcidat illa, quæ ad rem non pertinent. Locos illos Rhetoricos generales atque communes, qui incircumſcripte tractari ſolent, ne adeat, quos mihi æque, atque illi, ex longo artis, quam

profiteor uſu, eſſe cognitos facile ſibi perſuadere poterit. Parcat dicere, me eam ſuſcepiſſe cauſam, quæ agi ſine invidia non poterat; exaggeraſſe calamitatem temporum; intemperantiam opinandi, Criticorum licentiam majorem, quam re ipſa ſit, dicendo effeciſſe. Abſtineat item ea colligere, quæ fortaſſe aut aſperius, aut vehementius, aut minus vere dicta videri poſſunt, ſi avulſa a reliquis, quæ fere dictorum ac ſententiarum aut aſperitatem mitigant, aut vim emolliunt, aut veritatem adſtruunt, proponantur. Multa, quæ quamque rem circumſtant adjuncta, rem ipſam vel excuſant, vel minuunt, vel augent, vel defendunt, a quibus ſi diſtractum quid ſit, juſte reprehenditur. Hæc aliaque hujuſmodi, quibus fere conflatur invidia, & imperitorum animi commoveri ſolent, amputet atque præcidat.

XXVII. Itaque ſi quid, quod ad infringendam accuſationem pertineat, dicere quis velit, hæc dicat. Me impudenter eſſe mentitum, qui hanc vel illam opinionem huic vel illi auctori, cujus apud eum ne veſtigium quidem ullum exſtet, affinxerim; hujuſmodi opinionum monſtra a me temere fuiſſe excogitata, & unice calumniandi cauſa conficta; nemini ne in mentem quidem veniſſe ita opinari, ut ego criminatus ſum; nunquam tantam temperantiam eſſe adhibitam in ferendo de rebus judicio, quanta nunc paſſim & vulgo ab omnibus Criticis adhibetur; nonnulla quidem in dubium fuiſſe adducta, ſed non levibus, ut a me objectum fuit, rationibus, non vanis fu-

futilibuſque indiciis, non inanibus conjecturis, ſed graviſſimis certiſſimiſque de cauſis; neglectam aliquando auctoritatem, ſed ita, ut fieri aliter invictiſſimis cogentibus argumentis non potuerit; de reliquo nunquam præſtitam ſanctis Patribus majorem, quam ætate hac noſtra, obſervantiam; nunquam conſentientibus eorum ſententiis minus refragatum; nunquam majus delatum venerandæ Antiquitati obſequium; nunquam majorem habitam Eccleſiæ judiciis reverentiam; nunquam minus adductam in diſcrimen Religionem; nunquam libellos minus exitiales tota Europa diſſeminatos; nunquam mores fuiſſe tam caſtos atque incorruptos; nunquam generatim atque univerſe pietatem impenſius cultam. Nullum ex opinandi licentia, ſiqua forte hoc tempore invaluerit, eſſe periculum, quod immineat; nullum damnum, quod inſtet; nihil metuendum rebus publicis, nihil privatis, nihil otio communi, nihil tranquillitati, nihil Eccleſiæ, nihil Catholicæ Religioni; nihil formidandum, cui occurri debeat; nihil triſte, quod præcavendum ſit, quod poſſit accidere; vanos eſſe timores meos, inanem formidinem; triſtia me eſſe ominatum, quorum ne minima quidem apparent initia; me hoſtem finxiſſe, quem ferirem, qui re ipſa nullus eſſet; paucis, me inaniter declamaſſe, vocem, ſpiritum, contentionem ſine cauſa profudiſſe. Hæc dicat; quæ ſi dicet, tenebitur; ſin alia dicet, ea, quæ a me dicta ſunt, non refutabit.

DE

DE RECTO

ARTIS CRITICÆ

USU

AD FLORENTINOS.

Oratio Singularis.

ENAVIGAVIMUS tandem aliquando, Florentini, atque e vadis utcunque emerſit, & ſcopulos prætervecta eſt Oratio. Nunc reliquus mihi curſus multo facilior atque expeditior oſtenditur, quem Deo adjuvante conficiam, ſi pauca quædam de eo, quod tertium in partitione poſui, dicam, & quam breviſſime potero, explicavero. Dicturus igitur de recto Artis Criticæ uſu non hic ego ſingula hujus artis præcepta exponenda ſuſcipiam, quod nimis longum eſſet, & fortaſſe ſupervacaneum; ſed ita mihi met moderabor, ut

ut & brevitati ſtudeam, & nihil eorum, quæ hoc in argumento præcipue videntur eſſe animadvertenda, prætermittam. Quare, ſingularibus artis criticæ præceptis de oratione mea præciſis, rem ab ipſo capite ac fonte arceſſam, unde & quid rectus artis criticæ uſus poſtulet, patebit, & ſimul oſtendetur, quid ejuſdem artis cultores ſpectare maxime debeant, ut eum finem, qui a ſapientiſſimis viris nobiliſſimæ atque utiliſſimæ arti conſtitutus eſt, ulla ſine offenſione conſequantur. Ita fiet, ut & ego compendia quærens citius, quo contendo, perveniam, & Criticus, quid ſequi, quid cavere debeat, certius uno prope obtutu atque exploratius intueatur. Utar etiam quietiore ſtylo, tum quia vehementiorem, quo hactenus uſus ſum, res ipſa non flagitat; tum etiam ut, ſi quid in hoc genere forte peccatum a me fuerit, hoc pacto, ſi quo modo poſſim, corrigam atque emendem. Quanquam peccati hujus culpam, ſi culpa hæc dicenda eſt, materies ipſa ſuſtinet, quæ ſine concitatione animi tractari non poterat; nec vero non eandem tum & voluntas juvandi alios in re graviſſima maximique momenti, tum etiam ſtudium defendendæ præſertim Catholicæ Religionis probabiliter excuſat. Non igitur hic amplius vos conqueſtionibus querimoniiſque fatigabo. Satis jam dolori meo parui; ſatis ægritudini obſecutus ſum; ſatis, quæ volebam, ex intimo & ſincero animi mei ſenſu deprompta vobiſcum communicavi. Neque vero amplius in refellendis Ad-

ver-

verſariis, in eorumque caſtiganda licentia immorabor. Omnia quieto, pacato, ac tranquillo animo agentur. Revertar ad ingenium meum, quod ab omni aſperitate, quemadmodum a principio ſignificavi, abhorret, & non niſi coactum ad vim, ad contentionem, ad ſimultates adducitur. Vos attendite diligenter, Florentini, & me contento curſu ad exitum properantem benevolentia veſtra atque humanitate, qua ſemper me proſecuti eſtis, poſtremo hac etiam vice proſequimini.

II. Artem Criticam utilem eſſe ac neceſſariam ii ſoli negare poſſunt, qui, quid ea ſit, ignorant. Hæc ars nunquam non multum valuit; hæc in omni diſciplinarum ac facultatum genere præcipue dominata eſt; ſemperque, quoad bonæ artes excolentur atque vigebunt, dominabitur. Hac arte ſapientiſſimi quique viri plurimum uſi ſunt, eamque ſtudiorum ſuorum comitem atque adjutricem eſſe voluerunt, quippe qui probe intelligerent nihil ſine ea laude dignum vel conari ſe vel efficere poſſe. Quare qui artem criticam de medio tolleret, perinde faceret, ac ſi erranti in tenebris facem eriperet, aut in difficili ſcopuloſoque mari deprehenſo nauticum clavum ſubduceret, quibus præſidiis ambo deſtituti, nec tutum ille tenere iter poſſet, nec iſte declinare a ſcopulis, & feliciter enavigare. Quid enim ars critica eſt, niſi, ut eam jam inde ab initio definivimus, rectum de quaque re certumque judicium, quo qui ſapienter uſi ſunt, non ſolum vera a falſis ſecernere,

nere, ſed ea etiam, quæ in quaque re optima ſunt, diſtinguere atque eligere potuerunt. Quapropter ego quidem arbitror rectum hoc, de quo dico, judicium partem quandam eſſe prudentiæ, quæ ſicuti virtutes omnes temperat atque dirigit, ita illud omnia recta ſtudia gubernat ac moderatur. Quanquam hoc judicium non tam partem prudentiæ, quam ipſam reor eſſe prudentiam; quod quidem, ſi ad rerum gerendarum rationem referatur, proprio prudentiæ nomine appelletur; ſi vero ad ſtudia noſtra moderanda dirigatur non prudentiæ, ſed artis criticæ vocabulo indicetur. His de cauſis ars critica non recens quoddam inventum habenda eſt, ſed longe antiquiſſima exiſtimanda, & una cum ipſis liberalibus artibus nata atque adulta, & ad ſummum etiam culmen a veteribus illis ingenioſiſſimis viris doctiſſimiſque provecta.

III. Et ſane quotieſcumque præclara Veterum opera in manus ſumo, in eaque mentis obtutum intentius defigo, facere non poſſum, quin ſummam illis in arte critica præſtantiam deferam atque concedam. Quis enim, exempli cauſa, Homeri libros cum legit, non admiratur tanti viri acerrimum in rebus omnibus ſubtiliſſimumque judicium. Quod ſi Homeri libri, ut litterarum monumentis proditum eſt, neſcio cujus miniſterio indiguerunt, qui eos antea confuſos ita, ut nunc habemus, digereret atque diſponeret, unum de duobus neceſſario debet affirmari, aut Homero artem criticam de-

defuiſſe, quod minime in tantam ſapientiam cadere poſſe exiſtimo, aut ipſius libros, quod ego veritati magis puto conſentaneum, in manus inepti alicujus veniſſe, qui, artis criticæ præſidio deſtitutus, eximium illud opus perverteret, & præpoſtera librorum diſpoſitione confunderet. Quid vero alter ille ab Homero diverſo in doctrinæ genere laudatiſſimus, & totius Græciæ judicio ſapientiſſimus habitus Plato? Nonne qui Socraticos ejus libros legit, omnia non ſolum plena ſapientiæ, ſed etiam judicii, conſilii, prudentiæ referta offendit? Quam leniter in diſputationem delabitur! ut in eam non irruiſſe, ſed incurriſſe videatur; quam ſollerter captat principia, ut non quæſita, ſed ſponte oblata appareant. Quid? cum inducto ſermone, & re, de qua agendum eſt, conſtituta, ſenſim, & per quoſdam veluti gradus eo, quo intendit, quam molliſſime devenit, ac demum, quod docendum erat, quam planiſſime demonſtrat. Hæc porro non ſolum ſine maximo ingenio, ſed etiam ſine hac ipſa arte, de qua loquimur, effici profecto ac perfici non potuerunt.

IV Nam quid de Latinorum Oratorum principe dicam? viro tam ingenioſo, tam acuto, tam acri, tam eloquenti. An eum artem criticam cum in omnibus ſtudiis ſuis, tum in illa ipſa arte, in qua maxime excellit, defeciſſe exiſtimabimus? Itaque quod blande in Judicum animos illabitur, quod eos omni, qua vult, ratione tractat ac flectit, judicium eſt; quod ex omni par-

parte cauſæ tectus ac ſeptus adverſariorum impetum ſuſtinet, conatus eludit, judicium eſt; quod eos, ubi res poſcit, minaciter terret, ferociter inſectatur, invicte repellit, judicium eſt. Cum vero firmiſſimis præſidiis, cauſam communit ſuam, cum in cauſa hæret, nec ſe loco, quem omnium tutiſſimum inſedit, dimoveri patitur, judicio profecto utitur; quod quidem ſi ei detraxeris, continuo laudem omnem, & illam ipſam oratoriam, qua unus omnibus maxime præcelluit, ademeris; ſi vero judicium dederis, neceſſario etiam ſummam artis criticæ ſcientiam conceſſeris. Quæ quidem ſcientia in primis concedenda eſt ſapientiſſimis illis ſanctiſſimiſque Eccleſiæ Patribus; neque enim ſine arte critica tot præclara ingenii & doctrinæ monumenta reliquiſſent. Teneamus igitur, artem criticam, uti omnibus rectiſſimis ſtudiis maxime neceſſariam, ita ab omnibus doctiſſimis, quos Antiquitas ſuſpexit, viris fuiſſe ſemper adhibitam. Hæc iis tanquam veritatis arbitra, & rerum omnium certiſſima diſceptatrix ſemper aſſedit, ſemper affuit, eos nunquam deſtituit; omnia eorum optima ſtudia nunquam non rexit ac temperavit.

V. Non defuerunt quidem ætate hac noſtra, qui novam veluti quandam artem criticam coagmentandam ſuſceperunt, qua docemur vera a falſis, in Hiſtoria præſertim, diſtinguere, & ad Hiſtoriam ipſam ſine offenſione perluſtrandam erudimur. Quorum ego, etſi

ſi alios juvandi ſtudium ſummopere laudo; conſilium tamen ſatis non aſſequor. Nam vera a falſis diſtinguere multo ante ipſos a Dialectica Antiquitas tota edocta fuit. Quod vero ad Hiſtoriæ cognitionem ſpectat, hoc quoque multo ante ab Hiſtoriæ ipſius conditoribus probe cognitum fuiſſe affirmare cogimur, & ſollerter animadverſum. Etenim ſi veteres illi rerum geſtarum Scriptores iſta ipſa ſcientia, quam novam iſti volunt, caruiſſent, ea profecto mandare litteris, quæ poſteritas tota, ſi quædam excipias, vera haberet, non potuiſſent. Fac illos penitus hac, de qua dicimus, arte deſtitutos non expendiſſe, quæ ſcriberent, rumores vulgi in condendis annalibus fuiſſe conſectatos, quæ tandem in iis reſidere poſſet auctoritas? qua ſublata nihil certi in tota antiquitate reperiretur; nos vero in ſumma rerum omnium ignoratione verſaremur. Non negarim tamen, aliquid habens aliquam rationem utilitatis iſtos præſtitiſſe, qui in hac adornanda recenti, quam vocant, arte eo uſi ſunt artificio, ut, quæ a veteribus obſervata jam pridem fuerant, ſparſa ac diſſipata colligerent, ordine diſponerent, atque iiſdem novum quaſi lumen afflarent. Qua in re laudanda cum iis convenio; ab iiſdem autem in eo diſſentio, quod multo vetuſtiſſimam artem recentem velint, quippe quæ ita antiquis fuit cognita, ut vel pueri ipſi Romæ *naſum*, uti ſalſus Poeta non inſulſe ſcriptum reliquit, *Rhinocerontis haberent*,

rent, quo non ſagaciter ſolum obvia quæque ac proxima odorarentur, ſed quam longiſſime etiam poſita atque abdita aſſequerentur.

VI. Demonſtrata artis criticæ & neceſſitate & vetuſtate, de recto ipſius uſu nonnulla perſtringam, & qua potiſſimum ratione illum obtinere poſsimus, breviter indicabo. Ac mihi quidem ante omnia videtur animis curam eſſe adhibendam, qua adhibita ſanitas illa mentis conſequatur, ſine qua rectus hujus artis uſus omnino eſt deſperandus. Sunt in primis quidam ita animo comparati, ut Scepticorum more, nihil credant, nihil verum habeant, de omnibus ambigant, omnia in dubium revocent. Jam, ſi qui hujuſmodi ſunt ſive natura, ſive conſilio, ſive, quod verius puto, pravæ vitio voluntatis, quid ego dicam? Nemo non videt hos homines ab hac arte omnino repellendos, atque ad Pyrrhonem illum ſuum amandandos, quem nacti ſunt ducem ac magiſtrum, qui a Gymnoſophiſtis & Magis edoctus peſsimum invexit Philoſophiæ genus. Ego quidem non agerem cum iſtis hoc modo, ſiquidem illi, quo laborant, morbo aliqua adhiberi medicina poſſet. Sed quod tandem tam efficax helleborum ab Anticyra peti poterit, unde remedium cerebris tam male affectis ſufficiatur? Peſtifera hæc opinionis lues, nihil nimirum eſſe certum, veritatem exploratam haberi nullam poſſe, peſtifera, inquam, hæc lues ubi animum corripuit, ita omnem

fere rationem inficit atque corrumpit, ut nullus fere ſit remedio locus. Quare iſtiuſmodi homines relinquamus, nec ad artem criticam accedere patiamur, ad quam ſi ſemel acceſſerint, ea certe peſſimum in modum abutentur.

VII. Scepticos conſequuntur Academici, (a) qui ingenio quidem tam pravo non ſunt, ſed hi quoque eo ferme morbo implicantur, quo Sceptici. Nihil eſt enim, de quo in utramque partem nolint diſputare, nulla non in re aſſenſum ſuſtinent, nihil negant, nihil affirmant. Hos autem homines ſi ad noſtram artem admiſerimus, quid tandem fiet? Cui enim animo inſedit, in eo ſolum ingenii vires contendere, ut quidquid in quaque re minus verum objicitur, inquirat, is arte hac noſtra, quæ veri diſceptatrix eſt, quæ propoſitis in utramque partem rationibus ſingula attente conſiderat, non minus ſane, quam Scepticus, abutetur. Nulla enim res eſt, ſi illa excipias,

(a) Cic. lib. 3. de Orat. „ Arceſilas primum, qui Polemonem audierat, ex variis Platonis libris, „ ſermonibuſque Socraticis hoc maxime arripuit, nihil eſſe certi, „ quod aut ſenſibus, aut animo percipi poſſit „. Idem lib. 2. cap. 29. Quæſt. Acad. „ Academici nihil affirmant, & quaſi deſperata cognitione certi id ſequi volunt, quodcumque veriſimile videatur.

Idem lib. eod. „ Cum jam graviſſimæ Philoſophorum diſciplinæ „ conſtitiſſent, tum exortus eſt, „ ut in optima Republica Tiberius „ Graccus, qui otium perturbaret, „ ſic Arceſilas, qui conſtitutam Philoſophiam everteret, & in eorum „ auctoritate deliteſceret, qui negaſſent quicquam ſciri aut percipi „ poſſe „.

pias, quæ prima a Philoſophis principia idcirco dicuntur, quod per ſe nota ſunt, & lumine ipſo naturæ illuſtria, nulla, inquam, res eſt, cui nihil objici, nihil poſſit opponi. Omnia fere hujuſmodi ſunt, quæ uti antica conſpici, ita etiam poſtica, ut ita dicam, ſpectari parte poſſunt. Multæ in quaque re occurrunt difficultates, multa ſe offerunt, quæ aſſenſum cohibeant, multa prima ſpecie atque obtentu falſa opponuntur. Jam qui in hæc ſola ingenii aciem dirigat, quomodo veritatem, quod unum ars critica propoſitum habet, explicabit? Huc accedit, quod quæ videntur obſtare veritati gravius interdum animum feriunt, quam eundem ipſa percellat veritas; quod animadvertere licet in iis, qui ſatis ingenioſi & acuti ad aliquid objiciendum, iidem in objecti refutatione percipienda tardi atque hebetes reperiuntur. Ego quidem non impedio, quo minus in utramque partem argumenta proferantur, & vero etiam inveſtigentur; ſed eatenus, quatenus eorum inveſtigatio ſerviat veritati; ſi ſecus fiat, jam non veritas inquiritur, ſed calumniandi occaſio captatur. Quare qui cum Academicis nihil exploratum habent, qui in omnibus aſſenſum cohibent, & ſententiam interponere negant ſuam, non dubium, quin hi quoque ab arte noſtra repellendi ſint, & procul amandandi.

VIII. Succedunt his litigioſi, quos Cynicos libet appellare, qui ad id ſolum, ut lites ac jurgia ferant,

facti, ac prope nati eſſe videantur. Atque hi quidem nihil de recto artis criticæ uſu ſolliciti id unum habent propoſitum, ut omnia turbulentis ſeditionibus permiſceant atque perturbent. Hoſne ego homines ad hanc artem admittam, quibuſcum quiete ac pacate ne vivere quidem licet? Nam quæ ſocietas? qui uſus? multo autem minus quæ familiaritas cum eo eſſe poteſt; qui omnia mea dicta excipiat, carpat, reprehendat; latret, mordeat; quicum perpetuæ lites, rixæ, contentiones; nulla pax, nullum fœdus, induciæ nullæ. Si quis hujuſmodi ingenium a natura ſortitus eſt, longe abeat, recedat procul, vitam fugæ ſolitudinique mandet, ubi ſecum ipſe litiget atque contendat, quandoquidem litibus adeo contentionibuſque delectatur. Sic agitur cum iſtis, & jure agitur, quibus ea juſtiſſima pœna irrogatur, ut vitam deſerti ab omnibus atque ab humano conſortio ſegregati in ſumma ægritudine ducant, qui omnium vitam infeſtam reddunt atque odioſam. Hos igitur homines publicæ quietis ac tranquillitatis inimicos, qui merito ſuo ab hominum conſuetudine removentur, quomodo ego ad hanc artem poſſim admittere? quomodo accedere patiar? quæ cum per ſe litium ferax ſit & contentionum, iſtis accedentibus eo negotium evadet, ut non jam rationibus res & argumentis, ſed vi manuque geratur. Iſtis iterum edico, abeant procul, recedant; diſcant prius emen-

emendare naturam, corrigere ingenium, & tum demum de arte critica cogitare incipiant, ad eamque aſpirare meditentur.

IX. Litigioſos cerebroſi excipiunt ac pervicaces, qui quam ſemel malam animo arripuerunt opinionem, nullo modo adduci poſſunt, ſibi ut illam eripi ſinant. Fruſtra eos rationibus aggrediaris, fruſtra argumentis oppugnes, fruſtra de loco, quem inſederunt, coneris depellere; fixi, immobiles in ſententia perſtant, & conatus omnes tuos una, qua ſola pollent, obſtinatione eludunt. Hos ego etiam homines a Criticorum numero excludo, atque mulierculis adcenſeo, quæ, ut inopes conſilii ac ſapientiæ, quo minus perſpicaces in cognoſcendo, ita fere pervicaciores in retinendo ſunt, quod ſemel arripuerunt. Objicitur his famæ & exiſtimationis jactura, nec non inconſtantiæ nota, quarum unam ſubire ſe arbitrantur, in alteram incurrere conſilii mutatione formidant. Male id quidem iis objicitur, & non minus ab his perverſe ſentitur. Nam quid eſt, quod tantopere a mutanda ſententia refugere debeamus? Errare hominis eſt, corrigere errorem ſapientis. Neque vero a ſapiente abhorret mutare conſilium, quod ſapienter fit, quotieſcumque gravis id ratio poſtulat; neque tamen, cum juſta de cauſa id fiat, exiſtimatio amittitur, neque quidquam de propria dignitate deperditur. Suam iſti per me licet curent exiſtimationem, quam ita caram habent, ut ve-

ritati ac rationi anteponendam ducant; eos ego non interpellabo; facile patiar, ſentire, quod cupiunt, dummodo ſe Criticorum quæſtionibus non immiſceant, qui niſi dociles ſint, niſi ſe rationibus perſuaderi ſinant, niſi ea libertate utantur, ut ad mutandam ſententiam parati ſint, nullus ejus, quam profitentur, artis utilis uſus eſt, neque vero eſſe poteſt.

X. Reliqui ſunt ii, qui veritatis nimium ſtudioſi ſunt & qui fortaſſe prioribus, quos hactenus enumeravimus, aliquo modo pernicioſiores exiſtimari poſſunt. Sunt enim quædam vitia aperta ac manifeſta, a quibus natura ipſa refugimus; ſunt vero alia tecta ac latentia, in quæ facile, niſi caveamus, incurrimus, & quæ obtentu virtutis & ſpecie recti certius nos fallunt atque decipiunt. Rectus artis criticæ uſus videtur poſtulare, ut veritatem unam Criticus propoſitam habeat, in hanc unam ingenium, ſtudium, diligentiam, operam omnem contentionemque dirigat. Ad hoc enim potiſſimum hominibus ingenium a Deo Opt. Max. datum eſt, & acerrima illa cogitandi commentandique facultas impertita, ut ad veritatem inveſtigandam cogitationes ipſi noſtras commentationeſque conferamus (*a*). Hos ego homines ab arte critica, neque remo-

veo

(*a*) M. Tullius Cicero Offic. lib. I. „ Omnes, *inquit*, trahimur, & du- „ cimur ad cognitionis, & ſapientiæ „ cupiditatem, in qua excellere pul- „ crum putamus, labi autem, erra- „ re, neſcire, decipi, & malum & „ turpe ducimus. In hoc genere . . . „ duo vitia vitanda ſunt. Unum, „ ne

veo, neque vero removi unquam. Quid ergo eſt vitii, quod in iis reprehendo? Dixi jam ſuperiore actione, & dicam iterum. Memoriæ proditum eſt, Scipionem Africanum, Cenſor cum eſſet, Centurionem neſcio quem, qui in Paulli pugna non adfuerat, ſed in caſtris ſubſederat ad eum finem (ſic enim cauſabatur) ut caſtra ipſa cuſtodiret, nihilo tamen minus & tribu moviſſe, & illis verbis notandum cenſuiſſe; *Non amo nimium diligentes*; ſimiliter ego nimium veritatis cupidos neque amo neque probo.

XI. Nam quid tandem nimia iſta atque impotens veritatis aviditas pariet? niſi quod venaticis canibus uſuvenire ſolet, qui quo acriores in perſequendo ſunt, minuſque propterea venatoris dicto audientes, eo facilius prædam de ore amittunt, atque inanes poſt longam incitatiſſimi curſus defatigationem revertuntur. Videas iſtos venaticorum more canum hac illhac ſine modo diſcurrere, ſeu potius furere, perinde quaſi illos œſtrum pupugerit. Interea prætervolat in hac tanta trepidatione veritas, & quam ob oculos interdum habent, eandem non raro incogitantes feſtinanteſque prætereunt. Nimirum hoc impotens illa

 cu-

„ ne incognita pro cognitis habeamus, hiſce temere aſſentiamus... „ Alterum eſt vitium, quod quidam „ nimis magnum ſtudium, multamque operam in res obſcuras, atque „ difficiles conferunt, eaſdemque non „ neceſſarias; quibus vitiis declinatis, „ quod in rebus honeſtis, & cognitione dignis operæ, curæque ponetur, id jure laudabitur.

cupiditas efficit, cui ſe totos agendos aſportandoſque permiſerunt. Adſit veri inveniendi ſtudium, ſed moderatione temperetur; ne nimium ſit, ne impotens, ne effrænatum; rationi locum det, eique pareat. Nulla in veritatis indagatione omittatur diligentia, ſed modus adhibeatur. Obſerventur omnia attente, ſiquæ apparent veritatis notæ, acutius inſpiciantur, ſi nullæ ſe produnt, ſollertius inveſtigentur, veſtigia denique ipſa veritatis fere leviter impreſſa, & ſæpe vix ac ne vix quidem adumbrata eo uſque perſequamur, donec, quo intendimus, perveniamus. Hac præſcriptione adhibita veritas non elabetur, emerget ſiqua eſt, & quæſita invenietur.

XII. Sed non fortaſſe magis rectum artis criticæ uſum impotens veritatis ſtudium pervertit, quam evidentiæ cupiditas, de qua etiam aliquid poſtrema actione diximus. Triplex evidentiæ genus diſtinguunt Philoſophi ſatis notum & pervulgatum; nobis tertium, quod *moralem* evidentiam appellant, relinquunt, cui quidem error ſubeſſe omnino poteſt, cum una fere probabilitate contineatur; ſed hac ipſa probabilitate contentus eſſe Criticus debet, ſi aliquid in arte ſua aſſequi vult. Si vero ad primum aut alterum evidentiæ genus evadere contendet, eo tendet, quo pervenire non poteſt. Neque vero movere nos illa cogitatio debet, quod tertio illi relicto nobis evidentiæ generi falſitas ſubeſſe poſſit, quandoquidem ne ſecundum quidem genus, quan-

quanquam dignitate præſtet, ab eadem prorſus vacuum eſt atque immune. Minime me nunc, ut hoc exempli loco ponam, ſomniare certo ſcio, neque a vobis ſomniantibus, qui mihi tam benevolas atque attentas aures præbetis, audiri. Hæc tamen certa cognitio tam evidens non eſt, ut ei falſitas admiſceri omnino nequeat; nihil enim tam manifeſte repugnans oſtenditur, ut non aliter, atque ego & vos ſentimus, eſſe poſſit; hoc tamen neque me, neque vos ſollicitat; quod ſi ſecus eſſet, ut ego jure riderer a vobis, ſic vos a me æquo jure ſtultitiæ dementiæque condemnaremini. Jam vero ſi falſitate, quæ ſubeſſe alteri evidentiæ generi poteſt, angi nos nequaquam decet, quanto minus de tertio propter eandem cauſam laborandum erit. Unde etiam illud efficitur, quam præpoſtera ea ratio ſit, ut, quod in rebus ſenſibus ipſis obnoxiis evidentiæ genus aſſequi Phyſicus non poteſt, hoc Criticus in rebus arti ſuæ ſubjectis aſſequi ſe poſſe confidat.

XIII. Hactenus nominatim de quibuſdam hominum generibus, non ſolum non idoneis, qui ad hanc artem admittantur; ſed etiam hujuſmodi, ut ab eadem omnino repellendi exiſtimentur. Hoc autem ſi fiat, minuetur quidem numerus Criticorum; ſed optimæ arti remotis minus idoneis atque exitialibus conſultius ſalubriuſque providebitur. Nunc vero quid præterea dicam, de tot pravis animi permotionibus, quibus obſidemur, & rectus artis criticæ uſus maxime pervertitur. Di-

ſtor-

ſtorti nimirum atque abnormes cum ſimus, nihil facilius,quam ut ſi res a nobis metiri, & noſtram ad normam exigere voluerimus, res ipſas fœdum in modum diſtorqueamus, ſæpe enim nos de judicio conſilioque deducit, aut ira, aut odium, aut indignatio, aut invidia, aut ambitio, aut partium ſtudium, aut cæteræ peſtes, quibus non minus animus noſter inficitur, quam rectus artis criticæ uſus corrumpitur.

XIV. Hic vero, *Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum, Omnia morborum percurrere nomina poſſim*, quibus humanus animus obnoxius eſt;qui quidem morbi ipſos corporis morbos, quos prope innumerabiles eſſe volunt, non ſolum numero exæquant, ſed etiam fortaſſe ſuperant; hoc certe capitaliores ſunt, quod gravius ab his, quam ab illis periculum imminet, niſi opportuna ac præſens medicina adhibeatur. Quare quo citius me ab his expediam, Criticum noſtrum Ethicis in diſciplinam dabo. Hoc Ethici curabunt, quibus illud oneris incumbit, ut male affectis humani animi partibus ſubveniant, laborantibuſque ſuccurrant. Illorum munus eſt ſingulos animi morbos recenſere, diſtinguere, definire; ſuam ſingulis medicinam morbis adhibere; ulcera animi, quæ plurima intus latent, detegere, incidere, funditus amputare, &, quoad ejus fieri poteſt, animum ipſum integræ ſanitati valetudinique reſtituere. His igitur ego Criticum noſtrum tradam; hos audiat præceptores, his pareat, his ſe, quibus laborat, mor-

bis

bis curandum permittat; & tum demum cum vitiis omnibus bene perpurgatus fuerit ad noſtram artem accedat.

XV. Reſtaret nunc ut iis hominibus remotis ab arte noſtra, qui non ſolum exitiales, ſed etiam minus idonei viſi ſunt, & præterea Critico noſtro a pravis animi permotionibus, quæ rectum artis criticæ uſum pervertunt, ſatis expedito, ſuis etiam Criticum ipſum inſtruendum virtutibus ornandumque ſuſciperem. Verum non eſt, cur hac de re magnopere laboremus. Noxiis exſtirpatis herbis, quæ bonam ſementem ſuffocant, ſatio quoque proſpere ſuccedit atque ex ſententia. Facile, ut in ſolo bene ſubacto ac mollito ſe fruges efferunt; ita in animo bene comparato non minus facile virtutes feliciterque proveniunt. Sed tamen ne hæc inſtitutionis noſtræ pars omnino a me præterita fuiſse videatur, non ego quidem ſic ad illam tractandam aggrediar, ut hujus, quam dixi, prudentiæ partes ac virtutes diſtinguam, & ſingulas ſingulis actibus accommodem. Nam prudentia, cum per omnes hominum actiones vagetur ac ſerpat, & uſu fere atque obſervatione diſcatur, ſi ingenium nacta ſit ad recta quæque ac rationi conſentanea comparatum, facile acquiritur; qua acquiſita per ſe ſine tot præceptionibus actionum ipſarum temperatio quædam æquabilitaſque conſequitur; ſed tamen ne hæc pars omnino præterita a me ſit, eam paucis expediam, atque omnia uno vocabulo comprehendam.

Ita.

XVI. Itaque in conſtituendo ornandoque optimo Critico ſic me geram, quemadmodum in optimo Oratore perficiendo ſe vir ſapientiſſimus & Orator (a) ipſe eloquentiſſimus geſſit. Tulit quondam mos in Romana Republica, ut in ea Orator plurimum poſſet, ac pene omnia unius Oratoris verterentur arbitrio. Hac de cauſa vir hic, de quo dico, ſapientiſſimus non vulgo omnibus tantum munus, in quo vita civium, ſalus, fortunæ, imperii majeſtas, Reip. ſumma agebantur, committendum putavit. Multa per eloquentes homines importata civitatibus detrimenta meminerat, qui quam florentiſſimam a majoribus Rempublicam ac-

(a) M. Tull. Cic. de Orat. lib.2. n.20. „ Quare ego tibi Oratorem ſic jam inſtituam, ſi potuero, ut quid efficere poſſit ante perſpiciam. Sit enim mihi tinctus litteris; audierit aliquid, legerit, iſta ipſa præcepta acceperit; tentabo quid deceat, quid voce, quid viribus, quid ſpiritu, quid lingua efficere poſſit. Si intelligam, poſſe ad ſummos pervenire, non ſolum hortabor, ut elaboret, ſed etiam, ſi *vir quoque mihi bonus videbitur*, obſecrabo; tantum ego in excellente Oratore, & eodem viro bono, pono eſſe ornamenti univerſæ civitati. Sin videbitur, cum omnia ſumma fecerit, tamen ad mediocres oratores eſſe venturus; permittam ipſi, quid velit; moleſtus magnopere non ero. Sin plane abhorrebit, & erit abſurdus; ut ſe contineat, aut ad aliud ſtudium transferat admonebo. Nam neque is, qui optime poteſt, deſerendus ullo modo eſt a cohortatione noſtra; neque is, qui aliquid poteſt, deterrendus; quod alterum, divinitatis mihi cujuſdam videtur; alterum, vel non facere quod non optime poſſis, vel facere quod non peſſime facias, humanitatis; tertium vero illud, clamare contra quam deceat, & quam poſſis, hominis eſt, ut tu, Catule, de quodam declamatore dixiſti, ſtultitiæ ſuæ quamplurimos teſtes domeſtico præconio colligentis „.

acceperant, eam eloquentia aut perdiderunt, aut certe ſummum in diſcrimen adduxerunt. Volebat ille quidem ejus, quam profitebatur, artis peritum eſſe Oratorem; eum præterea requirebat, qui ſapiens, doctus, eruditus, copioſus, diſertus eſſet; ſed quo tutius tantis rebus ſine periculo præficeretur, volebat virum eſſe *bonum*, hoc eſt probum, quo uno verbo reliquas animi virtutes, quæ in Oratore eminere maxime debebant, complecti ſibi viſus eſt: Tantum momenti in una bonitate vir ſapientiſſimus ac prudentiſſimus ad bene gerendam Rempublicam ineſſe exiſtimavit.

XVII. Jam vero quod olim in Romana Rep. Orator fuit, hoc nunc in Litteraria Criticum eſſe vere dici poteſt. Ejus eſt ſummum in unaquaque facultate exercere dominatum, ejus auctorum omnium ſcripta cognoſcere, corrigere, reprehendere, ejus de unius cujuſque noſtrum ingenio, doctrina, eruditione judicare; nihil denique eſt in omni arte libero digna, quod ejus non ſubſit poteſtati. Hac tanta uni homini conceſſa poteſtate non videbor a recta ejuſdem inſtitutione aberrare, ſi non diſſimili modo, atque ille in Oratore, ego me in Critico geram, & ad quam ille normam Oratorem direxit ſuum, ego quoque Criticum exigam noſtrum. Volo igitur eum ingenio eſſe ſummo, ſumma doctrina, volo diligentem in perquirendo, volo ſagacem in inveſtigando, volo in meditando diuturnum, volo in

in commentando acrem atque ſubtilem, volo eruditum, qui multa legerit, audierit, cognorit, volo ea præſertim, de quibus judicium ferre debet, diu multumque ante perpenderit, quam ſententiam jure ſuó interponat ſuam. Sed cum eum his omnibus inſtructum virtutibus atque ornatum habuero, non quieſcam, non contentus ero. Itaque ſuper omnia velim virum eſſe *bonum*, hoc eſt pium, honeſtum, probum, religioſum, cui tuto uniuſcujuſque noſtrum dignitas, nomen, exiſtimatio committi poſſit, qui ſcripta noſtra, ea, qua par eſt, æquitate cognoſcat, a quo doceri, erudiri, &, ubi res poſcat, corrigi etiam ac reprehendi non iniquo animo patiamur. Si talis erit, qualem dico eſſe oportere, ut ille Oratorem ſuum, ſic ego Criticum noſtrum, non hortabor ſolum, ſed enixius obſecrabo, urgebo etiam, ut id munus ad commune totius Litterariæ Reipublicæ commodum Litteratorumque omnium utilitatem ſuſcipiat. Quantum ille præſidii in *bono* Oratore collocandum putavit, tantum ego in *bono* Critico bonæ ſpei collocandum exiſtimabo.

XVIII. Si vero eum multo aliter, atque ego requiſivi, eſſe contigerit, non modo ad hanc artem non accedere patiar, ſed etiam ab eadem, quam longiſſime potero, repellam. Omnia enim permiſcebit, turbabit, confundet atque pervertet; diſſenſiones excitabit, lites fovebit, contentiones feret, diſ-

diſſociabit animos, & in Litteraria Reipublica tanquam turbulentus aliquis civis ac ſeditioſus exſiſtet. Quo acriori ingenio præditus erit, quo majori doctrina excellet, eo perniciosior evadet & capitalior. Nequidquam huic homini artis criticæ præcepta obſervanda proponentur, fruſtra poſtulabitur æquitas, fruſtra moderatio efflagitabitur. Præceptis quantumvis optimis non parebit, repugnabit æquitati, moderationem aſpernabitur, officii immemor, æqnitatis oblitus, modi neſcius ne in ipſa quidem intemperantia modum aliquem adhibere ſciet, nihil denique boni proficiſci ab eo poterit, qui ipſe non bonus, ſed peſſimus homo ſit.

XIX. Da igitur mihi Criticum, qualem ego brevi hac oratione mea formandum fingendumque curavi, tum nihil præterea, quo utilis ac ſalutaris ſit, neque ego, neque vero quiſquam alius requiret. Da mihi hominem non Scepticum, non Academicum, non Cynicum, hoc eſt litigioſum, non cerebroſum, non nimis veri cupidum, non evidentiæ appetentem; da mihi eundem, quantum quidem humana infirmitas patitur, rationis bene compotem, qui non invidia, non indignatione, non ira, non odio, non ſpe, non timore, non ambitione, non gratia, non partium ſtudio moveatur; qui præterea acri ingenio, memoria firma, ſumma eruditione, eximia doctrina, ſingulari prudentia excellat; qui pacatus, pius, quietus,

tus, religioſus, moderatus, uno verbo, **bonus** ſit; tum profecto mihi ac Litterariæ Reipublicæ, & vero etiam Catholicæ Religioni, cujus etiam res hoc in munere non parva agitur, utilem ac numeris omnibus abſolutum Criticum dabis.

Hactenus Parthenius de tota Artis Criticæ Ratione diſſeruit. Plura quidem dicendo perſequi poterat, ſed moderationem ſibi in argumento locupletiſſimo adhibendam eſſe ſtatuit. Qua ille moderatione in ſcribendo uſus eſt, ego quoque in adſcribendis adnotationibus uſus ſum. Utrum operæ pretium fecerit, an ſecus, judicent eruditi, & Tullianæ eloquentiæ ſtudioſi. Certe illud conatus eſt, ut unum Ciceronem exprimeret. Sed quamvis ingenue Auctor fateatur ſe a tanto exemplari quam longiſſime abeſſe; ſic tamen ad illud imitatione videtur acceſſiſſe, ut optime ſpei adoleſcentibus exemplo ſuo oſtenderit, quantum momenti in una lectione ciceroniana ponendum ſit, unde abſolutiſſima rerum omnium tractandarum forma peti poſſit. Quædam menda irrepſerunt, quæ facile Lector corriget, ut pag 385. reſcinderunt pro reſciderunt, p.442. hinc errorem pro hunc; pagina vero 365. ſic legatur; digna, quæ iterum & ſæpius audiantur. Reſtat ut Lectores benevolentiam & æquitatem Parthenio impertiant ſuam, qui ita ſive in ſcribendo ſive in agendo ſe geſſit, ut omnium quos redarguit, tacitis nominibus eorum famæ exiſtimationique pepercerit. Recte Hieronymus adverſus Ruffinum; *Quando ſine nomine contra vitia ſcribitur, qui iraſcitur, accuſator eſt ſui.*

EXPLICIT.
AD MAJOREM DEI
AC DEIPARÆ GLORIAM.

MAG 2020617

Digitized by Google